L. Holstenii Annotation. Geographica

Ja
3065
rara

Ja 3065

LVCAE HOLSTENII ANNOTATIONES GEOGRAPHICAE.

INSTITUTO
DI CORRISP.
ARCHEO-
LOGICA

LVCAE HOLSTENII

ANNOTATIONES
IN GEOGRAPHIAM SACRAM
CAROLI à S. PAVLO;
ITALIAM ANTIQVAM
CLVVERII;
ET
THESAVRVM GEOGRAPHICVM
ORTELII:

Quibus accedit DISSERTATIO duplex de Sacramento Confirmationis apud Græcos.



INSTITUT
DI CORR.
ARCHEO
LOGICA

ROMAE, Typis Iacobi Dragondelli. 1666.

Superiorum permissu

5188

Ex Dono Dm: mi ac Rev. mi Cardinalis Francisci Barberini.

Imprimatur
Si videbitur Reuerendiſſ. Pat. Mag. Sac.
Pal. Apoſt.

M. Card. Ginettus Vicarius

Imprimatur.
Fr. Hyacintus Libellus Sac. Pal. Apoſt.
Magiſter.



EMINENTISS. ET REVERENDISS. D.

CAROLO EPISCOPO OSTIENSI S. R. E. CARD. MEDICEO SAC. COLLEGII DECANO FRANCISCVS BARBERINVS S. R. E. CARD. VICECANCELL.

Felicitatem.

IVCAS Holſtenius vir eruditionis, noſtro, & futuris ſeculis memorandæ, per hanc ſibi aditum facilem comparauerat ad fauorem Veſtræ Sereniſsimæ gentis; quæ ſicut olim ad Arnum, & Apenninum de Græcia collibus fontibuſque exules Italia Muſas reuocauit, excepitque quam ſplendidè; ità quod nunc eadem vnà cum Geographicis ca-

teriſque Mathematicis diſciplinis inſigni liberalitate foueantur, gloriam eſſe Mediceam omnibus liquet. Quamobrem præclara hæc Holſteniani ingenij monumenta, quæ affecta magis, quàm perfecta, velut auri maſſam impolitam Auctor morte præuentus meæ diligentiæ commendauerat, euulgaturus bono publico, ſub Tuæ *purpuræ Sereniſſimam umbram collocanda cenſui*, Eminentiſsime Domine. *Siquidem & inter Etruriæ Principes, & inter Vaticani Senatores non minùs ætatis, ac ſenij veneranda prærogatiua, quàm virtutis enites maieſtate, ac patrocinio artium laudatarum. Accedit quod ego quoque incomparabilem* Tuam *humanitatem ab ipſa iuuentute præguſtare cœpi, quando poſt confecta ſtudiorum curricula, lauream patrio*

more

more Piſis excipienti præſentia, & auſpicio adeſſe benigniſsimo voluiſti. Vnde factum, vt qui V eſter erã ſorte naſcendi, rursus V eſter euaſerim beneficijs, queis me deinceps, magis, atque magis cumulaſti. Hoc itaque Tibi *munuſculum, ſimulque meæ grandis obſeruantiæ teſtimonium dico, queſoque D. O. M. vt* Eminentiam Tuam *diutiſsimè ſeruet incolumem.*

INSTITUTUM ARCHAEOLOGICUM
GERMANICUM ROMA

D . O . M

Lucæ. Holstenio. Saxoni. Hamburgensi. qui. clarus. in. Gallys
Famæ. clarior. gentium. omnium. aetatumq. historias. et. Ecclesiæ. re-
rumq. complexus. diuersis. regionib. peragratis. diuersas. earum. fines
et. nomina. probe. tenuit. uarias. quoque. linguas. præter. Græcam.
Latinamq. quarum. Scriptorib. plurimum. lucis. attulit. antiquam.
philosophiam. callluit. ab Vrbano VIII. Canonicatu. Basilicæ. Vaticæ.
ab. Innocentio X. præfectura. Bibliothecæ. ornatus. ab. Alexandro VII.
Sapienter. unus. electus. ut. occurreret. Suecorum. Gothorumq. Reginæ.
incomparabili. quæ. miram. in. tanto. Viro. Summi. ingenij. Sum-
meq. modestiæ. conjunctionem. suspexit; et. prædicauit. Vitæ. Deni-
que. laudatissimæ. et. illustrium. operum. cursu. interrupto. eximi-
us. patriæ. Germaniæ. amator. propugnatorq. religionis. Catholicæ.
obijt. IV. Non. Febr. An. M.D.C.L.X.I. Franc. Barberinus. Card.
S.R.E.V.C. Heres; ex. asse. Amico. optimo. p

Romæ ad S. Mariæ de Anima.

ANNOTATIONES

IN

GEOGRAPHIAM SACRAM

CAROLI à S. PAVLO.

L
C
P
nit
dic
ten
S.
no
inc
Lu
Ha

LVCAE HOLSTENII

In Geographiam ſacram CAROLI A S. PAVLO ABBATIS FVLIENSIS *ANNOTATIONES* DE PATRIARCHATV ROMANO.

Pag. 19. n. 14. *De Illyrico*.] Patriarchæ Romani iuriſdictio abſoluta in univerſum Illyricum multis Epiſtolarum documentis probatur in Concilio Romano Bonifatij Papæ II.

Pag. 20. n. 15. *Sed difficultas.*] Thraciæ diœceſis ſemper ad Heracleenſem Primatem pertinuit.

Pag. 35. n.8. *Alia Patriarchalis Eccleſia S. Petri* &c.] Hoſce Cardinales a Stephano IV. inſtitutos fuiſſe docet nos Auctor incertus de Vitis Pontificum, qui malè Luitprandus vocatur, circa ann. Chriſti 770.

Pag. 37. n.9. *In hoc Notitia illa deficit* &c. *Hanc ante* 500. *annos factam eſſe arbitror.*]

Hoc veriſſimum eſt: nam Notitia hæc annum MCC. antiquitate non excedit; quod facilè oſtendi poteſt ex Epiſcopatibus tum recens ſuppreſſis, vel unitis, vel recens inſtitutis.

Pag. ſequenti. *Concilia ex Provincia convocare.*] Hinc Capuano ius metropoliticum adſtruendum eſſet: nam Liberius Papa in Epiſtola quadam apud Hilarium de Synodis ad Vincentium ſcribit: *Dignaberis convenire Epiſcopos cunctos Campaniæ, & hæc illis inſinuare. Ex ipſorum numero una cum Epiſtola veſtra* &c.

Pag. 41. n. 10. *Hæc Provinciarum ſuarum denominatione ſolos* &c.] Sed Aquileia etiam Italiæ iſthìc attribuitur & Verona.

Pag. 46. l. 13. *Mons, qui vocatur Aetna, in quo, ſi qua fides, divinitas eſt.*] Θεῖον Sulphur.

Pag. 48. *Sed & dicam, id muneris eumdem Gregorium Ioanni Syracuſano dediſſe.*] Ioannem Syracuſanum Siciliæ Primatem vocat expreſsè S. Gregorius lib. 7. Indict. 2. epiſt. 61. ubi dolet aliquos Epiſcopos Siciliæ ſine Primatis ſui Epiſtolis ad Comitatum profectos fuiſſe, quem & Vicarium ſuum fuiſſe oſtendit.

Pag. 49. n. 14. *Sed & Calaritanum.*] Calaritano autem Metropolitæ Sardiniæ ſex

Epi-

Epiſcopos ſubiectos fuiſſe apparet ex S. Gregorio M. lib. 7 Indict. 2. epiſt. 8. puto in ipſa illa Inſula. Nam Baleares ad Hiſpaniæ, vel potius Africę regimen Eccleſiaſticum tempore Gregorij pertinuiſſe apparet ex epiſt. 54. lib. 11. ubi de Capricanæ Inſulæ Monachis, non ad Vitalem Defenſorem Calaritanum, ſed ad Ioannem Defenſorem in Hiſpaniam miſſum ſcribit. Confer epiſt. 52. 53. 54. & 55. Cæterùm iura Metropolitica Calaritani Primatis egregiè deſcribit & confirmat S. Gregorius ſupradicta epiſtola 8. lib. 7. Indict. 2. ut Suffraganei diem Paſchæ ab eo requirant, & ne ſine eius licentia, & formata trans mare proficiſcantur, eamque antiquam iſtarum Eccleſiarum conſuetudinem vocat, & indictam Epiſcopis ſuffraganeis regulam.

Ibid. lin. 17. *Occupatæ fuerunt.*] Tempore S. Gregorij M. Sardinia adhuc ſub Præfecto Africæ per Africanos Iudices adminiſtrabatur, ut oſtendit epiſt. 1. lib. 9. & ep. 38. lib. 8. Ideoque de oppreſſionibus Eccleſiæ Turritanę ſcribit ad Patricium & Exarchum Africæ lib. 1. epiſt. 59.

Paulò poſt lin. 25. *Inter eas Lyſitanam.*] Lyſitana, vel potius Liſſitana Eccleſia non fuit Italiæ, ſed oppoſita oræ Prævalitanæ in Illyrico; olim Liſſus, nunc *Aleſsio*, de

quo notavi infra pag.210. Neque verum eſt, quod ait S. Gregorium Liſſitanam Eccleſiam uniiſſe Scyllacenſi. Quomodo enim uniri poterant Eccleſiæ interfuſo Adriatico mari ſeparatæ? Sed Ioannem Liſſitanæ Eccleſiæ deſolatæ Epiſcopum ad Scyllatinam tranſtulit. Epiſcopos autem transferre ab una Eccleſia ad aliam, non eſt unire Eccleſias.

PROVINCIA ROMANA.

PAg.50. *Portus Auguſti &c. Coſtus.*] Caſtus rectè vocatur in ſubſcriptione Synodi Palmaris. In ms. Vat.

Sylva Candida &c. Adeodatus &c. ſubſc. Conc. &c. ſub Symmacho] Valentinus adfuit Vigilio Papæ Theodorum Cæſarienſem excommunicanti Conſtantinopoli anno DLI. eiuſque Vigilius in conſtituto illo meminit &c.

Aqua viva] fuit in via Flaminia veteri ſub monte Soracte inter Arinianum, & Civitatem Caſtellanam, paulò ultra diverſorium Stabiæ, ubi nunc Eccleſia extat S. Mariæ de Aqua viva. Prope eſt fons uberrimus, qui nomen loco dedit. Hic fuit Carpenatum Epiſcopatus. Paulo poſt. *Paulinus ſubſcripſit &c. & Benignus*] leg. Bonifacius &c.

Pha-

Phalaris Phalero Phaleri] Episcopatus hic translatus ad veterem Falisorum civitatem, quæ vulgò Civitas Castellana dicitur &c. Carosus Falaritanus Romano sub Martino I. Papa.

Ferentium &c.] Ferentum. Adrianus Ferentinatis Ecclesiæ Episcopusinterfuit Concilio Leonis IV. Bassus Ferentij Episcopus fuit; Maximinus Ferentini. Basso succesſit Innocentius, qui subscripsit Synodo Romanæ tertiæ sub Symmacho. De S. Bonifatio Ferentij Episcopo agit Gregor. M. Dialog. lib. 1. cap 9. Servus Dei Ferentensis Synodo Palmari sub Symmacho, in m.s. Vatic.

Polymartium &c. *Bonitus* &c. *subscripsit Concilio Lateranensi*.] In editione Binij Ferentinas legitur, & mox repetitur idem Ferentis Polimartanus, ut pro duabus Ecclesijs distinctis subscripserit. & sic sæpius. Maiorinus Polimartij Episcopus in Concilio Rom. I. Gregorij II. Agathus Polimartiensis Episcopus interfuit Concilio Romano Eugenij II. anno Christi 826. Et post eum Georgius subscripsit Concilio Romano Leonis IV. anno Christi 853. & antehos Ioannes Concilio Romano sub Zacharia Papa anno Christi 742.

Hortanum &c.] Iulianus Hortanus Episcopus in Concilio Romano sub Martino

Primo, ubi malè Hoſtanus legitur.

Pag. 51. *Blera* &c.] Firminus Lateranenſi ſub Martino.

Sutrium &c.] Barbatus Romano ſub Martino I. Papa.

Tarquinij &c. *vulgò Tarquera.*] *Tarquina* &c. Epiſcopatus hic Cornetum translatus, ut & Graviſcanus.

Salpis] Vitio creatus Epiſcopatus, ideoque expungendus. *Palladius* &c.] Fuit hic Sæpinas Epiſcopus in Samnio, de quo infra pag. 58.

Balneum &c.] Alifredus interfuit Concilio Romano Eugenij II.

Vrbs vetus &c. *D. Gregor. ſcripſit*] ep. 12. lib. 1. Ioanni Epiſcopo de Vrbe veteri. & lib. 2. epiſt. 5. ut & epiſt. 27. &c.

Cluſium &c. *vulgò Cluſa* &c.] *Chiuſi* &c. Eccleſius apud Gregorium M. lib. 8. ep. 46. & lib. 10. ep. 53.

Cortona. Ptol. ibid. hodie nomen retinet] Iordanes eius Epiſcopus legitur in ſententia Vigilij Papę contra Theodorum Cæſarienſem lata; Baron. ad ann. 551. Ioannem vocat errore potiùs quàm meliorum Codicum auctoritate.

Volſinium &c.] Agnellus Synodo Romanæ ſub Agathone.

Centumcellæ &c. *& Cincellæ*] Hoc falſum:

Nam

Nam Cincellæ vocatur nova illa civitas à Leone IV. ædificata, qua paulò poſt deſerta incolæ ad veterem Centumcellarum civitatem redierunt, cui comparatione novi illius Leoniani oppidi Civitatis veteris appellatio hæſit.

Graviſca &c.] Graviſcæ veſtigia paulò infra Cornetum ad mare apparent. *Mont'alto* autem Forum Aurelij fuiſſe certiſſimum eſt.

* VOLSCÆ. ſive Vulci Ptolomæo, alijſque Tuſciæ civitas, vnde Bulcentina Eccleſia S. Gregorio M. lib. 3. Dialog. c. 17. in partibus Aureliæ: ubi malè editi Codices, Buxentinæ legunt, fuit ad dextrum latus Floræ amnis, ubi nunc *Il piano de Volci*. aquæ ductus eius pars vulgo, *Il ponte della Badia*. S. Gregorius dicto loco Quadrageſimum Bulcentinæ Eccleſiæ Subdiaconum commemorat; unde Epiſcopalem fuiſſe colligo. Buxentina autem Eccleſia infra pag. 61. in Lucaniæ provincia recenſetur.

Pag. 52. *Luca Ptol. lib. 3. c. 1. hodie nomen retinet*] Maximus à Tuſcia de Luca ſubſcripſit Synodo Sardicenſi.

Forum Claudij &c. *vulgo Tofa, Tolfa*] Falſum. *Oriolo* nunc in eius veſtigijs conſpicitur [*Colonius*] Colonicus in ms. optimo.

Luna &c.] Verecundus adfuit Conſtan-

tinopoli Vigilio Papę, ut apparet in ſententia eius contra Theodorum Cæſarienſem.

Feſulæ hodie Fiezoli] *Fieſoli*.

Cornetum &c.] Hæc civitas conflata eſt ex Tarquinijs & Graviſca.] *hanc ſedem* &c. *Graviſcæ*] e contra.

Vittonium vulgo Bittona] *Bettona*.

VMBRIA.

Mevania] Vivanienſis Eccleſia apud S. Gregorium Magnum ſcribitur lib. 1. ep. 78. & lib. 7. ep. 75. ubi eius Viſitationem Spoletino Epiſcopo iniungit.

Tifernum Tiberinum &c.] Marius Tifernius Concilio Rom. ſub Symmacho. & in alio ſub eodem Symmacho. Innocentius Tifernatium Tiberinorum. Vnde crediderim potius Tiferni Metaurenſis Epiſcopum fuiſſe Marium, vel etiam Triferni in Samnio: nam in Conciliorum Tomis ſcribitur Triferninus.

Trebia &c.] Laurentius ſub Symmacho.

Pag. 53. *Spoletum* &c. *Epiphanius*] Hunc Epiphanium antiquiſſimæ membranę Spellaten. Epiſcopum vocant &c. Cęcilianus ſub Liberio in fragment. S. Hilarij. Chryſanthus apud S. Gregorium M. lib. 11. ep. 43.

Forum novum &c. *inter Forum Flaminij &*

Spo-

Spoletum] Hoc falsissimum est: nam sita est in Sabinis eodem loco, ubi nunc oppido deleto Ecclesia Episcopalis supereſt vulgo *Vescovio* dicta.

Forum Flaminij &c.] Decentius Concilio Romano sub Agathone Papa.

Camerinum &c.] ms. Vatic. optimus legit Cameritanus.

Hispellum &c.] Venerius Spellensis subscripsit Synodo Palmari sub Symmacho in ms. Vatic. Epiphanium eius Episcopum fuisse testantur membranæ veteres, quem Spoletanum Episcopum faciunt Codices editi Conciliorum.

* Tadinvm. Laurentius Tadinatis Ecclesiæ Episcopus subscripsit Synodo Romanæ Symmachi Papæ, & apud Gregorium M. lib. 7. Indict. 2. ep. 89. & 90. Tadinatis Ecclesiæ vacantis visitatio committitur Episcopo Eugubino. Eius vestigia visuntur in via Flaminia prope Gualdum ultra Nuceriam in summo Apennino. Hoc tempore Nucerinæ coniuncta est.

CAMPANIA.

Tres *Tabernæ* &c. *vulgo Cisterna*] Hoc falsum: Nam trium Tabernarum vestigia haud procul inde in ipsa via Appia con-

conſpiciuntur &c. S. Gregorius Magnus hanc Eccleſiam deſolatam Velitrenſi coniunxit.

Tarracina. vulgo Tarracina] *Terracina*.

Ferentinum &c. *vulgo Firentino*. *Baſſus*] Baſſus hic Ferenti in Tuſcia Epiſcopus fuit, ſive Ferentinas. Maximinus autem Ferentinenſis: ſed in ms.antiquiſs. ſcribitur Baſſus Ferentini novi; Maximinus autem Ferentienſis.

* ALETRIVM. Straboni & alijs, vulgo *Alatri*. Paſchaſij Aletrini Epiſcopi meminit Vigilius Papa in excommunicatione Theodori Cæſarienſis, quæ epiſtolæ 6. ſubiungitur. Saturninus adfuit Concilio Romano ſub Agathone Papa. Vitalis Concilio Romano ſub Gregorio II. ſubſcripſit.

* VERVLAE. Frontino & alijs. vulgo *Veroli*.

* LAVICI.

Pag. 54. *Gabij* &c. *hodie Gallicano*] Falſum &c. Martinus ſubſcripſit conſtituto S. Gregorij Magni.

Signia &c. *Iuſtus 3. & 4. ſub eodem*] Iulianus fuit Conſtantinopoli, cùm Vigilius Papa ſententiam excommunicationis ferret in Theodorum Cæſarienſem, vbi nomen eius legitur. Gaudioſus Synodo Romanæ ſub Agathone.

Subau-

Subauguſta &c. *Auguſta Helena dicebatur*] Veſtigia extãt ad Turrim Pignataram vulgo dictam, ubi Eccleſia fuit ſanctorum Petri & Marcellini. Ibidemque condita fuit Helena Auguſta mater Conſtantini Magni.

Fundi &c.] Agnello ſcribit Gregorius Magnus.

Formiæ &c. *Adeodatus* &c.] Et alius hoc nomine ſub Agathone Papa in ſexta Synodo Conſtantinopolitana Act. 4. Alvinus apud S. Gregor. M. lib. 7. Ind. 2. epiſt. 11.

Salernum &c. *Aſterius.* &c.] Ad eundem Aſterium extat Reſcriptum Pelagii Papæ I. in Collect. Can. Cardin. Deusdedit lib. 3. c. 108.

Surrentum &c.] Amandus apud S. Gregorium M. Ioann. Diac. lib. 3. cap. 12.

Stabiæ &c.] Iubentinus Concilio Lateranenſi ſub Martino.

Neapolis &c.] Fortunatus Neapolis Campaniæ, ad quem ſcripſere Epiſcopi hæretici conciliabuli Sardicenſis in fragm. S. Hilarij. Calepodius Epiſcopus Neapolitanus Legatus S. R. E. ſubſcripſit Concilio Sardicenſi. Viventius Epiſcopus Neapolitanus in Reſcripto Pelagij I. in Collect. Can. Card. Deusdedit lib. 3. cap. 113.

Puteoli &c.] Geminus Puteolanus in Reſcripto Pelagij Papæ I. Florentius in Reſcripto

INSTITUTUM ARCHAEOLOGICUM GERMANICUM ROMA

scripto Gratiani apud Baronium anno 381. n. 2.

Misenum &c.] Constantius Misenus in Rescripto Pelagij I.

Cumæ &c.] Barbatus Lateranensi sub Martino. S. Gregor. M. Cumanam Ecclesiam univit cum Misenate, ut docet eius epistola.

Pag. 55. *Astella* &c. *Felix sub Symmacho* &c.] Eusebius Lateranensi sub Martino &c.

* LITERNVM. Aprilis Liternensis Episcopus adfuit Synodo Palmari sub Symmacho.

Vulturnum &c.] Vulternæ Ecclesiæ Episcopo destitutæ meminit sanctus Gregorius lib. 7. Indict. 2. ep. 30. & 31. & ante eum Pelagius Papa I. in Rescripto ad aliquot Campaniæ Episcopos eiusdem Vulturninæ Ecclesiæ meminit, quæ & Vici-feniculensis dicebatur.

Sora &c.] Latij. Ioannes in Rescripto Gelasij Papæ in collect. can.

Aquinum &c.] Latij.

Casinum &c.] pertinebat ad Latium.

Teanum &c. *Quintus* &c.] Hunc infra sui oblitus, ut Teatinum Episcopum reponit pag. 58.

Calenũ &c. *vulgo Carinola.*] Potiùs Cales, quæ nunc *Calvi*. Viticanus Calenienſis

Episco-

Episcopus subscripsit Synodo Palmari sub Symmacho.

Nola &c. *nunc quoque Nola dicitur*] Paulinus celebris eius Episcopus.

Atina] pertinet ad Latium.

PICENVM ANNONARIVM.

Riminum &c.] Stephanus legitur in Vigilij Papæ sententia contra Theodorum Cæsarienſem.

Pag. 56. *Tifernum*] Vide quæ supra pag. 52. notavi ad Tifernum Tiberinum.

Forum Sempronij &c. *vulgo Fossembruno*] Paulinum pseudoepiscopum Forosemproniatem ad se perduci postulat Gelasius Papa à Ioanne Magistro militum apud Anselmum lib. 6. cap. 195.

Callium &c. *Cagli*.] Concilio Ariminensi adfuit Grecianus Episcopus à Calle in fragm. sancti Hilarij in fine.

PICENVM SVBVRBICARIVM.

Interamnia] Aprutium iam olim dicta, cui Opportunum Episcopum constituendum scribit Gregorius M. lib. 10. epist. 13. in veteri ms. Arnobij apud Cardinalem Barberinum Abruptiensis Ecclesia vocatur;

sed

ſed nomen illud à Prætutijs detortum exiſtimo.

* TRVENTVM, ſive Truentina civitas, Mela, Plinius, & alij. Vitalis eius Epiſcopus miſſus à Felice IIII. Papa ad Acacium Conſtantinopolitanum Patriarcham.

* AVFINA, ſive AVFINIA Plinio, Veſtinorum civitas, vulgo *Ofena*. Gaudentium, Aufinienſis Eccleſiæ Epiſcopum commemorat Simplicius PP. epiſt. 2.

* VRBS-SALVIA. Piceni civitas, vulgo *Vrbiſaglia*. Lampadius Epiſcopus Vrbis Salvienſis ſubſcripſit Concilio Romano I. ſub Symmacho.

* PAVSOLA. Claudius Epiſcopus Pauſolanus ſubſcripſit Concilio Romano ſub Hilario Papa.

* FALERONIA. Plinio & Hygino, nunc *Faleroni*. Epiſcopi Falerionenſis Vrbis Eccleſiæ ſuæ bona diſſipantis ſine nomine, meminit Reſcriptum Gelaſij Papę in collect. canon. Card. Deusdedit lib. 3. cap. 96. de quo conqueſtus fuerat Ioannes eiuſdem Eccleſiæ Archidiaconus. Meminit etiam, deceſſoris Epiſcopi eius itidem ſine nomine, qui prædium paternum in alimoniam Clericorum reliquerat.

Firmum &c.] Paſſivus apud S. Gregorium Magnum lib. 10. epiſt. 13.

Tolen-

Tolentinum] Tollentinum.

Matelica &c.] Florentius fuit Conſtantinopoli cum Vigilio Papa, ut teſtatur eius ſententia in Theodorum Cæſarienſem.

Pag. 57. *Cingulum* &c. *Iulianus* &c.] Ad eundem extat Reſcriptum Pelagij Papæ I. in collect. can. Deus dedit lib. 3. cap. 109.

Potentia &c. *vulgo Porto di S. Elpidio*] falſum. Veſtigia eius vidi haud procul à Portu Ricanatico.] *Fauſtinus* &c. *Concilio Carthaginenſi*] xvij. &c. Amantius Potentinus adfuit Synodo Palmari ſub Symmacho.

Numana &c.] Romulus Numanatenſis Epiſcopus commemoratur in ſententia Vigilij Papæ contra Theodorum Cæſarienſem. Baron. ad annum 551. malè Numentanenſem ſcribit. Germanus Numanenſis adfuit Concilio Romano Martini Papæ I.

VALERIA.

Fidene] Fidenæ.

Nomentum &c. *ex eius Epiſcopis*] Vrſus Epiſcopus commemoratur in epiſtola 7. S. Innocentij I. ubi Nomentana ſive Felicienſis parochia appellatur.

Tibur &c.] Florentius Epiſcopus in ep. 7. Innocentij Papæ I.

Nurſia

Nurſia nunc Norza] *Norſia*.

Marſi &c. *vulgo Marſi*] Ioannes Marſicanus Epiſcopus legitur in ſententia Vigilij Papę contra Theodorum Cæſarienſem. Sedes fuit Marruvij, quæ & civitas Valeriæ.

Præneſte &c.] pertinet ad Latium.

Amiternum &c.] Caſtorius Amiterninæ civitatis Epiſcopus apud D. Gregorium M. Dialog. lib. 1. cap. 1. ſed locus malè corruptus ex Græca verſione reſtituendus.

Liſta] Liſta etiam nunc nomen retinet *Monte di Liſta* 3. m. p. Reate diſtans. Certiſſimum vero eſt eum locum nunquam habuiſſe Epiſcopum, cuius nulla, niſi apud unum Dionyſium mentio extat, qui inter vetuſtiſſima Aboriginum oppida commemorat. Ea autem Dionyſij tempore ferè omnia interierant. Liſſitana autem Eccleſia, cui Ioannes præfuerat, in Liſſo, in ora maris Adriatici oppido fuit. vide Notas infra pag. 77. hodie *Aleſsio* dicitur.

* PITINVM. Plinio & Antonino, cuius verus ſitus adhuc ignoratur, non longè fuit ab Amiterno, Romanus Epiſcopus Eccleſiæ Pitinatium adfuit Concilio Romano I. ſub Symmacho, cui eius nomine ſubſcripſit Valentinus Epiſcopus Amiterninus. Nomen & veſtigia ſuperſunt duobus paulo plus paſſuum millibus à civitate Aquila

in

in loco, qui vulgo dicitur *Torre di Pitino*.

Cures &c. probabile eſt eandem cum ea fuiſſe, quæ dicitur S. Anthimi.] Imo veriſſimum. Vide Ioannem Diaconum de vita S. Gregorij lib. 3. cap. 15. Dulcitius Epiſcopus S. Anthimi ſubſcripſit Concilio Romano tertio ſub Symmacho. Idem in Concilio 1. ſub eodem Symmacho vocatur abſolutè Epiſcopus Sabinenſis in ſubſcriptionibus. Vulgo S. *Anthimo* dicitur, nobilis olim Abbatia, nunc diruta; reditus tamen amplos etiam nunc habet, diſtat ab Vrbe m. p. 22. vt habet Bedæ Martyrologium.

SAMNIVM.

Pag. 58. *Beneventum* &c. *hodie Benevento*] Ianuarius ſubſcripſit Synodo Sardicenſi.

Sæpinum &c.] Palladium quoque Sæpinatem Epiſcopum fuiſſe exiſtimo, qui malè Salpinas vocatur in Concilio Romano Hilari Papæ: neque enim Salpini in Tuſcia Suburbicaria hoc tempore nomen aut veſtigia ſupererant: neque ad Salpas Apuliæ pertinet, de quibus notavi pag. ſequenti. Inde enim Salpinus Epiſcopus dicitur.

Teatea, Teate &c. *Quintus*] Theanenſis in libris excuſis & mss. & ſic ſupra pag. 55.

* ÆCLANVM Samnij, vel potiùs Campaniæ civitas, cuius vestigia extant prope Mirabellam xv. millib. pass. à Benevento, unde postea Decimum quintum appellata fuit, ut in monumentis Beneventanæ Ecclesiæ legi, cui postea suffraganea fuit. Cluverius malè cum Fricento confundit. Ptolem. Æculanum vocat. Huius loci Episcopus fuit Iulianus celebris ille Pelagianorum Antesignanus, contra quem scripsit D. Augustinus, qui eum Campanum Episcopum vocat.

Ortona &c.] Viator Concil. Lateranensi sub Martino I.

Valva] quæ olim Corfinium nobilissima civitas. Clarentius sub Agathone Papa legitur in Synodo sexta Constantinopolitana Act. 4.

* ISTONIVM. Istoniensis Ecclesiæ vacantis mentio est in Rescripto Pelagij Papæ dist. xxiv. cap. 3. vbi nomen illud corruptum, quod ex Anselmo corrigendum.

APVLIA.

EGgnatia &c. *vulgo Gnazzo*] *Ignazzo*.

* BIVINVM, sive VIBINVM, unde Plinio Vibinates. *Bovino* nunc vulgo dicitur, Polybius βώϊνον vocat: Casaubonus

nus malè Hipponem vertit; antiqua Episcopalis civitas in Samnij & Apuliæ confinio.

Tranum &c. *Eutychius* &c. *sub Symmacho*] & in vita sancti Sabini.

Canusium &c. *vulgo Canosa*] Stercorius ab Apulia de Canusio subscripsit Concilio Sardicensi &c. Sabinus subscripsit Concilio Bonifatij II.

* ÆCAE, sive ÆCANA civitas Plinio lib. 3. cap. 11. inter Samnium & Apuliam in ipso Apennino, quæ postea Troia dicta fuit. Cluverius falso putat nũc Accadiam vocari. Hinc Marcianus Ænanensis Episcopus in Concilio Romano sub Symmacho commemoratur Polybio, vbi Αἴγας pro Αἴκας editur.

* HERDONIA Straboni & alijs nunc vulgo *Ardona* inter Cerbarum & Carapellam fluvios. Cluverius malè Cedognam existimat. Saturninus Herdonitanus Episcopus subscripsit Concilio Symmachi.

* RVBI. Horatio & Antonino, nunc *Ruvo*, unde Plinio, & Frontino Rubustini. Ioannes Rubisinæ Ecclesiæ Episcopus tempore Gelasij Papæ legitur in vita sancti Sabini Canusini Episcopi apud Bollandum 9. Febr.

Pag. 59. * SALAPIAE. Ptol. lib. 3. cap. 1.

Salapia Plinio & alijs, vulgo adhuc *Salpe.* Proficuus Salpinæ Eccleſiæ Epiſcopus legitur in decreto Gelaſij Papæ apud Card. Deusdedit in collect. canon. lib. 3. cap. 93. & Palladius Salpitanæ Eccleſiæ Epiſcopus tempore Gelaſij legitur in vita s. Sabini Epiſcopi Canuſini 9. Febr. apud Bollandum &c. Laurentius tempore Gelaſij Papæ in vita s. Sabini.

Venuſia &c.] Aſterius ſub Gelaſio Papa in vita s. Sabini.

Cannæ &c. *Vrbs* &c. *nunc diruta*.] Sed Eccleſia ſupereſt in ruinis paulo infra Canuſium ad Aufidum amnem.

CALABRIA.

C*Allipolis* &c. *nunc Callipoli*] Dominicus eius Epiſcopus legitur in Vigilij Papæ ſententia contra Theodorum Cæſarienſem. Sabinum Epiſcopum Callipolis ordinavit S. Gregorius ex S. R. E. Subdiacono. Vide Ioannem Diaconum lib. 3. cap. 7.

* NERITVM.

* VXENTVM.

Lypia &c. *cuius* &c. *viſitationis munus iniungit*] Petro Hydruntino Epiſcopo.

* ALEXANVM & LEVCE.

BRV-

BRVTIA.

Rhegium &c. *Martyrol. Rom.*] Ioannes Rhegitanus adfuit Concilio Lateranenſi ſub Martino .

Pag.60. *Taurianum &c. D.Greg.& Paulinum Epiſc.Taurian.*] lib.11. epiſt.18. Eccleſiam eius obitu vacantem Venerio Viboneſi commendat .

Vibo &c.] Rufinus apud S. Gregorium Magnum lib. 5. epiſt. 40. Venerius apud eundē lib.7.Indict.2. ep.47.& lib.11.ep.18.

Nicotera &c. *nunc Nicotera. D. Gregor.M. ſcripſit epiſt. &c. ad Proclum* &c.] & lib.5. Indict.14. epiſt.40. curam eius & viſitationem committit Epiſcopo Vibonenſi .

Thurium &c.] De Thuritanæ Eccleſiæ Epiſcopo defuncto D. Gregor. lib.2.ep.38.

Crotona] Croton .

Scyllatium &c. *Gaudentius* &c. *ſub Hilaro*] Auguſtinus Squillacinus adfuit Concilio Lateran. ſub Martino .

Locri &c.] Vide etiam lib.6. epiſtol.38. Creſcens Locrenſis ſubſcripſit Lateranenſi Martini Papæ .

Muranum] dele [*vel Submuranum.*]

Carina &c.] Ioannis Epiſcopi eius defuncti meminiſſe videtur(s.Greg.)ep.30.lib.12

ubi Larinensis editur pro Carinensis: nam Larini in Frentanis Episcopum alibi non legi. Sed emendatio, sive coniectura mea certissima est: nam Ioannes ille Carinensis adfuit concilio Lateranēsi sub Martino.

LVCANIA.

PAg. 69. * VELIA. Plinio, alijsque nunc *Castel'a Mare della Bruca*, a S. Gregorio velut civitas Episcopo destituta Acropolitano Episcopo commendatur.

Potentia &c.] Ad Petrum Potentinum Episcopum scribit Pelagius papa de electione Latini Cosilianensis apud Anselmū lib.6. cap.56.

Buxentium &c. *vulgo*] *Policastro*.

* GRVMENTVM. Livio, Plinio, & Itinerarijs, vulgo nunc *Agrimonte* ad Acirin fluvium, paulo supra *Tursi* oppidum. Iuliano Episcopo Grumentino rescripsit Pelagius apud Ivonem in decret. p.6. c.112. & apud Gratianum dist. 76. c.12. Et Grumentinæ parochiæ meminit S.Gregor. Regest.lib.10 epistol.47. coaluit deinde cum Marsicensi Ecclesia.

Acropolis] vulgo *Agropoli*.

Blanda &c. *hodie*] *Porto di Sapri*.

* COSILIANVM antiquissima Lucaniæ civita-

vitas Cassiod. var. lib. 8. epistol. 33. suburbium habuit Marcilianvm, siue Marcellianvm, unde Marcellianensis Episcopus & Cosilinas promiscuè dicebatur. Latinum eius Episcopum electum fuisse docet Rescriptum Pelagij Papæ apud Ivonem decret. p. 6. c. 112. & Gratian. dist. 76. cap. 12. & apud Anselm. lib. 6. cap. 57.

CORSICA.

POnenda infra pagina 67. post Sardiniam.

Aleria &c. *D. Gregor. M. scripsit epist.* 22.] lib. 5. [*ad Petrum* &c.]

Vrcinium &c. *Adiacium postea dictum* &c.] Benedictus Aiacenus adfuit Concil. Later. sub Martino.

* Mariana. Ptol. ibid. Vrbs Episcopalis quæ nunc etiam in ruinis nomen retinet. Donatus Marianensis Episcopus adfuit Concilio Lateranensi sub Martino.

PROVINCIA MEDIOLANENSIS

LIGVRIA.

MEdiolanum &c. *alij variis Concilijs subscripserunt*] Partasius ab Italia de Mediolano subscripsit Synodo Sardicensi

apud ſanctum Hilarium in fragm. Merocles Arelatenſi I.

Eporedia &c.] Deſiderius adfuit Concilio Romano ſub Agathone papa.

Vercellæ &c. *ex eius Epiſcopis*] Euſebius celeberrimus eſt &c.

Pag. 62. *Comum*] pertinet ad Aquileienſem Metropolim.

ALPES COTTIÆ.

Augusta Taurinorum &c. *Maximus* &c. *ſub Damaſo*] Et alius Maximus epiſtolæ Euſebij Mediolan. ad Leonem.

Alba Pompeia &c.] Benedictus Synodo Romanæ ſub Agathone papa, ſed in edit. græco-latina Conciliorum in Synodo vi. Conſtantinopolitana Act. 4. malè editur Valvenſis.

Pag. 63. *Savona* &c.] Apud S. Gregorium M. lib. 1. ep. 76. & 77. & 79. pro Alerienſi Eccleſia mss. codd. Saonenſem legunt.

RHÆTIA SECVNDA.

AD Provinciam Rhætiæ ſecundæ pertinebat Sabiona, quæ infra pag. 65. in Venetis recenſetur. Nam Ingenuinus eius Epiſcopus in ſubſcriptione libelli ad

Mauri-

Mauritium Imperatorem apud Baronium ann. Christi 590. n. 28. vocat se Episcopum Secundæ Rhætiæ.

Augusta Vindelicorum &c.] Puto hos Episcopos fuisse Augustæ Prætoriæ, & sic censet V. Ill. M. Vellerus Rerum. August. lib. 8. pag. 168.

Quintanæ &c.] In veteri Inscriptione, teste Onophrio Panvinio vocatur COLONIA AVGVSTA QVINCTANORVM. & sic in nummo Nervæ.

Ad Rhætiam secundam pertinebat etiã Brixino civitas Episcopalis, cuius Episcopus Albinus in Martyrolog. Romano cum Ingenuino Sabionensi coniungitur Non. Februarijs.

PROVINCIA RAVENNENSIS.

Ravenna &c. *vulgo Ravenna*] Severus subscripsit Concilio Sardicensi.

Cæsena &c. Florianus huius Episcopus] Sed ms. codex, non de Cæsena, sed de Sinna, scribit, quod Balduinus pro libitu mutavit, itaque hic Senensis potius Episcopus fuit. Natalis & Concordius apud S. Gregorium lib. 12. epist. 1. Maurus in Concilio Lateranensi S. Martini Papæ.

Forum Livij &c.] Crescentius Livien sis adfuit

adfuit Concilio Lateranenſi ſub Martino.

Forum Cornelij &c.] De Cornelienſi Epiſcopo ordinando ſcribit S. Gregorius M. Mariniano Epiſcopo Ravennæ lib.6. ep.39.

Pag. 64. *Vicohabentia* &c. *vulgo* &c. *Vogenza*] Iuſtinus Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Βικοαβεντίνης ſubſcripſit Concilio Romano ſub Agathone.

PROVINCIA AQVILEIENSIS.

Aquileia &c. *Fortunatianus* &c. *apud D. Hieron. de Script.Eccleſ. legitur*] Idemque adfuit & ſubſcripſit Cõcilio Sardicenſi. [*Leo M. epiſt. ſcripſit*] 86. &c.

Altinum &c. *Heliodorus* &c. *ſub Damaſo, S. Leo M. epiſt.*85. *ſcripſit*] Petrus de Altino apud Paulum Diaconum lib.3. cap.27. Et in Actis Synod.Rom. ſub Symmacho. Hic Septimius à Photio Biblioth- c. 54. Septimus vocatur, cuius narratio ex Leonis illa epiſt. lucem accipit.

Pag.65. *Verona* &c.] Iunior ſubſcripſit relationi ad Mauritium Imperatorem apud Baron. anno 590. n.28.

Nova &c. *in ora Marchiæ Tarviſinæ*] Cuius meminit Conſtantinus Porphyrogen. inter oppida, ex quorum ruinis orta eſt Venetia.

Ca-

Caprula &c. Epiſc. dicitur apud D. Gregor. epiſt. proxime citata] & præcedenti 9. & pertinebat ad provinciam Hiſtriæ & Primatem Aquileienſem, de cuius iuriſdictione eam ad tempus eximit S. Gregorius, & Ravennati Epiſcopo ordinandam committit. Erat autem hęc inſula ſuperiori Caſtello Novas per Diœceſim coniuncta, ut teſtatur ibidem Gregorius M.

Tridentum &c.] Agnellus ſubſcripſit relationi ad Mauritium Imperatorem: ubi Trajentinæ malè legitur; & Baronius peius Parentinæ ſubſtituere conatur. Nam Paulus Diaconus lib. 3. cap. 27. Tridentinum Epiſcopum fuiſſe diſertè teſtatur.

Feltria &c. legitur Fronteius Epiſc. Feltriæ] in ſubſcriptione libelli apud Baronium ad annum 590. Fonteius dicitur.

Bellunum &c. Laurentij Bellun. Epiſc.] qui ſubſcripſit libello Epiſcoporum Venetiarum ad Mauritium Imperatorem apud Baronium anno 590. n. 28.

Sabiona &c. Ingenuini Epiſc. de Sabiona] Idem primo loco ſubſcripſit relationi ſupradictæ, & Rhætiæ Secundæ Epiſcopum ſe vocat.

*IVLIVM CARNICVM, vulgo *Zuglio*. Maxentius Iulienſis Epiſcopus ſubſcripſit relationi Epiſcoporum ad Mauritium Imperatorem

torem apud Baronium anno 590.

* CONCORDIA, vulgo in ruinis nomen retinet. Paulus Episcopus subscripsit relationi ad Mauritium Imperatorem, ubi sup.

Celina &c.] Fortè etiam Andreas sub Agathone: nam pro eo quod in latino est Veientanæ, in græco est Κελαιατίης, sed omnino ibi legendum Veglentanæ, & in græco Βεγλιατίης, ut ad sequentem provinciam Histriæ pertineat.

* VICENTIA, vulgo *Vicenza*. Horontius eius Episcopus subscripsit relationi ad Mauritium, apud Paulum Diaconum lib. 3. c. 27. Horuntinus scribitur. Sed apud Baronium anno 590. n. 28. malè Venetinæ pro Vicentinæ excusum legitur.

HISTRIA.

ERat coniuncta cum provincia Venetiarum, & suberat Aquileiensi. Primati.

Pag. 66. *Tergestum* Tergeste, *vulgo* Trieste] Trieste.

Emona &c. *vulgò Città nova*] Hoc falsum: nam ex Itinerarijs antiquis certè constat Æmonam nunc esse Lubianam ad Savum fluv. vulg. *Labach*.

PRO-

PROVINCIA SICILIÆ.

TYndarium &c. *Severus tertiæ Romanæ (subsc.)*] Theodorus adfuit Concilio Lateranensi sub Martino.] *D. Gregor. mem. etiam Euticij* &c.] & Benenati lib.7. Indict.2. epist.88.

Leontini &c. *vulgo Lentini* &c.] Lucianus Leontinensis adfuit Synodo Lateran. Martini Papæ &c.

Tauromenium &c. *Rogatus* &c. *sub Symmacho*] Iustus Tauromenitanus Concilio Lateranensi sub Martino.

Thermæ &c.] Paschalis adfuit Concilio Lateranensi sub Martino.

Catana &c.] Ad Elpidium Episcopum Catanensem Rescript. Pelagij Papæ habetur in Collect. Can. Card. Deusdedit lib 3 cap.116.

Triocala &c. *vulgo S. Giorgio di Triocala*] Maximus Trocalitanus adfuit Concilio Lateranensi sub Martino.

Pag.67. *Melita* &c. *Lucillus* &c. *apud Gregor.* &c.] & lib.2. ep.30. in eius depositi locum electus Traianus ex Syracusani Monasterij Abbate, vt liquet ex epist.1. lib.8. Epistol. Gregorij M.

Lipara &c. *Augustus* &c. *sub Symmacho*]

Pe-

Peregrinus Concilio Lateranenſi ſub Martino.

SARDINIA CVM INSVLIS BALEARIBVS.

C*Aralis* &c. *Lucifer* &c. *cap.*4.] Lucifer alius habetur in Notitia Africana inter Epiſcopos exulantes ſub Hunnerico Vandalo &c. Deusdedit adfuit Concilio Romano ſub Martino I. ubi abſolutè Epiſcopus Sardiniæ Inſulæ vocatur.

Tegula &c. *Donatum huius Epiſc. fuiſſe dicunt*] Fuit ſine dubio Epiſcopus Teglenſis in Numidia, de qua infra pag.98.

Turris Libiſonis &c.]Marinianus [*apud D. Gregor.* &c.] & epiſt 8. lib.7. Indict.2. ubi ſecundo loco inter Suffraganeos Calaritanæ Metropolis ponitur. Valentinus Turritanus adfuit Synodo Lateranenſi ſub Martino Papa.

Phauſania &c. *Victor* &c. *apud D. Gregor. epiſtol.*1. *lib.* 9. *Indict.*4.] Idem ille eſt, qui lib.7. Indict. 2. epiſt.8. inter ſex Epiſcopos Sardiniæ legitur. [*Simplex*] Simplicius.

Euuſum &c] Eſt Ebuſus Balearium Inſularum minima, vulgo nunc *Yviza*, quæ cum cæteris tunc ad Africam pertinebat.

Minorica &c.] Severus Minoricenſis Inſulæ Epiſcopus legitur apud Evodium li.1.

cap.2.

cap.2. de Inventione reliquiarum s. Stephani. tom.10. S. Augustini.

Hoc loco subiungenda erat Corsica.

ILLYRICVM OCCIDENTALE.

PAg.68. n.1. lin.7. *Postea tamen ampliores obtinuit* &c.]Hic Illyridem provinciam peculiarem cum integra Diœcesi, quæ Præfecto Prætorio Illyrici postea parebat, confundit.

NORICVM.

PAg.77. *Petovium* &c. *vulgo Petaw, Gallis Passaw*] Hic duos confundit Episcopatus, Patavium, scilicet ad Oeni & Danubij confluentes, olim Batava castra, nunc *Passaw*, & Petavionem in Carnis ad Dravum fl. vulgo nunc *Petow*: Illa Norici civitas fuit, hæc Pannoniæ; illius Episcopus fuit Erchenfridus.

DALMATIA.

S*Alona* &c. *hodie Salone Dalmat. Metrop.*] Maximus Salonarum Dalmatiæ Episcopus in fragm. s. Hilarij, vixit tempore Sardicensis Concilij. Frontinus Salonensis

ob

ob defensionem trium Capitulorũ in Thebaidem relegatus anno Christi 555. Petrum successorem habuit Victor Tunnunen. Chronic. ad eum annum. Alius Maximus apud s. Gregorium lib. 7.

Epidaurus &c. *D. Greg.* &c. *meminit Florentij Ep. Epid.*] & lib. 7. ep. 12.

Scodra] infra pag. 210. [*vulgo Scutari*] Senecio πόλεως Σκοδείνης Episcopus subscripsit Concilio Ephesino. Erat Metropolis provinciæ Prævalitanæ, quæ à Dalmatia omnino separanda. Vide infra pag. 210. sub Scodritana Metropoli fuit Doclea, vt apparet ex s. Gregorio lib. 10. epist. 34. ad Constantinum Scodritanum [*D. Gregor.* &c.] & Constantij lib. 10. ep. 34.

* DOCLEA. Ptol. infra pag. 210. ponenda Illyridis civitas, vulgo in ruinis nomen servat. Paulus Doclealinæ civitatis Episcopus apud S. Gregorium M. lib. 10. epist. 33. & 34.

* SENIA. Liburniæ civitas littoralis Plin. Ptol. vulgo *Segna*. Laurentio eius Episcopo scribit s. Innocentius primus epistol. 12. Maximinus Senensis in Concilio Chalcedonensi.

AFRI-

AFRICA.

PAg.79 n.1. verſ. 22. *Tandem in ſeptem provincias* &c.] Procopius lib. 2. Vandal. Mauritaniam in duas partes ſive provincias dividit, quarum illam Primam vocat, & Sitiphim Metropolim habere ait. Alteram Secundam appellat, cuius Metropolis Cæſarea. Priorem illam Zaben quoque dictam ſcribit. Proconſularis Numidiæ legitur in Cod. Theodoſ. l. 39. lib. 11. De annona & tributis, vbi legendum diſtinctis vocibus, *Proconſularis & Numidia* res ipſa poſtulat.

Pag. 80. n. 11. v. 16. *Hæc ſtructuræ elegantia*] Egregium locum in laudem Carthaginis, & de Epiſcopi illius primaria auctoritate habes apud Auguſtinum epiſt. 162. contra Donatiſtarum pertinaciam.

Num. 3. v. 36. *Quantum ad Eccleſiaſticam* &c.] Præcipuum hanc in rem teſtimonium Tertulliani lib. Præſcrip.

Pag. 82. v. 36. *Scio equidem prohibitum eſſe à Patribus Concilij Milevit.* &c.] Eſt Concilij Carthaginēſis ſub Aurelio Epiſcopo anno 418. habiti, canone 28. & paulò poſt: [*Scio & eandem mentem fuiſſe Patrum Concil. Carth.* VI. *celebrati tempore Zoſimi, Bonifatij,*

& Cælestini] sunt diversa Concilia.

Pag.83. n.4. vers.21. *ætate D. Cypr. vnica tantùm erat* &c.] Africam proprie dictam intelligit, quæ & Proconsularis dicta : Huic alias duas adiungit, vel potiùs tres. Numidiam & duas Mauritanias. Erunt ergo, ni fallor, tres vel quatuor provinciæ. Sic quoque epistola ad Iubaianum, tres hasce provincias manifestè distinguit, Africam, Numidiam,& Mauritaniam. Cæterùm August. quoque non vno loco Africam Proconsularem simplici & mero Provinciæ nomine appellat. Nunquid fortè quod sola hæc pars, capta Carthagine, in provinciæ formam à Romanis redacta fuerit?

Pag.85. n.6. v.10. *Patetque de Sitifensi ex Cod Græco Can. Afr.* &c. *qui a nonn. sed parũ certo Conc.*iij.*Carth. tribuitur*] Fuit decretum Concilij Hipponensis, cuius Breviarium deinde Tertio Carthaginensi promulgatum fuit.

Pag.86. n.7. v.15. *Nunc de qualitate Metropolitanorum* &c.] De auctoritate horum Primatum in suæ cuiusque provinciæ Concilijs egregius est locus & in primis notandus apud Augustinum epist. 162. contra Donatistarum pertinaciam. Nemo enim Acta Conciliorum in potestate sua habere poterat contradicente Primate.

Pag.

Pag.88.n.8.verſ.12. *Fateor duo genera eorum qui ad Primatum evehi* &c.] Mens ſancti Gregorij multò clariùs elucet ex antecedente epiſtol. 72. ad Gennadium Exarchum Africæ, cuius locum hic apponi operæ pretium fuiſſet, ille enim nulla interpretatione, aut divinatione indiget.

Pag.89. n.9. verſ. 30. *Concil. Milev. anno 502. celebrato*] In Concilio Carthaginenſi anni præcedentis 401. leguntur Honoratus & Vrbanus Legati provinciæ Mauritaniæ Sitifenſis in cod. can. pag. 205. Sed iidem Legati leguntur in Concilio Carthaginenſi anni 397. unde iam tunc ſeparatam provinciam fuiſſe conſtat in eodem cod. can. pag.208.

Paulò poſt lin.39. *Hos ab antiquis Concilijs Africanis conditos fuiſſe crediderim*] In Concilio Hipponenſi anni 393. hoc petitum conceſſumque fuiſſe, ut Sitifenſis provincia primæ Sedis Epiſcopum haberet ex Canone eiuſdem Concilij diſcimus, qui in Concilio Carthaginenſi anni 525. ſub Bonifatio Epiſcopo legitur.

Pag.90. n.10.v.30. *Numidia habet pro terminis* &c.] Numidia conſularis appellatur in Coll. Carth. 1. §.18. & apud S. Auguſtinum epiſtol.134. Numidiarum duarum mentio fit.

PROVINCIÆ PROCONSVLARIS, SIVE ZEVGITANÆ.

PAg. 91. Victor Vitensis lib. 1. affirmat hanc provinciam habuisse CLXIV. Episcopos lib. 1. p. 6. b.

Carthago] De Charthaginensium Episcoporum successione Baron. ad Martyrol. 26. Octobris. Restitutus Martyrol. 9. Decembris. Possidius in Indiculo. Cyprian. epist. 55. Ante Cyprianum fuit Agrippinus, Donatus, Fabianus; post, Mensurius, Cæcilianus, Lucianus, Rufus, Gratus, Genethlius, Aurelius, Capreolus, Quodvultdeus, Deogratias, Eugenius, Bonifatius, Reparatus, Primasius, sive Primosus, Victor, Publianus, Fortunatus, omnes ibidé celeberrimi.

Sicilibra] Sicilibba Tab. Peuting. Sicilibba in Concil. S. Cypriani & D. August. lib. 7. &c. Cilibiensis Tertullus collat. Carthag. huc referendus infra pag. 114. Prætextatus Sicilienſis Concil. Carthaginen. anno 419. in cod. can. corruptè legitur; sed ms. Vatican. Sicilibensis. Et sic Dionys. Exigui collectio canonum. alius ms. vetus Sicilibbensis.

Maxula] Colonia, [*Anton. in Zeugitana*] Maxulla Plinio, [*Numidius Episc. est in Coll. Carth.*

Carth.] Et in Concilio ſub Genethlio. Carcadius in Notitia Victoris: & alius Numidius in Concilio Bonifatij. Hinc Martyres Maxulitani Martyrolog. 9. Aprilis, de quibus videndus s. Auguſt. ſermo.

Vallis. Quodvultdei Epiſc. Vallitenſis] Volitenſis legitur in collat. Charth. infra p. 93. Reſtitutus Vallitanus Concil. Bonifat. Bonifatius Ballitanus Donatiſta apud Optatum lib. 2.

Vthina] Vtina. Lampadius de Vtina adfuit Concilio Arelatenſi I. in collat. Carth. Iſaac Vtinenſis & Felicianus Donatiſta, Ex Concil. Carth. S. Cypriani. Gallonianus Vtinenſis Concil. Carth. anno 419. cod. can. Timianus Vtinenſis. col. Carth. Feliciſſimus Epiſcopus plebis Sedelenſis, qui & Vtinenſis in Concil. Carthag. Bonifatii.

Tuburbo] Tuburbum maius; Tuburbitana civitas maior Victori Vitenſi. Plinio Tuburbis. [*Sedatus* &c.] Benenatus Tuburbitenſis in Notitia Africæ apud s. Cyprianum p. 401. Optatus habetur in Actis ss. Perpetuæ & Felicitatis, quæ inde Martyres Tuburbitanæ s. Auguſtino. Cyprianus Epiſcopus Tuburbitanorum maiorum coll. Carth. Fauſtus in Concilio Arelatenſi I.

Abdera] Eadem cum Abbir ſive Abbi-

rita infra p.93.& in fine huius paginæ [*Abdiritanus legitur &c.*] ſcribendum Abbiritanus &c. Idem Abaritanus in Notitia Africæ.

Aſſurus] Aſſuritana civitas Auguſt.lib.1. contra lit. Petilian. cap.15.] *Coſmographia*] Plinio Aſſuritanum oppidum. A. Hirtio Aſcurum oppidum maritimum Mauritaniæ; ſed hoc non poteſt eſſe idem. Fortunatianus & poſtea Epictetus Epiſcopi Aſſuritani apud Cyprianum epiſtola 64. Evangelus in collat. Carthag. Epiſcopus Catholicus. Idem Evangelus Aſſuritanus adfuit tertio Concilio Chartag. anni 397. collect. African. §.33. Prætextatus Aſſuritanus Donatiſta apud s. Auguſtinum lib.1. contra Parmen. lib. de vnitate Eccleſiæ cap.18. & epiſt. 255.

Tucabor. Fortunatus &c. *apud S. Auguſt. lib.6. contra Don. cap.24.*] Ex Conc. S. Cypriani. Megaſius Tucaborenſis Donatiſta in coll. Carthag.

Altibura. Baſil. Epiſc. Altiburenſis] Altiburitenſis &c. Idem infra pag.96. malè Altabenſis. Altaburos Tabul. Peuting.

Vazua] Victor Vuazenſis.

Ammedera. Anton. in Numid.] & Tab. Auguſtana. Procop. 4. ædific. Ἀυμέτιερα, qui in Byzacio ponere videtur. [*Eugenium Epiſc.*

Epiſc.] fuit in concilio S. Cypriani . Speratum Ammadorenſem coll. Carth.

Sicca] Sicca-Veneria, [*Ptol. lib.4.cap.3.*] Procop. 2. Vandalic. de eius ſitu . Fortunatianus Siccenſis in coll. Carthag. fuit vnus ex ſeptem deputatis Catholicis. Huc etiam referendus Vincentius Ziggenſis in Notit. Africæ . Vrbanus Siccenſis commemoratur in epiſtola Concilij Carthag. xviij. ad Bonifatium Papam in cod. canonum.

* Fvrni . Vnde Geminius à Furnis apud S. Auguſtinum infra pag. 114. Et Simeon Epiſcopus plebis Furnitanæ ex Provincia Proconſulari in Concilio Bonifatij. Eodemque pertinet Florentinus Furnitenſis coll. Carth. ſic enim pro Furvitenſis legendum exiſtimo .

Simingita . Vnde Creſconius Simingitanus in Conc. Bonifatij ; & Reſtitutus Simingitenſis coll. Carth. infra pag. 115. & Deuterius Simminenſis ex Notitia Africæ huc quoque pertinet .

* Aptvnga , vel Avtvnga . Ex hoc loco Felix Aptungitanus, Aptugnitanus, col. Carthag. 1. §. 18. Alibi Aptugnenſis Cæciliani ordinator apud Optatum lib. 1. in fine eiuſdem libri Autungitanus ſcribitur . Sic & Saturus Aptugnenſis in Concilio Bonifatij . Et Ianuarius Aptucenſis in coll.

Carthag. Magnus Aptungenſis Concilio ſub Grato. Plinio Abutucenſe oppidum. Hinc & Paulus Abtucenſis Epiſcopus infra pag. 93. vbi malè Tabucenſis apud Ptolemæum ἀβουθηα malè legitur pro ἀβυθρα, vel ἀπτυγηα. Alius Felix Aptugnitenſis in coll. Carth:

* ABBIR maius, cuius Epiſcopus Felix in coll. Carthag. vide pag. 93. ad Abbirita, & pag. 113. & alius Felix Abbiritanus in hiſtor. perſec. Vandal.

Pag. 92. *Thinniſſa*] Huius fit mentio in Martyrolog. Rom. vbi Felix Martyr, cuius meminit S. Auguſtinus in pſal. 127.

Tuburbo minus Ant. in Zeugitana] Victor Epiſcopus Tuburbitanorum minorum in coll. Carthag. & Maximinus eius aduerſarius Donatiſta.

Membreſa Ant. in Zeug.] & Procopio 2. Vandal. [*Gemadius*] Gennadius [*Ep. Memb. eſt in eadem Coll. Carth.*] Salitius Membreſitanus Auguſt. lib. 3. contra Parmenian. in fine. Paſchaſius Membreſitanus Concilio Bonifatij. Vide omnino Procopium 2. Vandal. p. 145. qui μεμβρήσαν vocat. Grotius malè Membriſſam.

Melzita Plin. lib. 5. cap. 4.] Ptol. Μέλδεια. Valerius Melzitanus Maximianiſta damnatus à Donatiſtis in Cõcilio Bagaienſi apud

S. Au-

S. Auguſt. lib. 3. contra Creſcon. Gram-mat. cap. 19. & 53. fuit vnus ex xij. Ordi-natoribus Maximiani Cabarſuſſi.

Vtica &c.] Victor Vticenſis adfuit coll. Carth. Flavianus ſubſcripſit epiſtolæ Sy-nodali. Et alius Victor ſubſcripſit Concilio Arelatenſi I.

Theudalis] Equitius eius Epiſcopus cod. canon. can. 78. & 93. ob ſcelera condem-natus a Concil. Carthag. quinto, & poſtea eiectus lege Honorij, rogatu Concilij Car-thag. decimi. Vrbanus Theodalenſis in coll. Carthag.

Hippo-zaritos] Hippo-zaritus Plinio aliſ. que. Vide Chifflet. ad Ferrand. pag. 285. [*Petrus huius Epiſcopus ſubſcr. Concilio ſub Cypriano.*] Donatus Hipponizaritenſis. Marianus in Notit. Africæ. Hippodiaritos vero nomine Inde Florentius Hipponien-ſium Diarritorum Epiſcopus ſubſcripſit li-bello Leporij. Item Hippenſis Zaritonenſis vocatur in coll. Carth.

Membro] Fortè eadem cum Membreſa, ſed omnino ſcribendum Membloſita. Vn-de Theaſius Membloſitenſis in coll. Carth. & [*Bonifat. Ep. Memb. eſt in Not. Afric.*] in Proconſulari.

Lapda] eadem infra pag. 110. Labdia; [*cuius Epiſc. Iona legitur &c.*] Victor in Conc. *Bulla-*

Bonifatij.

Bulla-regia Not. Afr.] Epigonius in canon. Concil. Afric. Ioannes Bullensium regiorum in Not. Africæ.

Tennona &c.] Optatus Tonnonensis adfuit Concilio Carthag. sub Bonifatio. Et Victoris Tunnonensis Episcopi notissimum extat Chronicon.

Beneventum &c.] Anastasius Beneventinus Concil. Arelat. I.

Simithu] Σύμιθα Ptolem. Simittuense oppidum Plinio, [*cuius Episcop. Benenatus*] Simittensis in coll. Carthag. [*subscripsit epist. Syn.*]

Thele] Alia fuit in Byzacena infra p. 100 Tiella & Zella & Tzella. Vnde Donatianus Zellensis coll. Carthag. adfuit. Hinc etiam Thilense, Tiellense, & Zellense Concilium: & Natalicus Donatista Tzellensis infra pag. 115. [*Cuius Episcopus Bonifatius*] Deum habet [*dicitur ibid.*]

Carpis] Carpi Plinio [*Ptol. lib. 4. cap. 3.*] Pentadius Carpitanus Concil. Carthagin. anni 419. in cod. canon. Antonius Carpitensis coll. Carthag. Secundinus à Carpis Concil. s. Cypriani. Venerius Carpitanus Concil. Carthag. Bonifatij.

Vtimmira &c.] Severus Episcopus plebis Vtimari in coll. Carthag.

Misua &c.] Servus Dei Missuen cõc. Bonif.

Duasse-

Duaſſedemſai] Eadem infra pag. 95. v. I. reponitur. Ex collatione autem apparet verum nomen fuiſſe Duaſſenemſal. Itaque Epiſcopi iſthic notati huc referendi. Puto duo fuiſſe loca, quibus idem nomen Selemſal. [*ubi Mannucius eius Epiſcopus dicitur*] epiſtol. Synod.

Migirpa Victor Migirpenſis in Coll. Carthag. D. Auguſt. lib. 6. contra Donat. cap. 9.] ex concilio s. Cypriani in quo Felix &c. Tutus Migirpenſis conc. Carthag. anno 397. in cod. can.

PAPIA, PVPIA, PVPIANA [*Notit. Afric.*] in qua recenſetur Reparatus Puppianenſis. Victor Senex Puppianenſis conc. Carthag. ann. 397. in cod. canon. Gaudioſus Puppianenſis adfuit conc. Carthag. Bonifatij.

Pupput &c. *Panonius Epiſcopus*] Puppitenſis. Guloſus Puppitanus epiſtol. Synodal. Proconſ. Fortunatus Puppitanus, concilio Carthag. Bonifatij.

Vrcita] * VCI. An Vſceta hæc A. Hirtij? [*Quintiani meminit*] Eſt Vcitanus, vt infra hac pag.

Giſipa eid. Notit.] Vbi Caſtiſſimus Giſipenſis legitur, & Ianuarianus Giſipenſis maius in coll. Carth. unde apparet duplex hoc nomine oppidum fuiſſe maius & minus, & Giſipe aut Giſipi dictum. Conſideran-

randum an sit Γίσιεα Ptolem. Redemptus Gizipensis Concilio Bonifatij.

Vzita] infra Vci. A. Hirtio, & situs ex Hirtio cognoscitur. [*Gaius Episcopus Vzitensis*] Vcitanus &c. An hinc Felix Visiten. in collat. Carthag.

Bonusta &c. Ruf. Episcop. Bonust. mem. est in Coll. Carthag.] & Cypriani in eadem Notitia.

Cicsita &c.] & Crescens in dicta Notitia.

Neapolis] Colonia Ptolemæo. Fortunatianus adfuit Concilio Carthag. anno 419. in Cod. Canon. & iam antea Coll. Carthag. Vbi Neapolitensis vocatur. Ioannes in Concilio Carthag. Bonifatij.

* SIMIDICA. Adeodatus Simidicensis in Coll. Carth. Idem adfuit Concilio Carthag. anno 419. ubi Simidicus legitur in Codice Canonum Interpreti Græco σιμιδικίτης:

* VCI maius. Plinius lib. 5. cap. 4. commemorat Vcitana oppida duo, Maius & Minus. Collat. Carth. adfuit Octavianus Vci maius. Tripolius Vcitanæ Ecclesiæ Episcopus. epistol. Synod. Proconsul. & fortè Vciminensis. Octavius in Coll. Carth. ad alterum pertinet, vt notavi infra pag. 115. Huc etiam referēdus Quintianus Vrcitanus ex Notitia Africæ, ubi Vcitanus legendum. Tripolius Vcitanus in epist. Synod. Proconsul.

Pag. 93. *Culsita*] Culusita, Culusitana civitas Victori lib. 3. [*Notitiæ Africæ*] ubi Æmilianus Culusitanus. Nicasius Culusitanus Conc. sub Grato cap. 6. Vincentius Culusitensis adfuit collat. Carthaginensi vnus ex septem Collatoribus . & conc. Carthagin. anno 419. in cod. Canon. Adelphius Culusitanus Concil. Arelaten. I. Martianus Culusitanus conc. Carthag. Bonifatij.

Curbi] rectiùs [*Curubi Anton. in Zeugitana*] Locus exilio s. Cypriani nobilitatus, in cuius Actis civitas Curubitana vocatur, quæ Pontio Diacono Curubi . Peregrinus Curubitanus in Concil. Carth. Bonifatij.

Cefala cuius Episc. Crescis] Crescens &c. Fidentius Cefalensis collat. Carthag.

Bulla &c. Therapius à Bulla adfuit Concil. Carthag.] sub s. Cypriano. Porphyrius Bullensis Concil. Bonifat. .

Clypea &c.] Crescens Concil. Bonifatij : Laodicius in collat. Carthag.

Meglapolis Notit. Africæ] Vbi Coronius eius Episcopus legitur . Reparatus Meglapolitanus coll. Carth. adfuit .

Timida] Regia . eadem repetitur infra, pag. 110. [*Epistolæ Synodicæ*] ex Conc. sancti Cypriani apud D. August. &c. in Coll. Carthag. Tumida scribitur, ubi Ianuarius eius Episcopus catholicus & Victorianus Donatista

tiſta. In Pariſienſi editione Tumidenſis legitur. Reſtitutus Timedenſium regiorum in Concilio Bonifatij.

Zigga] SICCAM eſſe non dubito. ita Ziccenſes in collat. pag. 146.

Semina &c.] Iunianus Siminenſis in conc. Carth. Bonifatij.

Pariſium] An Pertuſa hæc Antonini prope Carthaginem unde Martialis Pertuſenſis Maximianiſta apud Auguſt. lib. 3. contra Creſcon. cap. 19. & 53 ?

Rurama. Luc. Epiſc. à Ruc. meminit D. Auguſt. lib. 7. contra Donat. cap. 7.] ex concilio S. Cypriani.

Tagara] TAGARATA, inde Honorati Epiſcopi Tagaratenſis memoria eſt in Notit. Africæ, & Lucius Tagaratenſis in Collat. Carthag.

Cellæ &c.] Honorius Cellenſis in collat. Carthag.

Vzipparita] VZIPPARA &c. Huc pertinet Paulus Vzittarenſis in coll. Carthag. ſcribendumque Vzipparenſis; ſed nil mutandum: nam ibi Mariani Vzipparitani mentio. Marianus Vzipparenſis adfuit Concilio Carthag. anno 419. Cod. can. Sementius Concilio Bonifatij.

Abbirita] Adeodatus epiſt. Synod. [*Candidianus*] Candidus [*Epiſc. &c. adfuit Concil. Carthag.*

Carthag. 7.] anni 419. in cod. canon. Hæc quoque Abbir Germanicia S. Auguſt. infra, pag. 113. cuius Epiſcopus Succeſſus. Sic Candidus, quĩ in ipſo concilio Abbiritanus in ſubſcriptionibus Germaniæ vocatur. Et in ms. Vaticano Abbiritenſis Germanicianorum. Ante hunc Victor Abziritanus adfuit Concilio ſub Genethlio. Fructuoſus Abzyritenſis collat. Carthag. Victor Amburenſis, fortè Abbirenſis.

Auſana] Auſapha. S. Auguſtinus lib. 3. contra Creſcon. cap. 19. & 53. Salvius Auſaphenſis vnus ex 12. Ordinatoribus Maximiani, & ideo damnatus in concilio Bagaienſi.

Tabuca] eſt Abtuca pag. 91. A. Hirtius Buccam oppidum Vzitæ confine refert.

Maraggarita] Naraggarita. Ortelius ex Victore Vticenſi MAGGARITA refert &c. Fauſtinus Naraggaritenſis Donatiſta coll. Carth. Benenatus Naraggaritanus in epiſt. Synodica Proconſ. Victorinus Nagargaritanus in Concilio Bonifatij.

Muzua &c. cuius Epiſcopus] ibidem Felix Muzuenſis &] *Rufinianus ſubſc. Concil. Carthag.* 7.] anni 419. vbi Muzucenſis legitur in cod. canon. Rom. Muzubenſis codex Iuſtelli; ſed ms. Vatic. antiquiſſimus Muzienſis legit. ſed in Collat. Carth. ſcribitur Muzuenſis.

Abi-

Abitina &c. epistol. Synod. & D. August. lib. 7. contra Donat. cap. 28.] ex concilio s. Cypriani, cui adfuit Saturninus ab Avitinis Augustalis, epist. Synod. Procons. [*Maximus &c.*] Abitinensium contumelias in Salvium Membresitanum Episcopum commemorat Augustinus lib. 3. contra Parmenian. sub finem.

Casula Anton. Zeug. Casulas Carianenses sedem Episc.] sed in Byzacena [*habet Victor Vtic.*] vide infra pag. 104.

Viva] Vina [*Victor Vivensis*] Victor Vinensis. Vina Vicus Tab. Peuting. & Vina absolutè Antonino. Inde Victor Vinensis, vt in Coll. Carthag. editur.

Vol &c. Crispuli Episcop. Volit. est in Collat. Carthag.] ubi eius adversarius Quodvultdeus Donatista, qui supra pag. 91. malè Vallitensis à Valle. Et Bonifatius Bolitensis in Notit. Africæ: nam BOLITA pag. seq. idem locus est.

Tunes &c.] Tunegensis legitur in utraque editione: unde rectiùs legeretur Tunetensis.

Pag. 94. *Hilta*] Hilarianus eius Episcopus in coll. Carth. Cæcilius ab Hilta in concilio Carthag. S. Cypriani; vnde nobis hactenus Bilta inaudita aliis civitas conficta fuit, quæ ponitur infra pag. 107. sed expungenda

genda. Idem nomen corruptum apud S. Auguſtinum epiſt. 272. Vbi Hilarenſe oppidum pro Hiltenſe malè editur.

Cubdis cuius Epiſc. &c.] & Thomas Cubdenſis in Coll. Carthag.

Vzala] VSALA Ptolem. & Vetus lapis VSALLA. Inde Muſtulus Vzalenſis in concilio Carthagin. Martyrol. Rom. 16. Maij. *Bonifatij Epiſcopi*. Victorianus Vzalenſis adfuit Concilio Lateranenſi ſub Martino Papa. Evodius Vzalenſis apud. S. Auguſt. epiſtol. 147. & tomo 10. operum eius extat Evodij liber de inventione reliquiarum S. Stephani.

Abora eidem epiſt. Synod.] ſubſcripſit Felix [*Trifolium*] &c.

Libertina] Victor Libertinenſis Catholicus & Ianuarius Donatiſta in collat. Carthaginen.

Scilita] Squillacius Scillitenſis in collat. Carth. Hinc Martyres Scillitani.

Aradita &c.] Æmilianum Concil. Bonifatij.

Veri] Quodvultdeus Verenſis Concilio Carthag. anni 419. Cod. Canon. Et fortè Maximinus Everenſis coll. Carth. Vitalis Epiſcopus civitatis Verenſium ſubſcripſit Concilio Arelatenſi I.

Ciumtuburbo] corruptiſſimum. Puto diſtin-

ſtinguendum, CIV. M. TVBVRBO.

Nummula. Donat. Epiſcopum Nummulitanum habet eadem epiſt. Synod.] & Aurelius Namnulitanus in Coll. Carth.

Vcula epiſt. eid. Synod.] Vbi legitur Criſconius Vculenſis. Eius Epiſcopus Procerius habetur in Collat. Carth.

Sinuara &c.] Stephanus Simuaritenſis in in Coll. Carth. Eſt enim idem locus. & ſic paulò poſt: Qui illic intendit ad Sinuar.

Succuba] corrupt. fortè Siciliba aut Tucabor.

Horta &c.] Horreenſis Epiſcopus Avus in Concilio Bonifatij.

Triſipellis] Huc pertinet Victor Triſipenſis in Coll. Carth.

Giutrambacaria] nomen corruptiſſimum.

Villa magna cuius Epiſcopus Augendus leg. in Coll. Carth.] & Rogatianus Villamagnenſis Donatiſta.

Tigimma &c.] Rogatianus in Coll. Carthagin. cum Victoriano Donatiſta adverſario.

Bolita] Vol. & Volita pag. 93.

Aga] Agar A. Hirtio. ſed vide pag. 104.

Cæcirita Quobulum] Epiſcopi nomen ſine dubio fuit Quodvultdeus.

Tatia Montanenſis] Ruffinus Tatiemontanus Concil. Bonifatij.

Mul-

Mullita Notit. Afric. cuius Episcopus Marcellinus] lege Liberatus Mullitanus [*interfuit Coll. Carth.*] Segetius Concil. Carthag. Bonifatij. Ianuarius epistolæ Synodicæ. Candorius Mullitensis in Collat. Carthag. & Marcellinus eius adversarius Donatista.

Pag. 95. *Duæsenepsalitinæ*] eadem supra pag. 92. Patronianus Senemisalensis in coll. Carthag. Ibidem Crescónius Selemsilensis: Felix Selemselitanus Concil. Carthag. sub Genethlio, vbi ms. Collect. Crescónius Selemsalitanus rectiùs legit. malè autem Chiffletius in sua editione Sesemlitanus edidit.

Eguge &c.] Fortè hinc Vrbicosus Eguilitensis in Collat. Carthagin. nisi potius sit Igilgitensis, ut & Ortelius infra pag. 106. Eguisguilitensis Pith.

NVMIDIA.

Cirta] dicitur Constantina, oppidum opulentissimum. A. Hirtio Colonia Romana. Honoratus Constantinæ Africæ Episcopus comme moratur à Gennadio inter illustres Ecclesiæ Scriptores cap. 95. Epistola illa edita habetur nomine Antonini Constantinensis Episcopi in Bibliotheca SS. Patrum. Et lib. 1. contra libr. Petiliani

cap.21. Silvanum Cirtenſem traditorem, commemorat S.Auguſtinus lib. contra Fulgentium cap.12. Creſcens à Cirta. Fortunatus apud S. Auguſtinum lib.1. contra lib. Petiliani ſtatim in principio; & lib.2. contra Petil.cap.51. cuius deceſſor Profuturus legitur apud eumdem lib. de vnico bapt. cap.6. Petilianus autem Donatiſta Cirtæ ſive Conſtantinæ Epiſcopus fuit, ut apparet ex coll. Carth. ubi Fortunatum ſuum in eadem Sede adverſarium nominat, fuit autem vterque vnus ex ſeptem partis ſuæ deputatis.

Cullu] Plinio [*in Numidia. Victoris Epiſc. Cullenſis*] Cullitenſis ſive Cullitani [*mem. Coll. Carth.*]

Ruſicade] Plinio [*in Numidia*] &c. Victor Ruſiccadienſis apud Optatum Milev. lib.1. & S. Auguſtinum lib. contra Fulgentium cap.12. vnus Traditorum fuit & condemnator Cæciliani.

Vaga] Maximianus Bagaicenſis Epiſcopus, de quo Rivius in vita Auguſtini p.312. Hic celebratum fuit Concilium Vagaienſe Donatiſtarum cccx. Epiſcoporum, ut appareret ex S. Auguſtino lib. de unitate Eccleſiæ cap.18. ubi & Vagaitanum vocatur.

*VICVS NIGRAS in territorio Vagenſi; Aſclepius Vici Nigratis Epiſcopus Gennadio de

de Illuſtrib. Scriptor. cap. 73. Sic enim optimi codices mss. iſthic legunt: & Nigrenſium Maiorum Epiſcopus Donatiſta. Lucius in coll. Carthag. Maximianus Bagaienſis ex Donatiſta Catholicus Epiſcop. S. Auguſt. epiſt. 238.

Lares] Meminit huius loci Procopius 2. Vandalic. pag. 154. Sed quia obliquo caſu Laribus vulgò appellabatur, Procopius rectum caſum inde format, Λάρεβος δὲ ἐν πόλει Λαρέβῳ, & ἐς Λάρεβον, & ſic Antoninus Suritæ Laribum. Victorius Larenſis in coll. Carth. [*Epiſcopus Hortenſius*] Hortenſianus [*eſt apud D. Cyprian. in Conc. Carthag.*] Hinc Vitulus Larenſis concil. Bonifatij, ſed in Proconſulari. Et Reſtitutus Laritenſis in collat. Carth.

* Drvsilliana Tab. Peuting. xii. m.p. à Laribus. Hinc Rufinus Druſilianenſis in coll. Carthag.

Mileum] eſt ſine dubio Milevum infra pag. 100.

Idicra &c.] & Felix Idicrenſis Donatiſta apud Optatum Milevitanum lib. 2.

Cuiculum &c.] Creſconius Cuiculitenſis coll. Carthag. Elpidophorus Cuiculitanus in concilio Grati, Victor Cuiculitanus in Notitia Africæ.

Gemellæ] fuit Colonia Romana ſub Ha-

driano Imperatore, ut Ligorius ex eius nummo docet ÆLIA. HADRIANA. GEMELLINA. Ortelius Africæ propriæ tribuit. [*Licteus*] Litteus [*Episcop. à Gemel. subscr. Conc. Carth.*] sub S. Cypriano & epist. Cypriani 77.

Cullicitanis] eadem cum Culsita sive Colusita supra pag. 93.

Zama] Regia. COLONIA ÆLIA HADRIANA AVGVSTA ZAMA REGIA in veteri inscriptione. Fuit enim Iubæ Regia, teste A. Hirtio & Vitruvio lib. 8, cap. 4. quem vide. [*Marcellum Episc. à Zama habet*] Concil. S. Cypriani & [*D. August.*] &c. Dialogus Zamensis collat. Carthag. & Montanus Donatista vnus ex septem Collatoribus. Huc quoque referendum puto Cresconium Zabensem inter Episcopos Numidiæ Notit. Africæ, ubi Zamensem legendum existimo. Nam Zabi Mauritaniæ habetur infra pag. 106. cuius Episcopus Possessor in eadem Notitia legitur. Quis vero credat Zamam Numidiæ Coloniam insignem, aut tum interiisse, aut Episcopum non habuisse, aut ab auctore Notitiæ omissam fuisse?

Sinitu] Siniti [*Cresconius*] Siguitensis [*quæ etiam habet Benenatum Simitten.*] supra pag. 92. [*Vnde dubium est an eadem sit cum Simittu*] est omnino diversa. Lucullus Epi-

Episcopus Castelli-Sinitensis quod Hipponensi Coloniæ vicinum est apud S. Augustinum lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. Idem confirmat epist. 127. Maximinus Sinitensis ex Donatista Catholicus apud S. Augustinum epist. 166. & 203. vbi Critic. August. Vide.

Aquæ Tibilitanæ &c. *Marinus Episc. ab Aq. Tibil. legitur apud Optat. lib.* 1.] & apud S. Augustinum lib. contra Fulgentium cap. 12. & epist. 165. ubi eum inter Traditores commemorat, & Cæciliani Carthaginensis condemnatores. Simplicius Tibilitanus habetur in Notitia Africæ. Proiectum Episcopum commemorat S. August. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8.

Hipporegius &c.] Augustini præcessor Valerius fuit, successor Eradius. S. Theogenes Martyrol. 26. Ianuarij. Tres ibi fuere Donatistæ Faustinus, Proculeianus & Macrobius.

Tubursica &c.] Vide Rivium p. 312. de crudelitate Donatistarũ in Servum Dei. Ianuarius de Tubursicu Numidiarum collat. Carthag. Episcopus Donatista. Maurentius Tubursicensis in concil. Carthag. can. 67. nisi potius Novæ Germaniæ fuerit, cui ad causam dicendam Tubursicensis civitas assignatur. Sed est Tubursicensis in collat.

Carthag. Fortunius Tuburſicenſis Donatiſta S. Auguſt. epiſt. 163. Creſcens Aquitanæ civitatis Metropolitanus, hoc eſt Primas apud Vict. lib. 1.

Calama &c.] Poſſidius celebris Scriptor vitæ S. Auguſtini eiuſdem Epiſcopus adfuit concilio Carthag. ann. 419. & in Collatione vnus fuit ex ſeptem deputatis. Criſpinus Donatiſta eius adverſarius. Megartius Calamenſis S. Auguſtini ordinator Primas Numidiæ.

Gaſauphala] Γαζόφυλα apud Procopium 2. Vandal. quem vide de eius ſitu. Ptolem. Gauſaphna. Marcus presbyter Caſphalianenſis ex Donatiſta Catholicus apud S. Auguſtinum epiſt. 166. Saturninus Gaſabianenſis in coll. Carthag.

* ZVMA SVMMA, unde Silvanus Summēſis Epiſcopus ſenex provinciæ Numidiæ in coll. Carth. ſed paulò poſt; Felix Zumenſis Silvani adverſarius vocatur: itaque Zuma legendum.

* CONSTANTIA, ſive Conſtantienſis civitas in coll. Carth. cuius Epiſcopus Petilianus Donatiſta. Ibidem adverſarium ſuum nominat Catholicum Epiſcopum Fortunatum: ſed hæc eadem cum Cirta.

* LIMATA, unde Purpurius Limatenſis in concilio Cirtenſi apud Optatum Milevitanum

num lib. 1. & apud S. Augustinum lib. 3. contra Cresconi. Grammat. cap. 28. & epist. 162. ubi malè Liniacensis editur.

* Mvtvgenna, S. Augustinus ep. 203. ad Maximinum Episcopum Donatistam, qui Mutugennensem Diaconum Catholicum rebaptizauerat. In coll. Carth. Antonius Mutugenensis legitur, & Splendonius Donatista Mutigennensis eius adversarius, quem Maximini successorem credo, quod S. Augustinus eam epistolam adhuc Presbyter scripserit. Sed epist. 204. iterum meminit eiusdem loci, quem villam fuisse apparet, & Mutegenna scribitur; Presbyter tamen eius Donatus Mutugennensis, ut epist. præcedenti.

Pag. 96. *Tigillaba*] Reginus Tigillavensis habetur in coll. Carthag.

Rotaria. Felix Episc. à Rotario legitur apud Optatum lib. 1.] Sed ille Rotarium Centurionis cognominat. Felix Donatista Rotariensis in coll. Carthag.

Tipasa] Tabula Peuting. Firmus Tipassensis in concilio Carthagin. Bonifatij Episcopi.

Tagaste Ant.] Tagastis in coll. Carthag. pag. 141. Firmus eius Episcopus in Martyrolog. Romano 31. Iulij, ubi Baronius ex S. Augustino. [*Alypius eius Episcopus*] notus

notus contubernio S. Auguſtini, fuit vnus ex ſeptem Collatoribus in Concilio Carth.

Thigura, vel Thagura] Martyrol. Rom. 5. Decembris. Thagura. Tabul. Peutinger. Tagora. Poſthumianus Epiſcopus Tagorenſis habetur in Coll. Carth. & Reſtitutus Tagorenſis in eadem Collat. Timotheus Tagorenſis in Notit. Afric. Tagora S. Auguſtino epiſt. 217. eiuſque Epiſcopus Xantippus Primas tunc Numidiæ, cuius etiam meminit Concilium Africanum cap. 52. & 53. in lib. Canon. S. Auguſt. ms. Tageſenſis ſcribit, ut fortè fuerit Epiſcopus Tigiſenſis.

Altaba &c. *Baſil. leg. in eadem Coll.*] & in Concilio Carthaginenſi III. ſed hic fuit Altiburenſis in Proconſ. ſupra pag. 91.

Vegeſela] fuit vicina Cillitæ [*cuius Epiſc.*] Privatus interfuit Concilio Carthaginenſi ſub Grato. Privatianus, idem puto, adfuit Collat. Carthag. Vigeſelitenſis, imò potius Vigelitenſis, & eſt omnino diverſus a Regino Vegeſelitenſi, qui Gavinium adverſarium Donatiſtam in Collat. Carth. habuit. [*Reginus adfuit Collat. Carthag. & in Concilio Carthag. anno* 397. *Cod. Canon.*] Ianuarius in Concilio Bonifatij. Donatianus Veſeli in Not. Afr. nam Veſeli infra pag. 100. idem locus eſt, ſed corruptus. Huius Eccleſiæ nomen

men corruptum est apud S. August. ep. 235. ubi Badeselitana malè legitur pro Vegeselitana : & ita rectiùs sub finem epistolæ Vegeselitana scribitur . Ex epistola illa appareret Reginum Episcopum à plenario Concilio fuisse depositum ; quod ad Concilium anni 399. referendum videtur : nam restitutum posteà cognoscimus ex Concil. Carthaginensi VI. habito anno 401. can. 78.

Mascula eid. Anton. in Numid.] Clarus à Mascula in Concilio S. Cypriani . Malchus Masculitensis in collat. Carth. Ianuarius in concil. Carthaginensi Bonifatij .

Macomades] Donatus Macomadiensis ex Donatista Catholicus apud S. Augustinum lib. 2. contra Cresconi. Cathol. [*Aurelius*] Magomaziensis alibi legitur & Macomaziensis eiusque adversarius Salustius Donatista .

Tamugada &c.] Lupianus, non Lupicinus, Tamagudensis apud Binium to. 1. pag. 583. Faustinus Tamogadensis in collat. Carth. qui Gaudentium vnum ex septem Donatistis Collatoribus adversarium habet . Tamugadis Procop. lib. 2. Vandal. Ταμυγάδλιν vocat pag. 152. qui eius situm describit . Et S. August. epist. 61. Secundus Tamugazensis in Notit. Africæ . Est enim idem locus infra pag. 98. Novatus à Tamugade in concilio

cilio S. Cypriani. S. Auguſt. duos libros ſcripſit contra Gaudentium Tamugadenſem Epiſcopum Donatiſtam, qui vnus fuit ex ſeptem deputatis in Collat. Carthag. & huius deceſſor Optatus Gildonianus de quo S. Auguſtinus epiſt. 164. Vbi eum famoſiſſimum & malè diffamatum Epiſcopum Tamugadenſem vocat.

Lambæſa &c. Ian. à Lamb. ſubſc. Conc. Carthag. ſub Cypr.] qui & Labeſitani Concilij meminit epiſt. 55. ubi Labeſitanam Coloniam vocat.

Tabuda. Vict. Vtic. ms. apud Ortel. & Notit. Afric.] Vbi Fluminius eius Epiſcopus habetur. [*Victorianus*] Victorinus [*Epiſc. Thabud.*] eſt pag. 131. [*in eadem Coll. Carth.*] Alibi Tabudeſenenſis, edit. Pithei Pariſ. Tabudeſenſis.

Municipium] Fortè hoc Municipium Tulienſe, ſive Tullienſe in Numidia, cuius Epiſcopus Marianus in Concilio Carthagin. Bonifatij. Eiuſdem Municipij Tullienſis meminit S. Auguſt. lib. de cura pro mortuis cap. 12. ubi illud Hipponi proximum eſſe ſcribit.

Vada &c.] Huc refero Dativum à Badis in Conc. Carth. S. Cypriani.

Centenaria Notit. Afr.] Creſconius Centenarienſis in coll. Carth.

Ampho-

Amphora Collat. Carthag. Ampora Vict. Vtic. ms. apud Ortel.] Donatus Catholicus & [*Seruatus Episcopus*] Donatista [*Amph. mem. in Coll. Carth.*] & Cresconius Amporensis in Notitia.

Buconia] Bucconia [*Collat. Carthag.*] Vbi Donatus eius Episcopus Donatista legitur.

Sugita] Puto hanc Siguita esse, unde Cresconius Donatista Siguitensis & Siguitanus in coll. Carthag. legitur. Et hic fortè Siguense metallum apud Cyprianum epist. 80. Episcopi enim eò relegati omnes sunt Numidæ.

Fussala] Nunquid hæc Fissana collat. Carthag. Vnde Currasius Donatista? Non puto: nam ante Antonium illum locus hic Episcopum non habuit. [*Antonij Episc. Fussalæ*] melior Fussalensis Notit. Africæ.

Pag. 97. *Idassa*] Vicina Macomadibus. [*Rogatianum*] Donatistam [*Episc. Idas. habet Coll. Carthag.*] Adeodatum Idassensem Notit. Africæ.

Monte Peutingero] Tabulæ Peutingerianæ.

Lamsorte Coll. Carthag. cui Anton. Episcop.] Donatista [*Lamsorten. adfuit*] Florentius Lamfortensis in conc. Carth. Bonifatij Episcopi inter Episcopos Proconsulares subscripsit.

Casæ

Caſæ mediancecuius Civ. Epiſc. Villicus] Villaticus Ortel. & ſic in ratione fidei B. Eugenij à Caſis medianis. Et Notit. Africæ de Caſismedianenſis. Ianuarius Caſaſmedianenſis collat. Carthag. cum Æmiliano Donatiſta.

Cethaquenſiſca] Cathaquenſa [*D. Auguguſtino, qui epiſt.* 129. *ad Olimpum mem. Bonifatij Epiſc. Cathag.*] qui etiam adfuit coll. Carthag. Paulus Cataquenſis apud S. Auguſtinum epiſt. 126. & epiſt. 124. cuius vitam & mores acriter reprehendit epiſt. 216. eiuſdem ſucceſſor Bonifatius apud eumdem Auguſtinum epiſt. 124. & epiſt. 128. Vide Notas Critic. Auguſt. ad epiſt. 124.

Centuzia] Centuria, vt pag. ſeq.

Nobagermania &c.] Maurus Epiſcopus in cod. Afric. concil. XI. Idem locus infra, pag. 99. abſolutè Germania vocatur, & eius Epiſcopus Innocentius ex collat. Carthag. Maurentius fuit Tuburbicenſis in eadem. Collat. Germanicianenſes alij erant in parochia Hipponenſi, vt patet ex S. Auguſtino epiſt. 212.

Suſicaſia] Suſicazia [*Euſebius in Not. Afr.*] Suſicazienſis vtrobique.

Vazarita Notit. Afr.] Vitalianus Vazaritanus, & Adeodatus Bazaritanæ plebis Epiſcopus in Collat. Carth. vbi & Calipotij

adver-

adverſarij ſui Donatiſtæ meminit. Iuliani Vazaritani mentio habetur in tertio Concilio Carthagin. in cod. canon. African. can. 54.

Reſſana &c.] Vigilius Reſſanenſis Not. Afr. [*Reſſanenſis*] Reſſianenſis.

Augurium] Augurum [*Leporij huius Civitatis*] Leporij Augurenſis. Nunquid hoc forte Aſcurum Numidiæ A. Hirtij?

Octabum] Octavenſem locum vocat Optatus Milevitanus lib. 3.

Midila &c.] Florentius Midilenſis Notit. Africæ.

Punentiana] Pudentiana. De Maximiano Pudentianæ Eccleſiæ Epiſcopo Gregor. M. lib. 2. epiſt. 33. Creſconius Pudentianenſis Donatiſta in Collat. Carth. vbi & Memmianus Catholicus commemoratur.

Metæ. eius Epiſcop. Donatianus nuncup.] Gratianus nuncupatur; & Fortunatianus eius adverſarius Donatiſta, qui alio loco rectè Metenſis vocatur. Felicianus Metenſis Notit. Africæ.

Nobaſina Notit. Afr.] Candidus Nobaſinenſis,] *& Coll. Carth. in qua huius Civ. Epiſc.*] Reſtitutus eiuſque adverſarius Donatiſta Felix, qui malè Novaſummenſis alibi ſcribitur.

Zattara Coll. Carthag.] adfuit Licentius Zatta-

Zattarensis. [*Episcop. Crescon. subsc. Concil. Constantinop. V.*] In Concilio Bonifatij, Zactarensis, cuius Episcopus Felix, qui decennio post Concilio Carth. sub Reparato adfuit. Ianuarius in Notit. Africæ, & in ratione fidei Eugenij.

Tarassa &c.] Tharasa Notit. Africæ vbi Crelconius Tharasensis.

Castellum Titulianum &c.] Hinc puto Severinus Castellanus Donatista in Collat. Carthag.

*ZERTA Numidiæ civitas apud S. Augustinum.

Pag. 98. *Sillilita*] Sillita [*Coll. Carthag.*] cui adfuit Faustinus Sillitensis, & Possidonius eius adversarius Donatista: & Maximus Sillitanus habetur in Notit. Africæ.

*SVLVLITTA in eadem coll. Carthag. diversa est à superiori Sillita, vbi Restitutianus Sululittensis Episcopus habetur sine adversario, quod ego ad Syllectum, sive Sublecte in Bizacena refero infra pag. 105. ut & Hilarum Donatistam Sullitensem in eadem Collat.

Rusticiana Coll. Carth.] cui adfuit Leontius Episcopus Donatista.

Madaurus Æthic. in Cosm. Placentius] Placentinus [*Ep. Mad. interfuit Coll. Carthag.*] Antigonus in Concilio Carthag. sub Grato.

Buffa-

Buffada &c.] Hilarus Bofetenſis ex Donatiſta Catholicus coll. Carth.

Tegla Not. Afr.] Pertinet huc Donatus ille Tegulenſis ex coll. Carth. quem fruſtra in Sardiniam transferunt ſupra pag. 67.

Caſæ nigr.e] Hinc Donatus Caſenſis, qui & de Caſis nigris apud Optatum Milevit. Donatiſtarum Signifer. [*Ianuarius*] Caſenſis nigrenſis Donatiſta.

Tubunia Not. Afr.] Nemeſianus à Tubunis in conc. S. Cypriani [*Creſconius Tubunienſis adfuit Coll. Carth.*] & eius cauſa agitata fuit in Hipponenſi & in Carthagin. 3. eius adverſarius in eadem collat. fuit Protaſius unus ex ſeptem electis Collatoribus Donatiſtarum. S. Auguſt. epiſt. 70. Tubunas plur. femin. vocat.

Tigiſi] De Tigiſi, eiuſque origine, ſitu, & fontibus prope Auraſium montem videndus Procopius lib. 2. Vandalic. Grotius malè Tingin vertit pag. 88. & pag. 96. [*Optat. lib. 1. mem. Secundi eius Epiſc.*] & Auguſt. lib. contra Creſconium cap. 26. fuit ſenior & præfuit Concil. Carthag. ann. Chriſti 303. unde abſolutè Primas Tigiſitanus ep. 162. Xantippus quoque Tigiſenſis apud Auguſt. epiſtol. 21. ex mss. Solemnius Tigitenſis & Paſchaſius Donatiſta eius adverſarius in coll. Carth. Domnicoſus Tigiſitanus in Not.

Afr. Secundini Tigesitani quoque meminit S. Augustin. in gestis cum Donatistis in breviculo collationis diei 3. cap. 13. ubi eius scripta ad Mensurium commemorat citatus à Baronio ad Martyrol. 11. Febr. & lib. 1. contra Parmenianum cap. 3.

Zabi] vide supra pag. 95. Zama.

Narangara] Naraggara [*Anton. in Numid.*] Tabula Peuting. Naraggara.

Musti] Ptolem. [*Anton. in Itin. Feliciani Episcop. Mustani mem. D. August. lib. 1. contra Cresconium*] & ep. 255. & lib. 1. contra Parmenianum, & lib. 1. contra librum Petiliani cap. 10. & epist. 207. fuit Donatista sive potius Maximianista, ut apparet ex Coll. Carthag. Vbi Victorianus Mustitensis contra eum recensetur. & ex ipso S. Augustino lib. de unitate Eccles. cap. 18. & ex ep. 207. Fuit & alius Episcopus Donatista Turensis in Mustitensi Diœcesi coll. Carth. Ibidem Antonianus Mustitanus Notit. Afr. Mustitana civitas August. lib. 1. contra lib. Petiliani cap. 15.

Centurio. Ian. Centur. adfuit Coll. Carth.] & Firmianus Centurionensis Not. Afr.

CENTVRIA diversa à Centurione Notit. Afr. ubi Ianuarius Centuriēsis legitur. Pag. præcedenti malè vocatur CENTVZIA. Procop. lib. 2. Vandalic. plur. num. Centurias vocat.

vocat. Inde Quodvultdeus Catholicus Episc. & Cresconius Donatista plebis Centurienſis leguntur in collat. Carth. De eodem Quodvultdeo Centurienſe Episcopo agitur in Concilio Milevitano I. anno Christi 402. canon. coll. Afr. 87.

*Tebeſte Ptolem. lib.*4.] Procop. 2. Vandal. Baronius ad Martyrolog. 5. Decembr. &c. Vrbicus Episcopus Catholicus Ecclesiæ Tebestinæ coll. Carth. & Perseverantius Donatista Teveſtenſis.

Tamogazia] eadem cum Tamugada, pag. 96.

Legæ &c. Daboni Epiſc.] Datiani Episc. confer cum alia pag. 100.

Turres concordiæ &c.] Turrensis Episcopus Samsucius apud S. Auguſt. epist. 168. huc fortè pertinet. Nam Turrensis Donatista in Mustitana diœcesi nullum contra se Catholicum habuit in coll. Carth.

Pag. 99. *Garbis &c. Victor in Conc. Cirt.*] apud Optatum lib. 1. ubi Garbiensis vocatur. Apud S. Augustinum lib. 3. contra Cresconium: Victor à Garbe. Marcianus eius Episcopus Cathol. in coll. Carth. & Felix Donatista.

Suaba] sive Suava. Littorius Suavensis adfuit collat. Carth.

Germania Coll. Carth. in qua habetur Innoc.

eius Episc.] Et Seniorum Novæ Germaniæ meminit Concil. Carthag. in cod. canon. can. 67. qui accusationem instituerant contra Maurentium Thubursicensem. Vide supra pag. 97. est enim idem locus.

Lamiggiga eid. Not.]quæ Innocentium Lamiggigensem eiusque adversarium Iunianũ Donatistam habet. Argẽtium Lamigensem Episcop. in Africa habemus apud S. Gregorium Magnum lib. 1. epistolar. ultima.

Vagarmelita &c.] Magarmelita &c. Secundus Margarmelitensis adfuit coll. Carthag. Est enim haud dubiè idem locus : & hoc confirmat eiusdem Secundi subscriptio subiuncta Libello Leporij; ubi vocatur Episcopus Ecclesiæ Aquensis sive Megarmitanæ. Saltem hoc liquet, rectiùs Magarmelita scribi per M. quàm Vagarmelita.

Ospitum &c.] Benenatus Hospitensis in coll. Carthag. Lucullus Episcopus Donatista ab Hospitijs eiusdem loci fuit collat. Carthag. & Benenati adversarius.

Vagada &c.] Fortassis eadem cum Vaga superius commemorata pag. 95. Et hinc Concilium Bagaiense Donatistarum coll. Carth. & nescio annon hinc Valentius Episcopus Vaianensis in eadem collat. qui alibi in eadem collat. pag. 135. Valentinianus Vaiensis appellatur. Et Felix Baianen-

sis

sis in Concilio Grati, qui infra pag. 113. à S. Augustino Felix à Bagai vocatur.

Lamasua Coll. Carth.] adfuit Avitus Episcopus.

Tacarata] Nunquid hæc Tagatua Plinij & Ptolem.? cuius Episcopus nomine Crescentius (non Verissimus) in ea recensetur. Aspidius Tacaratensis coll. Carth. cui oppositus legitur Verissimus Donatista.

Vllita] eadem in coll. Carthag. Vallita unde Bonifatius Vallitensis.

Seleucia &c.]In editione Parisiensi Solentiana legitur, Ortel. in suo Victore legit Seleuciama.

Vicus pacis] Vicopacensis & Vicopacatensis in Concil. Carth. Bonifatij. ubi Florentianus eius Episcopus.

Thabraca] Tabraca [*Ant. in Numid. Vulgo*] Tabarca &c. Rusticianus Tabracensis Cathol. & Clarentius Donatista coll. Carthag. Donatianus Talabricensis primæ Sedis Episcopus subscripsit Conc. Carthag. anni Christi 398. ubi Tabracensis scribendum puto.

Tucca Ptolem. lib. 41.] Procop. 4. ædific. Castellum vocat &c. Metus Tuccanensis in Concilio Grati. Sabinus Tuccensis in coll. Carthag. Huc quoque pertinet Paulinus Tuggēsis Episcopus apud s. Gregorium M.

lib.10. epiſt. 3. ad Columbum Epiſcopum Numidiæ.

Pag.100. *Quidia*] rectiùs infra pag.109. [*Victori Vtic. ms. in Numidia*] Sed Notitia in Mauritania agnoſcit.

Milevis] Mileves. Severus apud Auguſtinum ſerm.2. de vita & moribus Clericor. & epiſt.129. [*Civitas multis Conc. in ea celeb. illuſtr.*] Optatus Milevitanus celeberrimus Scriptor eius Epiſcopus fuit. In Milevitana diæceſi duos alios inſtitutos fuiſſe Epiſcopatus à Catholicis conqueritur Petilianus in collat. Carthag. alterum in civitate Tuncenſi, alterum in loco Ceramuſſa. Severus Milevitanæ Antiſtes Eccleſiæ Optati ſucceſſor laudatus à S. Auguſtino epiſt.34. & 135. & 242. cuius epiſtola ad eumdem Auguſtinũ extat inter Auguſtinianas n. 37. Adeodatus Donatiſta vnus ex ſeptem deputatis ſuæ factionis fuit in coll. Carth.

Gira &c.]Huc pertinet Lucianus Guirenſis in coll. Carth. & fortè rectiùs Guira.

Caſæ calaneæ &c.] Fortunatus Epiſcopus loci Caſenſis Calanenſis in coll. Carth.

Veſeli] eſt Vegeſela ſup. pag.96.

Villadegenſis] Villa regia vel regenſis: Vnde Felix Villæ regenſis in coll. Carth. & Creſconius Villa regenſis in Concilio African. can.15. cod. canon. & eſt ſine dubio

bio idem locus, & ſic in Notit. Africæ legendum. Candidus Villa regienſis ex Donatiſta Catholicus. Auguſt. lib.2. contra Creſc. cap.10.

Legæ] pag.98. &c. Datianus Legenſis in coll. Carth.

Lanfua &c.] Safargius Lampuenſis in coll. Carth. Pontius Lanfuenſis inter Proconſulares ſubſcripſit Concilio Bonifatij Epiſcopi.

Forme &c.] Vrbanus Formenſis Donatiſta apud Optatum Milevitanum lib.2.

Forme alia &c. quæ Menſorem Epiſcopum habuit] Hic poſtea anno 525. in concil. Carth. S. Bonifatij ſenior Epiſcopus ſeu Primas Numidiæ fuit. Sæpius autem Meſſor in Actis Concilii vocatur.

BYZACENA.

A* DRVMETVM] COLONIA CONCORDIA VLPIA TRAIANA AVGVSTA FRVGIFERA ADRVMETINA, in veteri inſcriptione. Proc. ædific. lib.6. ea Metropolis nomen & dignitatem ſortitam fuiſſe teſtatur. Hinc Ἀδρυμητὸς vocatur ſæpius lib.2. Vandalic. Adrumetina Colonia Cyprian. epiſtol. 45. Abundantius concil. Carthag. ſub Grato. Philologius Adrumetinus collat. Carthag.

Polycarpus Episcopus Hadrumetinus S. Cyprian. epist. 45. qui & concil. Carthag. sub eodem Cypriano adfuit. Florentius ab Adrumeto Donatista in concil. Carthagin. Donatistarum apud S. Augustinum in psalm. 36.

Horrea cælia Ant.] & Notit. Africæ &c. Hilarinus Horreocellorum Conc. Carthag. ann. 419. Cod. can. fortè rectiùs legeretur Horreoceliorum.

Tagasa] Puto eandem esse cum Tarasa sive Taraza Notitiæ pag. 102. sed in eadem epistola Stephanus Taracensis.

Turreblandis &c.] Pauli Turreblandini ipsa Notitia. Maximinus Donatista Turreblandensis in Coll. Carthag.

Medianum &c.] Autacius in Notitia Africæ.

Sufes] Privatus à Sufibus adfuit Concilio Carthag. sub S. Cypriano. [*Victor Vtic. lib.* 1. *meminit Eustatij*] Hic Eustratius Sufetanus Notit. Afr. Sufetani Concilij mentio extat in vita S. Fulgentij cap. 29. & Maximianus Sufetanus in Concilio Carthagin. XVII. ex ms. Vatic. Nam in Codicibus editis omissus est. Peregrinus Sufetensis Donatista, puto, habetur in Coll. Carth.

Cillita &c. eius Episcopus] Tertiolus cum adversario suo Donato Cillitensi vicino

Epi-

Episcopo interfuit Coll. Carth. Fortunatianus Cilitanus in eadem Notit. Africæ.

Vicus-ateriæ] Ebasius Vico-aterienſis ſubſcripſit [*epiſt. Synod.*] Vico-aterienſis Eccleſiæ Epiſcopi mentio extat in Concilio Carthag. Bonifatij.

*TAPHRVRA. Ptolem. prope Cercinam Inſulam. Inde Liminianus Taprurenſis in Collat. Carthag. Malè enim iſthic Taprurenſis editur.

*TIELLA ſive Zella Straboni. locus celebris Concilio Zellenſi ſub Donatiano Primate iſthìc habito. Hinc Donatianus Zellenſis in collat. Carthag. eidemque oppoſitus Natalicus Donatiſta. Non eſt eadem cum Vſula vel Vſilla, ut vult Chiffiet. ad Ferrandum pag. 279.

* CEBARSVSIS vel Cabarſuſſis. civitas Byzacij S. Auguſtino lib. 4. contra Creſconium cap. 6. & in pſalm. 36. ubi Concilium Cabarſuſſitanum Donatiſtæ celebrarunt, quamvis Cavernam Suſis malè illic edatur. Muſtulus Carbaſuſſenſis ſubſcripſit epiſtol. Synodali Concilij Byzaceni. Theodorus Cebarſuſitanæ Eccleſiæ Epiſcopus exilio damnatus propter trium Capitulorum defenſionem legitur apud Victorem Thununenſem in Chronico.

Pag. 101. *Mibiarceſis*] corrupt. fortè Medianenſis.

Segermis &c.] Reſtitutus Segermitanus Not. Afr. Felix Segermitēſis Coll. Carth. Huc pertinet Felix Municipij Segermitenſis in epiſt. Synod. Conc. Rom.

Miriciana] eſt Maracia pag. ſeq.

Gatiana] Gratiana : [*Huius Epiſc. Victor appellatur*] & Bonifatius Gratianenſis in Concil. Carthag. S. Bonifatij. Hic apud Victorem in fine lib. 2. Gatianenſis vocatur, Et in ratione fidei S. Eugenij. Huc pertinet Secundinus Garrianenſis in Notit. Africæ. ubi Gratianenſis ſcribendum puto. Ianuarius Gratianenſis ſubſcripſit epiſtolæ Synodali Provinciæ Byzacenæ, ubi malè Gattianenſis editur.

Suffetula &c. Privatian. Epiſc. à Suffetula habet] Concil. S. Cypriani, & ex eo [*D. Auguſt. lib. 6. cap. 26. contra Donatiſtas.*] Præſidium Suffetulenſem Notit. Afric. Iucundus Suffetulenſis adfuit Concilio Carthag. ann. 419. Cod. canon. & antea coll. Carth. Colonia Suſſetulana Martyrolog. Rom. 30. Auguſti. Concilium Sufetulenſe hoc loco celebratum aliquoties citatur à Ferrando Diacono in Breviario canon.

Tices antiquæ Not. Afr.] Ticibus &c. Gallus Ticenſis coll. Carth.

Ancua

Ancua &c.] Paschasius Anguiensium Episcopus collat. Carth.

Masciana &c.] Victorianus Masclianensis concil. Carth. III.

Vadentiniana &c.] Valdentiniana Rogatianus in Notitia Africæ.

Tubulbaca Notit. Afr. Ianuarium] Ianuarianum [*Episc. Tubulb. habet Coll. Carthag.*] & Terentianum dicta Notitia. Huc quoque referendus Eburius Tuburnicensis, qui adfuit Concilio I. Arelatensi; nisi potiùs sit Tuburbitensis, sed hic Tuburbitanus potiùs.

Midita Coll. Carthag.] adfuit Serenianus Miditensis.

Tambaia &c.] collat. Carth. adfuit Sopater Tambaiensis, ubi malè Tambalensis editur. Servusdei Tambeitanus in Notit. Afr. Tambaiensis civitas Victori Vtic. lib. 3. ubi duorum fratrum Aquisregiensium martyrium commemorat, de quibus Martyrol. Romanum 24. Martij.

Iubeclidia] corrupt. fortè eadem cum Iubaltiana infra pag. 104.

Neptita &c. Lætus Episc. Nept. legitur,] Hic Martyr commemoratur in Martyrologio Romano 6. Septembris ex Isidori Historia Vandalorum, ubi malè Leptensis vel Leptinensis vocatur. Nam in eadem Notitia

eodem

eodem tempore Fortunatianus Leptiminenſis recenſetur.

Cellæ] Huc transferenda quæ notavi ſupra ad pag.92. de Tiella. Pertinet enim ad Byzacenam non ad Proconſularem provinciam, vt ex Actis Zellenſis Concilij videre eſt. Alia autem planè eſt Thæle in Proconſulari ſupra pag.92. nec confundenda. Zellæ rectiùs, & Thiellæ, unde Zellenſe ſive Zellitanum Concilium. Straboni Zella. Chiffletius eandem Vſallam & Vſellam, Vſillam & Vſulam exiſtimat ad Ferrandum pag.279.

Decoriana &c.] Paſchaſius ſubſcripſit epiſtol.Synod. Provinciæ Byzacenæ.

Putea &c.] Servandus in Notit. Afr.

Mactaris &c. Marc. Epiſcop. à Mact. habet D. Cypr. in Conc.Carth.] & fortè Antigonus in Concil.Grati, qui in ms. Matirenſis, Magarenſis, Madurenſis. Adelphius Mactaritanus in Notit. Afr. & Honoratus Mataren. in coll. Carth.

Tagamuta &c.] Milichius Tagamutenſis in coll. Carth. & in Conc. Thelenſi.

Autentum &c.] Hortenſius Autentenſis in Not. Afr.

Pag.102. *Abaradira &c.Præfectiani Epiſc.*] Abadirenſis [*meminit Not. Ep. Afr.*]

Bana] eadem pag. ſeq. Boana. Hinc

Bea-

Beanus Baianenſis Maximianiſta damnatus in Concilio Bagaienſi Donatiſtarum apud S. Auguſtinum lib. 3. contra Creſconium grammatic. cap. 19.

Herminiana] Ἑρμιόνη. Procop. 1. Vandal. qui ſitum indicat. [*Epiſt. Synod. provinc. Byzac.*] ſubſcripſit Benadus. Secundiani [*Epiſcopi Hermian. mem. eſt in Collat. Carthag.*] & Maximiani Donatiſtæ. Donatus in Notit. Afr. Facundus Hermianenſis Opere contra trium Capitulorum damnationem ſcripto celebris.

Paradamium] Paradam oppidum vocat A. Hirtius. fortè hoc Peradi ſive Feradi minus, vt ſit Feradiminenſis, vt mox hac pag. Feradi maius: & hoc verum eſſe docet coll. Carthag. ubi Felicianus Feraditenſis minoris legitur.

Turris Coll. Carth.] Maximinus Turenſis vel potius Turrenſis, Coll. Carth.

Taraza &c.] & Stephanus Taracenſis ſubſcripſit Epiſt. Synod.

Crepedula Not. Afr. Secrepedula] Spes de Crepedula [*Epiſt. Synod. prov. Byzac. &c.*] Felix Crepedulenſis Not. Afr.

Trofiniana] Trofimiana, unde Probantius Trofimianenſis in Collat. Carthag. & hæc ſcriptura haud dubiè rectior, quàm Trofiniana.

Leptis

Leptis minor vel Leptis parva Ptol. l.4,c.3.] Libera civitas & immunis A. Hirtio. Crescentinus Episcopus Leptis subscripsit epistol. Synod. prov. Byzacenæ. Hinc Leptitani in veteri Tabula apud Gruterum p. DXII. Demetrius Leptiminus in Conc.S.Cypriani. [*Rom. Lept. mem. est in Coll. Cart.*] Fortunatiani in Notit. Africæ.

Feradimaia] Feradi maius. Vnde Vincentianus Episcopus Feraditensis maioris in collat.Carthag.

Temuniana] vel Temoniara, ut habet Notit. Afr. Victorinus Temunianensis subscripsit &c. Alius Cresconius Temoniarensis in Notit. Africæ.

Vnizibira &c.] [*Cypr. Episc. Vnizibir. est apud Vict. Vtic. lib.2.*] & in dicta Notitia Donatus Vniziverensis in epistol. Synod. prov.Byzacenæ.

Tamalluma] Antonius Tamallumensis Arrianus Episcopus insignis Catholicorum persecutor apud Victorem Vticensem lib.3. [*Habet deum &c.*] Gaudentius Turretamallumensis adfuit Concilio sub Grato, ut habetur in codd. mss. nam in editis Tusdritanus & Turritanus scribitur. Et Benadus sive Benenatus Turrium Tamullimensium in epist. Synod. prov. Byzacenæ.

Muzuca] Ianuarius à Muzuca legitur

in

in Concil. Carthag. S. Cypriani in vetuſtiſſimo ms. caſ. in edit. Muzulenſis [*Collat. Carthag.*] Reſtitutus Muzucenſis & Idaxius Donatiſta.

Maſsimana] Maximiana. Bonifatius Maximienſis in epiſt. Synod. Epiſcoporum Byzacen. in Concil. Martini I. ubi Iuſtini ac Maximienſis legitur. Neſcio utrum fortè Iuſtinianæ nomen quoque habuerit a reſtitutore Antonino in Itinerario unde legitur. [*Poſsidij mem. Notit. Afr.*] Maximianenſis plebis & Epiſcopi meminit vita S. Fulgentij cap. 29.

Marazana] Felix à Marrazana in concil. Carthag. S. Cypriani: & inde Marazanenſe Concilium in Breviario Ferrandi, ſive ut alij codices legunt, Maradianenſe. Saturninus Maracianenſis in epiſt. Synod. ubi malè Miricianenſis editur. Vindicianus Marazianenſis Not. Afr.

Tuzirita] Oppidum hoc Ptol. Tiſurus. ſed rectiùs Tuſurus vel Tuzurus, ut ex Latinis apparet. Hinc enim Tuſuritenſis & Tuzuritenſis in coll. Carth. Aſſellicus eius Epiſcopus; ubi Tuſuritenſe municipium vocatur ipſum oppidum. [*Not. Afr.*] ubi Florentius eius Epiſc. legitur. Aſellicus Epiſc. Cathol. & Aptus Donatiſta. [*Aptus eius Ep.*] Serotinus Tuzuritenſis eſt in coll. Carth.

Mata-

Matarita Coll. Carthag.] adfuit Cultasius Mataritanensis. Victorem quoque Mattaritanum Episcopum fuisse existimo, quem Cassiani dicta repurgasse scribit Cassiodorus Inst. diu. cap. 29. ubi Martyritanus malè editur.

Vsula Ant. in Byz.] Cassianus Vsulensis adfuit Concilio Grati. Privatus Vsilensis coll. Carth. Vsallitani hinc vocantur in veteri Inscriptione Gruteri pag. DXX. Vselitanum oppidum Latinum Plinio. Vsilla municipium Tab. Peuting. Theodorus Vsalensis Maximianista damnatus à Donatistis in Concilio Bagaiensi apud S. Augustinum lib. 3. contra Cresconium Grammaticum cap. 19. quia idem vnus fuerat ex XII. Maximiani Ordinatoribus in Concilio Cabarsussensi ibid. cap. 53. Victorinus Vsulensis in Notit. Afr.

Irpiniana] Hirpiniana &c. Barbatus Hierpinianensis in coll. Carth. qui expungendus infra pag. III.

Pag. 103. *Menephessa*] Menefesa Procop. lib. 2. de bello Wand. Μενεφέσσα [*Mensurius Episc.*] Menefessitensis [*est in Coll. Carthag.*] Servus in Notit. Africæ.

Capse] Fortunatus Capsens coll. Carth. Fortunatianus Capsitanus adfuit Concilio sub Grato, ut mss. Nam in Tomis Conciliorum

liorum Raptanus malè legitur. Vindemialis Capsensis Notit. Afric. & Martyrolog. Rom. & Baronio ad annum Christi 484. num. 102.

Acolita. Acola. Quintus Acolitanus in epist. Synod. Concilij Lateran. I. Acilla A. Hirtio. & inde Acillani. In veteri autem Lapide apud Gruter. pag. DXII. Aquillitani, ubi cum Leptitanis & Vsallitanis iunguntur.

Tasbalte] Marcellinus Tasbaltensis in Notit. Afr. Nainus Tasbanaltensis Hipponensi puto apud Binium tom. 1. pag. 583. Iulianus Tasfaltensis coll. Carth.

Municipia & Germiniæ] pag. 101. Segermis. [*Felix Episc.*] Segermensis legitur.

Ruspe &c.] Fulgentius eius Episcopus celeberrimus, & ante eum Stephanus in Not. Africæ. Secundus Ruspitensis in coll. Carthag. nisi potius Ruspinensis à Ruspina. S. Fulgentij successor Felicianus, ad quem Ferrandus scripsit vitam S. Fulgentij, qui adfuit Concilio Carthaginensi sub Reparato.

Febianum &c.] & Salustius Febianensis in epistol. Synod. Byzacena, ubi Rebianensis malè editur.

Cebaradefa] nomen est corruptissimum.

Foratiana &c. Bonifat. eius Episc. leg.] qui

etiam in ratione fidei S. Eugenij legitur.

Boana] eadem cum Bana pag. ſuperiori.

Telepte Ptol. lib.4. c.3.] Proc. lib.4. ædif. Iuſtiniani. Iulïanus à Telepte ſubſcripſit concilio Carthag. ſub S. Cypriano. Donatianus Epiſcopus Catholicus. Idem poſtea ſenex ſeu primæ Sedis Epiſcopus fuit in Concilio Zellenſi ſeu Telenſi ann. Chriſti 418. ubi alij potiùs Teleptenſe legendum putant. Fuit autem omnino diverſus hic Donatianus à Talabricenſi ſive Tabracenſi Epiſcopo Numidiæ, qui primæ Sedis Epiſcopus ſubſcripſit conc. Carth. IV. apud Surium tom. 1. Concil. pag. 591. ann. Chriſti 398. & *Bellicus Epiſc.*. Donatiſta. [*Telep. recenſetur in Coll. Carth.*] Frumentius in Notit. Africæ.

Præſidium] Tab. Auguſt. inter Macomadas & Tacapen. [*Fauſti Epiſc. Præſid. mem. eſt in Not. Afr.*] fuit magiſter S. Fulgentij, in eius vita.

Macriana eid. Not.] Hinc Concilium Macrianenſe in Breviario Ferrandi &c. Ferox Macrinianenſis maius in eadem coll. Cart. fuit ergo Macrinianum maius & minus, illius Epiſcopus Ferox, huius Felix fuit. Honoratus eidem Notitiæ. Deuterium Epiſcopum Macrianenſem Donatiſtam commemorat S. Auguſt. epiſt. 48. Nam ſic quatuor mss. legunt.

Gur-

Gurgaita &c.] Huc referendus Felix à Gurgi tibus ex concil. Carthag. S. Cypriani ex pag. 108. infra.

Cululi] Κάλελις Procop. 4. ædific. Puto esse Civili, sive municipium Civilitanum in Byzacena provincia cuius meminit vetus inscriptio.

Aquæregiæ] &c. [*Maximian. Episc.*] Aquiregensis legit ms. Vatic. Aquensium regiorum legitur in coll. Carth. cui adfuit Liberatus in Notit. Afr. Aquisregiensium Martyrum memoria est in Martyrol. Rom. 24. Martij sub Wandalis ex Victore Vit. lib. 3.

Pag. 104. *Quæstoriana Ep. Syn. prov. Byzac*] Spesindeo Episcopus subscripsit.

Carcabia Not. Afr.] Vbi habetur Simplicius eius Episcopus. Victorianus Carcabianensis Maximianista damnatus in Concilio Bagaiano Donatistarum, apud S. August. lib. 3. contra Cresc on. Grammat. cap. 19. & epist. 255. Idem unus ex XII. Maximiani Ordinatoribus in Concilio Cabarsussensi August. contra Cresc on. lib. 3. c. 53. Idem subscripserat concilio Carthag. Donatistarum apud S. August. in psalm. 36. ubi malè Carbianensis editur. [*Donatianus Ep.*] Donatista.

Victoriana eid. Not.] Restitutus Victorianensis ex Donatista Catholicus apud S. Au-

guſt. epiſt. 166. &c. Rufinianus in Not. Afr. & vita S. Fulgentij .

Hirina] Irina [*Ep. Syn. prou. Byzac.*] ſubſcripſit Theodorus .

Gummita] Gummi[*Coll. Carth. Gumma Ep. Syn. in qua leg. Steph. Ep. civ.*] Gummenſis. Gummitanæ Eccleſiæ, eiuſque Epiſcopi meminit S. Leo IX. epiſt. 3. & 4. Maximus Gummitanus Not. Afr.

Ticualta &c.] Sumnius Tigualenſis coll. Carthag.

Auzegera &c.] Villaticus in Not. Afr.

Gauuarita] Hinc Rogatus Gaguaritenſis in coll. Carth. &c.

Helia] Ælia Tab. Peuting. [*Ep. Syn. prou. Byzac.*] ſubſcripſit Conſtantinus Helienſis. Fuſcinolus Elienſis adfuit coll. Carth.

Talapta] Inde Stephanus Talaptenſis ſubſcripſit eid. Ep. Syn.

Iunca] Epiſtolæ Synodicæ ſubſcripſit Numidius Epiſcopus Sanctæ Eccleſiæ Sofianæ Iuncis: Nunquid fortè in Græco fuit Σοφιανῆς Ἰ'αγκης ? ut Eccleſiæ Sophiæ ſive Sapientiæ divinæ dedicata fuerit? &c. Hinc Concilium Iuncenſe ſub Liberato Epiſcopo cuius meminit concilium Carthag. Bonifatij Epiſcopi, & vita S. Fulgentij, ubi malè Vincenſe editum legitur. Ms. Reg. Iuncenſe legit.

Thenæ

Thenæ] THAENAE ut in veteri inscrip. Hinc Concil. Thenitanum apud Ferrandum Diac. [*Eucratius Ep. à Thenis subsc. Conc. Carth.*] sub Cypriano. Latonius Tenitanus coll. Cart. Eiusdem memoria est in Concilio Thelensi. Paschasius Tenitanus in Notit. Afric. Successoris eius Beati Pontiani Episcopi Thenitani meminit Ferrandus Diaconus in vita S. Fulgentij sub finem, qui Felicianum Fulgentij successorem ordinavit.

Iubaltiana etc. Setam] leg. Getam. Eusebius Iubaltianensis in Notit. Afr.

Tamaza] Hinc credo Datianus Tamicensis Donatista in coll. Carth.

Aggarita] Aggar Tab. Peuting. &c. Æmilianus Aggeritanus coll. Carthag. Ibidem Laudorius Aggeritensis Donatista, qui alibi rectiùs Caudorius & Candorius vocatur.

Tapsus] Thapsus oppidum maritimum, A. Hirtio & Ptolem.

Madassumma] Madassuma Notit. Afric. vocat.

* Tysvrvs Ptolem. lib. 4. c. 3. eadem cum Tuzirita pag. 122. Chiffl. ad Ferrand. p. 290.

* Tysdros Ptolem. vel Tisdrvs A. Hirtio. Hinc Concilium Tusdritanum, celebris civitas Byzacenæ confinis Adrumeto, ut apparet ex Ageno Vrbico de controver-

fiis agrorum pag. 154. qui Tisdritanos vocat. Honoratus Tusdritensis in coll. Carth. Gaudentius Concil. Carthag. I. [*Asellicus Ep. Tusdritensis leg. in Coll. Carth*] eique oppositus Aptus Donatista, qui sup. pag. 102. Tuziritanus.

Septiminicia] Septimunicia. Hinc Concilium Septimunicienſe, cuius aliquot decreta nobis conservavit Ferrandus Diaconus &c. [*Paschas. dic. in Not. Afr.*] Septimunicienſis. Meminit quoque Episcopi Septimenensis conc. Carth. S. Bonifatij.

Amurdasa] Amudarsa &c. Liberatus Amudarsensis Notit. Afr.

* CASVLÆ CARIANÆ Not. Africæ, ubi Quintianus Casulis Carianensis legitur.

* DIONYSIANA Notit. Africæ inter Cathedras, quæ Episcopis tunc carebant. Hinc Fortunatus Dionysianensis in Concil. Carthag. Donatistarum apud S. Augustin. in psalm. 36.

Pag. 105. *Abidus*] Aviduvicus Tab. Itin. *Honorati Ep.*] Abiddensis [*mem. Coll. Carth.*]

Benefensis etc.] In ipsa Notitia Hortulanus. Fortè huc pertinet Mustulus Cebaradefensis in Epist. Synod. ad Concil. Martini Papæ.

Rufiniana &c.] In coll. Carth. Marinianus Episcop à Rufinianis. Sic enim ibi legendū.

Tega.

Tegariata etc. Honoratus dicitur] Tegaria tenus.

Garriana] Eandem puto cum Gatiana, vel Gratiana ſupra pag. 101.

Vite etc. qua Vict. Vit. Ep. appell.] Eſt auctor hiſtoriæ Vandalicæ perſecutionis, qui vulgò malè Vticenſis vocatur. Papinianum ſuum anteceſſorem vocat lib. 1.

Circinita] Circina [*eidem Notit. quæ Athenium*] Circinitanum [*Ep. vocat.*] Eſt Cercine Inſula ſive Circina, ut ſcribitur in vita S. Fulgentij cap. 30. De eius fertilitate, cui Cercinates incolæ. A. Hirtius.

Præcauſa etc.] An hic Monaſterium de Præciſu in Concilio Bonifatij?

Cufruta etc.] Et Felicianus Cufrutenſis in coll. Carth.

Sublecte] ſive Sullecte &c. Martinianum Sullectinum Maximianiſtam damnavit Cõcilium Bagaienſe Donatiſtarum S. Auguſt. lib. 3. contra Creſconium. Fuit unus ex duodecim Maximiani Ordinatoribus Cabarſuſſi. Ibid. cap. 53. Σύλλεκτον Procopio dicitur Vandal. 1. ubi etiam Epiſcopi meminit. Puto Reſtitutianum Sululittenſem in coll. Carth. & Hilarum Donatiſtam Sullitenſem huc pertinere, ut notavi ſupra pag. 98.

Cenculiana,] vel Conculiana.

Addit. Not. ant. Afr. tres alias Sedes Episc. Sulianam] Sulianis. Puto locum in Tabul. Auguſt. vocari Silvani prope Præſidium. Tertiam ad Aquas eidem Tabulæ, & A. Hirtio ad Aquam 4. m. paſſ. à Tiſdro. Sed hoc proprium nomen loci non videtur. Aquæ autem illæ Auguſtanæ ſunt Antonino Aquæ Tacapinæ.

* AQVÆ, Notit. Afric. Elpidius Aquenſis in coll. Carthag. cum Reparato Donatiſta.

MAVRITANIA SITIFENSIS.

Itiſi] Procop. lib. 2. Vandal. Novatus fuit in collat. Carth. & ſubſcripſit conc. Carth. VII. Optatus in Concilio Carthaginenſi Bonifatij. In Collat. Carth. legitur felix Sufitenſis. Seueri Epiſcopi Sitifenſis meminit S. Aug. epiſt. 122.

Tamalluma etc.] Hæc Tamamalla Collat. Carthag. ubi habetur Gregorius Tamamallenſis, & Lucius Donatiſta eius adverſarius.

Perdices Ant. Silvanus Ep. Perd. habetur in ead. Coll.] fuit Legatus ſuæ provinciæ ad Concil. Carth. 8. anno Chriſti 403. & Victorinus in Notit. Africæ.

Tubuſuptus etc.] Maximus Tuguſubditanus Notit. Afr. & Tubuſubditanus limes Notit. Imperij.

* ME-

* Medianae Zabuniorum vicinæ Sitifi in Coll. Carth. Donatus à Medianis Zabuniorum Donatiſta recenſetur.

* Vamaccora vel Bamaccora Ptol. Vamicela, aut Vamiceda. Felix à Vamaccura in Concil. Carth. S. Cypriani. Caſſianus Vamaccorenſis, eiuſque adverſarius Donatus Donatiſta in Coll. Carthag.

Pag. 106. *Flumen piſcis Not. Afr.*] ubi [*Vict. ep. flum. mem. eſt. in Coll. Carth.*] legitur Reſtitutus Donatiſta. Apud Optat. Milev. lib. 2. commemoratur Ianuarius Flumen piſcenſis, ubi vitiosè editum legitur Flamen piſtenſis.

Gegita Coll. Carth.] adfuit Quadratus Gegitenſis.

Sataſa] eadem infr. pag. 111. hoc loco tollenda.

Gadamuſa] Cadamuſa. Ptol. Κοιδαμούσιοι

Zabi] Ζάβων regionem illam totam vocat Procop. lib. 2. Vandal. quæ & Mauritania prima dicebatur, cuius primaria civitas erat Sitifis &c. Huius loci fuit felix Diabenſis apud Optat. Milevit. infr. pag. 114. & cum Ianuario Flumenpiſcenſe coniungitur.

Aſſafa etc.] *Cuius Epiſcopi Sextilius*] Catholicus *etc.*] & *Marcianus*] Donatiſta [*dicuntur in Coll. Carth.*]

Saldæ etc.] fortè huc pertinet Donatus Sayen-

Sayensis in Collat. Carthaginen:

Aquæ albæ &c. Honor. *ep.* Aq. *habet. ead. Not.*]& Ianuarium Donatistã Collat.Carth.

Igilgili] Ammian. lib.29.Eguilguili &c. Huc pertinere existimo cum Ortelio Vrbicosum Eguilguilitensem in coll. Carth.

Zarai &c. cuius ep.] Catholicus Trescon-nius &c. [*Rogatus*] Donatista [*dicitur in Coll.Carth.*]

Macri &c. *cuius ep. Restitutus*] legend. Emeritus Macrensis [*leg. in Not. Afr.*

*MACRIANA Notitiæ Africę,ubi Restitutus Macrianensis legitur. Huc pertinet,puto, Silvanus Macrianensis in Coll.Carthag.

Thamagrista [Tamagrista &c. Primulus Tamagristensis in Coll. Carthag.

Mozota &c.] Hinc fortè Leo Moctensis Concil. Carth. qui in ms. vetustissimo Vat. Leo Moptensis scribitur. anni 419. Cod. Canon. & Felix Moptensis in Coll.Carth.

Pag. 107.] *Vescetra etc.*] Vesceritensis plebis Optatus Episcopus Catholicus, Fortunatus Donatista isthic leguntur.

* SERTEITA. Coll.Carth.Felix Serteitensis & Maximianus Donatista, alibi corruptè Sertirtensis legitur. [*Sercita.*] Sertei scribendum, ut in suo exemplari rectè legit Ortelius.

Equizotum Notit. Afr.] ubi Pacatus Equi-

zotensis, [*& Victor Ep.*] Equizeten. leg. in coll. Carth.

Castellum etc.] puto idem esse cum eo quod pag. 110. In Cæsariensi repetitur. &c. Voconius Castellani Mauritaniæ Oppidi Episcopus apud Gennad. de script. Eccles. cap. 78. habetur.

Eminentiana etc.] Marcianus Donatista Episcopus Eminentiensis in coll. Carth.

Lemelesi &c.] Lemellense Castellum Optat. Milev. lib. 2. cuius Episc. Primosus ibidem: atque ita ex Optato habet etiam Martyrolog. Roman. 9. Februarij.

MAVRITANIA CÆSARIENSIS. ET TINGITANA.

Mauritania maior Victori Vitensi. lib. 3.

Cæsarea &c.] Deuterius Cæsariensis in collat. Carth. Idem metropolitanus S. August. lib. de gestis cum Emerito cap. 1° pag. 250.

Bilta etc. Cæcilium Ep. à Bilta] legendum ab Hilta. de qua supra p. 95. nisi potius Bilta sit eadem cum Vilta, unde Felicianus Viltensis in Coll. Carthag.

Caput cillanum etc.] In Notit. Imperij habetur limes Caputcellensis.

Pag. 108. *Gurgites*] Vnde coniicis esse in

in Mauritania, & non potius Gurgita Byzacenæ sup. p. 103?

Columnę [unde [*Notitię Imperij Romani limes*] Columnatensis.

Icosium &c.] Laurentius Icositanus Conc. Carthag. anno 419.

Minna &c.] Secundus Minensis Concil. Carthag Bonifatij.

Obba &c. Pauli ep. à Bobba] ab Obba legunt ms. antiquissimi Cypriani.

Suffara &c.] Reparatus Sufasaritensis in Coll. Carthag.

Rustonium] delenda: quia eadé est cum Rusgonia pag. 110. [*Numerianus*] Rusgunensis scribitur in Concilio Carthaginen. anno 419.

Tigis &c.] Aptus Tigiensis catholicus in Collat. Carth.

Tabora Coll. Carth.] ubi Martinus Episcopus Catholicus & Victor Donatista commemorantur.

Mamilla &c. Serenianus Episc. Mamil. adfuit Coll. Carth.] Sed Donatista, nam Victor ibi Catholicus adfuit.

Sumula &c.] Puto Subbulensem Episcopum hinc dictum apud Optatum Milevit. lib. 3.

Vbaba] fortè Baba Ptol. & Steph.

Zuchabari] ead. pag. 112. Subur. Succha-

chabar Plin.mss. [*Germ.huius civ. Ep.*] Donatiſta [*adfuit Coll. Carth.*] Zugabbaritenſis. Catholicus eſt Maximianus Suboabbiritenſis infra pag. 115. & Suburitanus pag. 112.

Tipaſa] Ptolem. [*Æthic. in Coſmog.*] & Thipaſa Optat. Milevit. lib. 2. qui Cæſarienſis Mauritaniæ civitatem vocat, ut Victor Vitenſis lib. 3. perſec. vandalicæ Tipaſenſem Civitatem Mauritaniæ maioris, ubi de Amiano Epiſcopo ibidem conſtituto narrat.

Ida] fortè Ididi Oppidum, cuius mentio habetur in vita S. Fulgentij cap. 12.

Pag. 109. *Vagal. &c.*] Claudius Vagalitanus Notit. Africæ.

Cartenna .] S. Auguſt. epiſt. 48. Cartennas plur. num. vocat, quæ ſcripta eſt ad Vincentium Epiſcopum Cartennenſem, Rogatiſtam, & Rogati in eo loco ſucceſſorem. Victor Cartennæ Mauritaniæ Civitatis Epiſcopus apud Gennad. de ſcript. Eccleſ. cap. 77. ſub Genſerico Rege. cartennæ Colonia Antonino. Ruſticus Cartenitanus apud S. Aguſt. de geſtis cum Emerito c. 1. Hinc puto Silvanus Donatiſta Carianenſis coll. Carth. pro Cartanenſis.

Malliana &c. Victor dicitur] Malianenſis [*in Coll. Carth.*] cum Neſtorio Donatiſta. Huc, ni fallor, pertinet Secundus Mauria-

nenſis

nenſis pag ſeq. pro Mantianenſis. Deuterium quoque huius loci Epiſcopum fuiſſe, exiſtimo, ad quem extat epiſtola 78. S. Auguſtini de Victorino Mallianenſi Subdiacono Manichæo.

Quidium] Quiza & Quidia. [*Coll.Carth.*] adfuit Priſcus Quidienſis, & [*Tiberianus Ep. Quid. eſt in ead.Not*] Africæ. Quiza, Xenitana Plinio. Quiza Antonino & Ptolem. ms. Κυίζα πολωνία, ubi in vulgatis tantum βυίζα male duplicatur ſup.pag.100.

Serta etc.] Proclus Serrenſis in Coll. Carthag.

Sucarda etc.] Pompeianus Sucardenſis in coll. Carth.

Novæ &c. Rogat. Ep. à Nova habet] concil. Carthag. S. Cypriani & ex eo D. Auguſtinus &c. Felix Novenſis in collat. Carth.

Pag. 110. *Ruſucurrum*] Ruſicorum Plin. ms. Ruſuccurum vel Ruſucurrum [*Antonino Optatus*] leg. Fortunatus [*Epiſc. Ruſc.etc.*] cui oppoſitus Optatus Donatiſta Ruſuccuritẽſis. Hinc Nicellus Ruſurrenſis Conc. Carthag. an. 419. ms. Vatic. Ruſurenſis. Cod. Can. qui in ſubſcriptionibus Ninnellus Ruſurianenſis, Metcur Ruſuccuritanus in Notit. Africæ.

Timida] eadem quæ ſuperius in Proconſulari ponitur pag. 93. Timida regia, ita-

que

que hoc loco expungenda.

Tabla] Notitia Imperij limes Tablatenſis.

Ruſgonia etc.] Numerianus Ruſgunienſis concil. Carthagin. XVII. ubi ms. Ruſgumenſis.

Oppidum novum] Plinio &c.

Tigava Plinio l. 5. *c.* 2.] Ptolem. Huc pertinere exiſtimo Sumnium Tigualenſem in Coll. Carth. pro Tigavenſe aut Tigabenſe; ſed ſtatim poſt Collationem Palladium Tigabitanum lege apud S. Auguſt. de geſtis cum Emerito cap. 1. Primoſus Tigavenſis in Cod. Can. Afric. Can. 97. ex ms. nam editi Thiganenſis habent.

Ruſadir] Ruſaddir ms. Plin.

Caſtellum] Voconius Caſtellani Mauritaniæ Oppidi Epiſcopus commemoratur à Gennadio inter Scriptores Eccleſiaſticos capit. 78. Hunc Maximus Nugator Hiſpanum Caſtellanum facit ad annum 562. Petrus Caſtellanus Not. Afr.

Mutecita] Muticitanus limes in Notit. Imperij.

Bita. cid. Vict. Vtic. ms.]& Notitiæ Africæ Pannonius Bitenſis.

Baliana etc.] & puto Victor Bannenſis in Coll. Carthag. pro Balian. ſed vide ſupra pag. 102.

Lab-

Labdia] Lapda ſup. p. 92.

Pag. 111. *Herpis &c.*] Barbatus Herpinianenſis in ipſa collat. Carthag. vocatur, & pertinet ad Hirpinianam ſup. p. 102.

Voncaria . &c.] Hinc Felix Boncarenſis Donatiſta in collat. Carth.

Tabadcara &c.] Victor Tabaicarienſis in coll. Carth. ubi Tabatcar ſcribendum .

Elefantaria &c.] Miggen Elephantarienſis Maximianiſta ex Concilio Bagaienſi Donatiſtarum apud S. Auguſt. lib. 3. contra Creſconium gramm, cap. 19. & cap. 53. ubi legitur inter XII. ordinatores Maximiani in Synodo Cabarſuſſenſi, & antea in Concilio Carth. Donatiſtarum apud Auguſtin. in pſal. 36.

Murconium &c. Huius Ep. Maddanius] Murconenſis . &c. Huc pertinet Auxilius Nurconenſis in collat. Carth.

Thubunæ] Tubunæ .[*Nemeſiani Ep. à Tubunis mem. D. Cypr. &c.* Tubun enſem Sedem vacãtem commemorat Notit. Afric. Creſconius Villaregenſis Epiſc. Tubunienſis Eccleſiæ invaſor accuſatur in Concil. Africano can. 15. cod. canon. & Limes Tubunienſis Notitia Imperij .

Cunagita] Gunugu Plin. ms. & Itinerar. Antonini .

Sataſa &c.] & Adeodatus in coll. Carth.

de

de quo ſupra pag. 106. Huc pertinet Donatus Satacenſis in Mauritania Cæſarienſi Epiſcopus apud S. Leonem M. epiſt. 87. Ita enim in vetuſtiſs. ms. Vat. 1342. legitur, ubi vulgo Salicinenſis editur.

Caſtellum Ripenſe &c. Cerealis] Hic Cerealis à Gennadio inter Scriptores Eccleſiaſticos commemoratur cap. 95. & Libellus eius de Fide Catholica contra Maximinum Arrianum extat in Bibliotheca SS. Patrum, ubi in principio libri ſimpliciter Caſtellenſis Epiſcopus vocatur.

Pag. 112. *Subur*] eadem cum Zuchabari ſupra pag. 108. [*Maxim. Epiſc. Subur. eſt in Coll. Carth.*] Idem infra pag. 115. Suboabbiritenſis, ut in coll. pag. 136.

Bida etc.] Limes Bidenſis in Notitia Imperij.

Tiſilta &c.] Et pertinet etiam huc fortè Donatus alius Tiſilitenſis in coll. Carth.

Agna &c. Victorianum Epiſcop. Agnenſem] in editione Pith. Aquenſis.

Macania etc. Vnde Ferox] eſt Macrianenſis in Byzacena ſupra pag. 103.

Metagonium] Mutugenna Numidiæ ſup. pag. 95. [*Antonium*] Mutugenſem Pith.

TRIPOLITANA.

PAg. 113. *Leptis magna &c.*] Salvianus Donatista Leptitensis in coll. Carth. Dioga in Concil. Carth. S. Cypriani commemoratur.

Sabrata] Plinio &c. [*vulgo Rakianabes.*] Pompeius Sabratensis in Concil. S. Cypriani. Donatus Sabratensis Maximianista unus ex XII. Ordinatoribus Maximiani in Synodo Cabarsussensi Aug. lib. 3. contra Cresc. c. 53. damnatus in Concilio Bagaiensi Donatistarum. Idem August. ibid. c. 19. Leo in Notitia Africæ.

Girba] Victor apud Optatum Milevitanum. Quodvultdeus Giuirtensis pro Girbitensis in coll. Carth. Vincentius Gerbitanus Conc. Carthag. Bonifatij. Faustinus Girbitanus in Notitia.

Oea &c.] Cresconius Oënsis in Notitia Africæ.

Tacape Plin. lib. 5. cap. 4.] Colonia Tabulæ Augustanæ &c. Gallus in Conc. Carth. Bonifatij: alibi rectiùs Gaius vocatur. Dulcitius Tacapitensis in Coll. Carthag. idem Legatus missus fuit ad Conc. Carth. VIII. anno 403. ut in codice canon. cap. 90.

INCERTÆ PROVINCIÆ PER AFRIC. EPISCOPATVS.

A

A Senemſalenſis] Senemſalenſis ſupra pag. 95.

Amburenſis] Amphorenſis p. 96.

Abbezenſis] Abbenenſis.

Azugenſis] error Scripturæ pro Vagenſis.

Aptucenſis] pag. 91.

Amacrurę] Ab Accura.

Aquitaniæ] Aquitanæ.

Auſuagæ] Auſuagiga [*Aymnius*] in Concil. S. Cypriani & *D. Auguſt. &c.*

ab Abbir] eſt Abbirita in Proconſ. ſup. p. 93.

* ANIVSENSIS. Gududus coll. Carth. Pith. in Pariſ. edit. Auinſenſis.

* ARENENSIS Creſcentianus collat. Carth.

B

Bellulitenſis] Bellalitenſis, an Belaſitenſis, ut ſit eadem cum Beleſaſe?

Botrianenſis Donatus] Donatiſta qui Catholicum contra ſe non habuit.

Bamacorenſis] Vamaccorenſis. Caſſianus Catholicus ibid. p. 105.

* a BAMMACVRA Felix Conc. S. Cypr.

Burugiatenſis] a Buruch Quietus cõc. S. Cyp.

Bofetenſis] pag.98.

* BLADIENSIS Potentius ibid.

Boſutenſis] Boſetenſis. Palatinus ibid.

Bartinifienſis] Bartiniſienſis, Bartimienſis in Pith. Victor ibid.

Bucarenſis] Boncarenſis edit. eſt Voncarienſis pag.111.

à Bagai] Hinc Concilium Bagaienſe Donatiſtarum ſupra pag.99. & Donatus Bagaienſis Donatiſtarum Anteſignanus apud Optatum Milevit. lib.3. econtra S. Auguſt. epiſt.68. Epiſcopi Catholici Bagaitani malè à Donatiſtis mulctati meminit. Et Felix hic Baiancnſis adfuit Concilio Genethlij: Beanus Baianenſis junus ex XII. Maximiani Ordinatoribus in Synodo Cabarſuſſ. Auguſtin. contra Creſc. lib.3.c.53.

* BVRITANVS Donatus coll. Carth.

* BVRONITANVS Fauſtus, Victor Vit. lib.1.

C

à Aſtro Galbæ Lucius] S. Cyprian. D. *Auguſt. etc.*

à Cedias] & Cedienſis, Fortis Donat. coll. Carthag.

* CENENSIS. Bonifatius ibid. & Vindemius Donatiſta à Cenis.

* CANCOPITANVS. Felix ibid.

* CERAMVNENSIS. Severianus ibid. vel potius Ceramuſſenſis & Cernamuſenſis. Sermentius Donatiſta.

* CÆSARIANENSIS. Creſconius ibid.

Clienſis] Elienſis legitur in edito ſup. p. 104.

Cenenſis] à Cenis.

Catagnenſis] Cataquenſis ſupra. pag. 97.

Ceneſtenſis] Teueſtenſis coll. ſupra pag. 98.

[*Perſeverantius*] Donatiſta.

D

Ruſilianenſis] pag. 95.

Diabenſis] idem qui Zabenſis ſupra pag. 106.

E

Verenſis] fortè Verenſis pag. 94.

Enſis] Oënſis pag. 113.

F

* FELICIANIATENSIS Diœceſis vicina Abziritenſi in Coll. Carth.

Feraditenſis maioris] pag. 102.

Furvitenſis] Furnitenſis. lego ſic in edit. Pith. à Furnis; vide ſup. pag. 91.

Fiſſanenſis] nunquid Fuſſula?

à Furnis] ſup. pag. 91.

G

Gitenſis] Gitti municipium Antonino.

* GINESITENSIS Salariæ. Proculus collat. Carthag.

Gazabienſis] pag. 96.

* GIVIRTENSIS. Quodvultdeus Coll. Carth. fortè Girbitenſis.

* GVIREN. Lucianus coll. Carthag. fortè Girenſis à Gira ſup. pag. 100.

H

ab HOſpitÿs] eſt Oſpitenſis pag. 99.

Harram Celtenus] ſunt Horrea Celia pag. 100.

I

* IACVBAZENSIS Vindicius Conc. ſub Grato ex ms. nam editi Vindicianum Lacobricenſem vocant.

* INFITENSIS. Victor ibid.

L

Limitenſis] à Limata S. Auguſt. lib. 3. contra Creſcon. gramm. cap. 28.

Lambienſis] Lambeſenſis pag. 96.

M

* MARCELLIANENSIS & Bazitenſis Lucidus Coll. Carth. In Africa Proconſulari.

Magarmelenſis] Megarmelitenſis. Secundus eius Epiſcopus Catholicus ibidem.

nam

nam Felix Donatiſta; ſed vide ſupra pag. 99. Vagarmelita.

Medefeſſitenſis] Menefeſſitenſis pag. 103.

Moptenſis Felix] Leo Epiſcopus municipij Moptenſis in collat. Carth. fuit Legatus provinciæ Cæſarienſis in concil. Carth. cap. 133.

* Mvnacianensis Victorinus, qui præfuit Concil. Carthagin. Donatiſtarum apud S. Auguſt. in pſalm. 36.

N

* Namnvlitanvs. Aurelius ibid. vide ſupra pag. 94.

Nignenſium] Nigrenſium. fortè Vicus Nigras ſup. pag. 95.

Nurconenſis] pag. 111. Murconium.

* Nevasin Reſtitutus ibid. pag. 97. vel Novaſinuenſis.

P

Pertvsensis. Martialis. Auguſt. lib. 3. contra Creſcon. cap. 19. & 53. Pertuſa prope Carthaginem Anton. Itiner. ſup. pag. 93.

* Pisitensis Ambibius ibid. Ambiuij huius mentio in Cod. Canon. Can. 78. Piſida Tab. Itinerar. in Tripolitana.

* Pisitanæ civitatis eiuſque Epiſcopi mētio apud Evodium de reliq. S. Stephani

lib.1. c.13. haud dubiè in Proconſulari.

Piſtenſis] pag.106. Optat. lib.2.

R

Efalenſis] Cefalenſis habet recognitio Pithæi, vt ſupra pag.93.

S

* SIBIDENSIS, Bonifatius Victor. lib.3.

Sinuaritæ] p.94. [*Steph. ibid.*] coll.Cart.

Serterenſis] pag.107.

Selemſilenſis] pag.92.

Summenſis] pag.95.

Sayenſis] an Saldenſis?

Simungitenſis] pag.91.

Suboabbiritenſis] pag.112. & 108.

Simidiccenſis] pag.92.

Siguitenſis] pag.96.

* SATVRNICENSIS, Repoſtus S. Cypriani epiſt.55.

* SALICINENSIS, Donatus Maur. Cæſar. S. Leoni epiſt.87.

T

* TIBARITENSIS, Victor Collat. Carthagin.

Tabaicarienſis] pag.111.

Taprurenſis] pag.100.

Tuburſus] Tuburſica Numidiarum p.95.

Tzellenſis Natalicus] Donatiſta Zellenſis pag.92.

* TALABRICENSIS, Donatianus primæ Sedis

dis Episcopus Numidiæ concil. Carth. 4. puto fuisse Tabracensem.

* Tvbiensis, Felix Collat. Carth.

* Timiticensis, Victor ibid.

* Tisditensis, Donatus ibid.

* Tiseditensis, Lampadius ibid.

* Tasbaltensis, Adelphius Conc. S. Cypriani Thasbaltensis S. August. hinc Innocentius Thebaltensis apud S. August. in psalm. 36.

Tuzummensis Felix] idem cum Felice Zummense pag. 95.

Tusdritensis] Tusdritanus pag. 104.

Tuzuritensis] Tusuritensis. Asellicus Catholicus est Mauritaniæ Cæsar. Namque Aptus, qui eum agnoscit, est Donatista.

* Tvrvdensis. Venustus coll. Carthag.

* Tvrvzitensis, Serotinus ibid.

V

Vamaius] pag. 92. Vcimaius legitur in utraque editione. Num fortè Vza Ptolem. in Africa propria? Plinius lib. 5. c. 4. commemorat oppida Vcitana duo maius, & minus.

* Vamaccorensis pag. 105. & Bamaccorensis. Cassianus coll. Carth.

* Vallitensis, Bonifatius Collat. Carth. fortè idem cum Vlitensi.

* VINENSIS, Victor ibid. Vina vicus Tabul. Peuting.

Voſetenſis] Viſicenſis Felix ibid. fuit Mauritaniæ prope Taboram. Nam Victor Taborenſis Donatiſta ubi interveniebat.

à Victoriana] pag. 104.

* VNDESIENSIS, Fortunatus ibid.

* VZITTARENSIS, Paulus Coll. Carth.

* VTINVNENSIS, Octavius Coll. Carthag. fortè Vciminenſis, de quo ſup. pag. 92.

* VRGENSIS, Martianus apud S. Auguſtin. epiſt. 166. ex Donatiſta Catholicus, ſed tantum presbyter fuiſſe videtur in Diœceſi Hipponenſi.

Z

Zvrenſis] Zuritanæ civitatis Epiſcopi mentio apud Victorem lib. 2.

Zellenſis] pag. 100.

Zeltenſis] fortè Zertenſis: nam Zerta Numidiæ ciuitas.

Zabuniorum Necdianas] Medizabuniorum. Donatus ibidem.

* ZENITENSIS vel ZEMTENSIS, Maiorinus ibidem.

DE

DE GALLIA.

IN ALPIBVS GRAIIS SEV APENNINIS.

Pag. 147. *Octodurum. Theodorus huius Ep. nomin. in Conc. Aquileiensi sub Damaso*] Constantius Epaonensi subscripsit anno Christi 517.

Sedunum] Thodorus adfuit conventui Agaunensi sub Sigismundo Burgundionum Rege; in quo fundatum est celebre eius loci Monasterium anno Christi 515. ut habent Acta fundationis. Quæ si vera sunt, duo eiusdem nominis Episcopi ante Constantium ponendi. [*Rufus Octod. Ep. subscr. Conc. Aurel. V. & Heliod. Sedun. Matisc.* II.] Protasius Cabilonensi.

PROVINCIA NARBONENSIS, SEV NARBONENSIS PRIMA.

Pag. 155. *Castrum Vceciense &c.*] Ferriolus sive Ferreolus apud Greg. Turon. lib. 6. cap. 7.

PROVINCIA AQVENSIS, SEV NARBONENSIS SECVNDA.

Forumiulij &c. Leo M. scripsit epist. 91. ad Theod. Foroiul] Hunc Theodorum præ-

præceſſit Leontius, cui idem Leo Papa vices ſuas commiſit epiſt. 89.

PROVINICA EBREDVNENSIS, SEV ALPIVM MARITIMARVM.

Pag. 156. *Nicæa &c.*] Auſtadius apud Gregor. Turon. lib. 6. cap. 6.

DE MAGNA BRITANNIA.

Lib. 6. num. 8. pag. 162. De S. Auguſtino] Fuit etiam Legatus] Sedis Apoſtolicæ, de qua re vide Baronium anno Chriſti 1117. num. 8.

NOTITIA ANTIQVORVM EPISCOPATVVM MAGNÆ BRITANNIÆ.

Pag. 165. *Colonia Ant. Cambdeno Colcheſter*] Colonia Camalodunum vocabatur, ut eruditè docet Cambdenus, qui eam non *Colceſter*, ſed *Maddon* nunc dici oſtendit; ut & Seldenus in Notis ad Eutychium Alexandr. pag. 119. ubi rectè coniicit in ſubſcript. Arelatenſis Concilij pro *Colonia Londinenſium*, legendum *Colonia Camalodunenſium*. Hoc enim veriſſimum eſt.

Pag. 166. *Addam Orcades*] Epiſcopus Inſularum pag. 168.

HY-

HYBERNIA.

Pag. 170. *His obstare videtur qnantum ad Armacham Beda &c.*] Beda non loquitur de ipsa Insula Hyberniæ, sed de adiacenti Insula parva Hia, in qua S. Columba Monasterium extruxit, cuius Abbas supremam etiam in ipsos Episcopos auctoritatem obtinebat. Hoc tamen non officit, quin primus inter reliquos Episcopatus fuerit Armacha.

NOTITIA EPISCOPATVVM HISPANIÆ.

PROVINCIA CARTHAGINENSIS.

Pag. 184. *Carthago*] Primo loco ponenda erat: nam Toletum post annum Millesimum Metropolis facta.

PROVINCIA BRACARENSIS IN GALLECIA.

Pag. 186. *Bracara &c. Ex eius Episcopis*] Profuturus, ad quem extat Vigilij Papæ epistola, falso Eutherij nomine, quæ citatur in Concilio Bracarensi primo. Lucre-

cretius, qui præfuit dicto Concilio Bracarensi I. post hunc [*Martinus &c.*

PROVINCIÆ EMERITENSIS, SEV LVSITANIÆ.

PAg. 187. *Ossonaba Ptol. ibid. vulgò Estoy*] Estombar. *Vinc. eius Antist. subsc. Conc. Eliber. & Petr. Tolet.* III.] Ante hos Itacium commemorat Sulpitius Severus. Sed apud eum malè Sossubensis pro Ossonabensi legitur.

PROVINCIA HISPALENSIS, SEV BÆTICA.

PAg. 188. *Ilipa*] ILIPLA sive ELIPLA, nunc vulgò Niebla, sedes Episcopalis fuit, non Ilipa, vt falsò existimavit Morales, quem noster hic sequitur. Vide Roder. Carum lib. 3. antiquit. Hispalens. cap. 83. eruditè de Eliplæ Episcopatu & Episcopis differentem.

Asindum] ASIDO Plin. & antiq. Inscript.

PROVINCIA TARRACONENSIS.

PAg. 189. *Calagurris*] Silvanus Calagoræ Episcopus tempore Hilari PP. in Cod. Can. *Bar-*

Barcino etc. vulgò Barzelona] Prætextatus adfuit Synodo Sardicensi in fragm. S.Hilarij, Lampius, qui S.Paulinum presbyterum ordinavit. Nundinarius tempore S. Hilari Papæ in cod. Can. ubi corruptè Varohiensium civitatis legitur, & Vercenonensium

INCERTÆ SEDES.

Lacobriga &c.] Lacobricensis Episcopus Vindicianus ex Africa legitur adfuisse Concilio Carthag. sub Grato, sed mss. Vindicium Iacubazensem vocant.

DE ILLYIRCO ORIENTALI.

Pag.196. nu.14. sub finem. *Hæc autem cum ita sint, non parum mihi probabile est eam civitatem (Thessalonicam) Metropolim fuisse totius Illyrici*] Hoc testatur Acholius apud Socratem hist. Eccl. lib.5. cap.6. qui de fide sua interrogatus à Theodosio Aug. respondit, opinionem Arrij minimè per Illyricum penetrasse, cuius scilicet Metropolis erat Thessalonica. Vnde nequaquam ferenda est huius loci correctio apud Baron. anno 380. n.1. ubi Illyrici loco Macedoniam scribendum existimat.

Et nu.15. lin.6. pag.197. *Vnicamque per illa*

illa tempora veram Metropolim Eccleſiaſticam Macedoniæ, nempè Theſſalonicam] Hoc confirmat Hierocles.

Num. 17. *Chriſtus conſolatus eſt nos &c.*] & multò clariùs ipſe Hormiſda in reſponſo ſuo ad eoſdem Epiſcopos epiſtol. 8. *Tunc B. Eugenius paræciæ veſtræ obtinens principatum cum ſubiecta ſibi S. Synodo etc.*

Pag. 200. num. 22. *Achrida &c. Huius verus & proprius ſitus ignoratur*] Ochrida etiam hodie Archiepiſcopalis civitas.

Pag. 201. n. 23. lin. 25. *ut infra dicetur*] ſupra pag. 193.

PROVINCIA THESSALONICENSIS, SEV MACEDONIÆ.

PAg. 205. Hic duas Provincias confundit, Macedoniam primam, & ſecundam. Hæc enim Stobos Metropolin habuit, ſuoſque peculiares Epiſcopos, ut ex Hieroclis notitia apparet.

Theſſalonica Ætius Theſ. Epiſc. ſubſc. Conc. Sardic. & Anaſtaſius Chalcedon.] Acholius Conſtantinopolitano, Rufus Epheſino, Euſebius ſub Gregorio M. vide Regiſt. l. 12. epiſt. 3.

Philippi &c. Philippus] Porphyrius in Actis Synodi editis & ms. antiquiſſimis

voca-

vocatur &c. Epaphroditus eorum primus Episcopus à B. Paulo constitutus, ut scribunt Theodoretus, Ioannes Chrysostomus, Theophylactus, & alii ad Epistolã Pauli ad Philippenses. Fuit deinde Metropolis Macedoniæ Thraciæ, siue Secundæ, quæ & Salutaris, Serræ postea dicta, ut & hoc tempore, unde Nicetas ὁ Σερρῶν.

Berrhoea &c. teste Leunclauio &c.] Lucas Conc. Chalc. Act. 1. in Ephes Latrocinio.

Stobi &c. teste Nardo Bunius &c.] Bodius Stobiensis in mss. Latinis antiquissimis. Erat Metropolis Macedoniæ Secundæ. Municipium Stobensium in nummo Vespasiani apud Franc. Gotifred. Stobenæ civitatis mss. nomen corruptum in excerptis Malchi, ubi Tobos pro Stobos malè legitur. Malè quoque Interpres τῷ τιεφότῳ τῆς Μακεδονίας πόλιν vertit. primam, quæ illi obviam fuit Macedoniæ Vrbem. Vertere enim debebat: primam ac præcipuam Macedoniæ urbem.

Paroecopolis &c. Partecopolis dicitur] Hierocli & [*Conc. Chalced. &c.*] Ionas à Macedonia de Particopoli Sardicensi adfuit.

Deborus &c. aliis Doberus] in Concilio Chalcedonensi Δόβηρος. sed Latini Doberitanum Episcopum vocant.

Cassandria &c. Hermogenes Cass. Ep. eidem

Concil. Chalced. ſubſcr.] Epheſ. Latrocin. Act. 1.

Heraclea &c: Benignus Conſtantinop. gen. v.] Collat. v. ubi Heraclea Pelagoniæ dicitur ad aliorum diſtinctionem, præſertim Heracleæ Strymonis in eadem provincia Macedoniæ. Illa poſtea Archiepiſcopalis fuit, ut habetur in excerptis Legationum Malchi: nam de Heraclea Pelagoniæ Malchum loqui ex ſequentibus patet.

* PRIMVLA, Hierocli, in Actis Conc. Cõſtantinop. ſub Flaviano: Primopolis cuius Epiſcopus Timotheus ibidem ſubſcripſit.

ZAPARA Hierocli, Macedoniæ Secundæ civitas in Concil. v. Conſtantinop. coll. 2. legitur, Sabinianus Epiſcopus Zaparenæ civitatis Illyricianæ diœceſeos.

Pag. 206. *Topiris*] Τοπηρὸς Hierocli, qui in provincia Rodopæ ponit in Conc. Epheſ. Act. 1. Τοπηρίου τῆς θρᾴκης. Epiſcopus Lucianus. Sic apud Antoninum Topinium ſcribitur, pro Topirium. In nummo M. Aurelij apud Fr. Gotifred. circa Fl. Hebrum ΤΟΠΕΙΡΗΤΩΝ legitur. In alijs circa Herculem ſedentem Card. Barb. & Franc. Gotifredi legitur: ΟΥΛΠΙΑC ΤΟΠΙΡΟΥ, & in uno Magni Ducis ΤΟΠΕΙΡΟΥ &c. Lucianus Epheſino ſubſcrip. ubi itidem Thraciæ tribuitur.

Serræ

Serræ &c. Maximinus] Σ ερρέων in Græco &c. Serræ Macedoniæ olim vocabantur Philippi.

PROVINCIA LARISSENA, SEV THESSALIÆ.

Arissa &c.] Basilius in Ephesino stetit à partibus Nestorii. Ioannes legitur apud Gregorium M. Idem inter Metropolitas, quibus scribit Cælestinus Papa in Cõcil. Bonifatij 2. Stephanus in Conc. Bonifatij 2. & ante eum Proclus ibidem.

* SCARPHIA. Ptolem. ibid. Steph. & Hierocli. Cyriacus eius Episcopus subscripsit Synodicæ Gennadij Patriarchæ Constantinop. tom. 1. Iuris gr. Rom. Ea etiam nunc nomen retinet, teste Sophiano: sed noster hic cum Echino confundere videtur, quamvis infra inter incertos posuerit pag. 322. ubi Stephanum eius Episcopum habet.

Demetrias &c.] Andreas Demetriadis Episcopus in Concilio Bonifat. Papæ II.

Echinus &c.] Theodosius Echinienſis in Concilio Bonifatij II.

* GOMPHI. Ptolem. Steph. & Hierocli. Eustathius Gomphienſis Episcopus legitur in Concilio Bonifatij II.

CÆSAREA vel DICÆSAREA Hierocli. Timotheus Episcopus Dicæsareensis in Concilio Romano Bonifatij Papæ II.

Lamia &c.] Lamniensis mss. Latino antiquissimo.

Triccæ &c. Ptol. ibid. vulgo Tricala]. sic Tzetz. chil 9. cap. 280.

Thebæ Phthiotidæ Ptol. ibid. vulgo Zitoa] Modestus à Thessalia de Thebis subscripsit Concilio Sardicensi &c. Elpidius in Concilio Romano Bonifatij Papæ II.

PROVINCIA NICOPOLITANA SEV EPIRI VETERIS.

POsteriorum sæculorum notitiam habemus in Iure græco Romano p. 233.

Nicopolis &c. Ex huius Sedis Præsulibus] Heliodorus Sardicensi. Dynatus Ephesino [*Atticus Chalc. Conc. subscr. Et Eugenius Ep. Syn. vet. Epiri ad Leonem Imper.*] meminit eius & Hormisda Papa epist. 8. Ioannes relat. Synod. ad Hormisdam Papam in epist. Decretal. pag. 448. & seqq. ubi se Alcisonem decessorem habuisse testatur. S. Gregorius Registri lib. 12. epist. 2. Andream Nicopolitanum Metropolitam commemorat. Soterichi, & Hypatij successoris eius mentio in Epist. Honorij papæ apud Deus-

dedit

dedit Cardin. in collect. canonum lib. 1. cap. 188.

Anciasmus Hierocli ms. Oncheſmus Ptolem. ib. & Anchiaxus] ſed mss. Anchiaſmus &c. Chriſtodorus relationi Synodicæ ad Hormiſdam poſt epiſt. 7.

Pheonica. Ptol. ibid.] Peregrinus Phœnicenus Chalcedonẽſi &c. Philippus Phœnicenſis relat. Synod. ad Hormiſdam.

Pag. 207. *Dodonea*] Dodone [*Theod. Dod. Ep. Concil. Epheſ. ſubſcr.*] Philoctetus Chalcedonenſi] *& Vran. d. Ep. ad Leon.*] Iulianus Dodones relat. Synodicæ ad Hormiſdam.

Corcyra &c.] Chryſippus relationi Synodicæ ad Hormiſdam. Sotericus Chalcedonenſi.

Adrianopolis &c. Eutychius] Euſtochius alibi corruptè vocatur pag. 74. &c. Conſtãtinus relationi Synodicæ ad Hormiſdam poſt epiſt. 7. ubi nomen hoc corruptum.

Buthrotum. Str. lib. 7. & Ptolem. lib. 3. c. 14. Buthrotorum ſinus] Ioannes Concilio Chalcedonenſi [*Steph. Buth. Epiſc. eid. ep. ſubſc.*] Matthæus relationi Synodicæ ad Hormiſdam.

Euria &c. Italis San Donato] Marcus Eurias Chalced. Act. 1. interfuerat, & Epheſ. Latrocinio. Donatus eius Epiſcopus vixit tẽ-

pore Honorij Papæ, ut ex Reſcripto quodam eius apparet in collect. Card. Deusdedit &c. Apud Gregorium Magn. lib. 12. epiſt. 2. & 3. Iſauria corruptè editum eſt, quod ex ms. Britannico corrigendum, ubi Euria ſemper legitur. Ex dictis epiſtolis apparet idem eſſe oppidum, quod nunc S. Donati eſſe dicitur. Sed vide Procop. lib. ædif. & epiſtol. 8. Ioannes eius Epiſcopus commemoratur.

Photica &c. Huius Antiſt. Didacus] Diadochus [*ſubſc. d. Ep. ad Leon. &c. et Philippus alteri ad Hormiſdam*] Philippus hic Phoenicenſis fuit Epiſcopus. Hilarius autem Photices ibidem ſubſcripſit.

PROVINCIA CORINTHI, SEV ACHAIÆ.

Corinthus] Ioannem Corinthiorum Epiſcopum commemorat S. Greg. M. [*Petrus Ep. Synod. Achaiæ ad Leon. Imper.*] & paſſim Concilio Chalcedonenſi.

Athenæ &c. Dionyſ. I. Athen. Epiſc. dicitur apud Euſeb. lib. 3. cap. 4.] & Publius eiuſque ſucceſſor Quadratus apud Hieronymum lib. de Script. Eccleſ. cap. 19. Apoſtolorum temporibus proximi ex Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 23.

Pag. 208. *Corone &c.*] Κορωνίας Episcopus vocatur Agathocles, quâ Boetiæ esse puto, atque ita ab Hierocle cognominatus. Ab ea diuersa est non solum situ, sed & nomine Κορώνη Peloponnesi.

Naupactus &c.] Irenæus Chalcedonensi adfuit.

Megara &c. Megra dicta] Alypius Sardicensi &c.

Thebæ Anisius] Anysius.

Platea Ptol. *ibid. non extat hodie hæc civitas*] Athenodorus à Platea Sardicensi &c.

PROVINCIA EPIRI NOVÆ.

Pag. 209. Ἡ κατ' Ἐπίδαμνον ἤπειρος vocatur Malcho in excerptis Legation. cui τὴν ἄνω ἤπειρον subiungit. Interpres malè utramque confundit. Idem Malchus νέαν ἤπειρον quoque vocat.

Dyrrachium etc.] Vrbicus Dyrrachinus apud Gregor. M. Eucharius Ephesino. vocatur autem Δωρακίς. Sic in subscriptione Concil. Chalced. in cod. can. Lucas Doracensis. Act. 6. Concil. Chalcedon. Lucas Dyrracinus. & in Actis Concilij mss. antiq. Deracenæ; sic apud Facundum Hermianensem lib. contra Mucianum pag. 581. Marianus Doracensis.

Apollonia &c. Piergi Turcis Sophiano teſte] Felix Apolloniæ & Bellidis Epiſc. in Conc. Epheſino ſiue Bullidis, quæ mox ſequitur. [*Euſebius &c. ſubſc.*] Conc. Chalcedonenſi & [*dictæ Ep. Syn.*]

Aulon. etc. la Valona Italis etc.] Avlona incolis Albanis.

Lychnidus etc. Turcis Guiſtandel] Dionyſius. In alijs Zoſimus de Lygnido Sardic. ubi Achaiæ tribuitur.]*Anton. Lychn. Ep. in ſubſcr. d. ep. legitur*] qui interfuit etiam Epheſino Latrocinio Act. 1. Conc. Chalc. Ad Laurentium Lygnidi Epiſcopum extat epiſt. 1. Gelaſij : eius mentio in Chronico Marcellini Comitis.

Bullidum ſeu Bullis. Ptolem. lib. 3. cap. 12.] Bulis Hierocli. Bellis corruptè in Act. Concil. Hæc coniuncta fuit Apolloniæ, & Felicem Epiſcopum habuit in Conc. Epheſ. Act. 1.

Λισσὸν civitas Epiri novæ Hierocli. Hinc, puto, Martyrius Heliſtrenſis in Actis Concilij Conſtantinopolitani ſub Flaviano, in Actis Concil. Chalcedon. pag. 133. ſed in Conc. Epheſino Act. 1. Ἡλισσὸν ſcribitur. Vnde certo credo hæc eſſe Iliſtra Lycaoniæ Hieroclis.

Paulus Prinatenus etc.]Priſna civitas Epiſcopalis ſub Acridenſi Archiepiſcopo.

PRO-

PROVINCIA CRETÆ.

Gortyna etc. Iconius] Tychonius antiqq. mss. Latini &c. Ioanni Cretensi Metropolitæ scribit Gregorius M. Philippus Gortynensis Episcopus legitur apud Eusebium lib. 4. Hist. Eccles. cap. 23. ex Dionysio Corinthio.

Lappa &c.] & ante hos Paulus Ephesino Concilio adfuit.

PROVINCIA PRÆVALITANA

Pag. 210. *Achrida*] Scodra Metropolis fuit Prævalis, donec Iustinianus patriam suam ad eam dignitatem evexit. Hierocles tamen DVRRACIVM olim quoque Metropolim fuisse ostendit &c. Idem Scodritanus inter Metropolitas Illyrici po nitur à Greg. M. lib. 7. Ind. 2. ep. 69.

Scodra etc. Steph. Episcop. Scodræ fuit ex D. Gregor. epist. 36. lib. 1. Ind. 9.] Et Constantius epist. 34. lib. 10. Ind. v. Senecio Concilio Ephesino subscripsit. Bassus Senecionis decessor, ut ex epistola Siricij Papæ apparet.

* DOCLEA huc transferenda ex pag. 77. fuberat enim Scodritano Primati, ut ex Gre-

Gregorio Magno lib. 10. epiſt, 34. apparet:

* RHIZINIVM Plinio. Rhizon Stephan. vulgo Riſino. Dalmatiæ vel Illyrici civitas ad mare Hadriaticum. Sebaſtiano Epiſcopo Rhizinienſi ſcribit S. Greg. M. lib. 1. epiſt. 27.

* LISSVS Hierocli & Ptolem. vulgo Aleſſio ad mare Hadriaticum. Ioannem Liſſitanæ Eccleſiæ deſolatæ Epiſcopum ad Scyllatinam tranſtulit S. Gregorius M. lib. 2. epiſt. 25.

PROVINCIA SARDICENSIS IN DACIA VTRAQVE ET MOESIA SVPERIORI.

HIc diſtinguendæ erant tres diverſæ provinciæ earumque Metropoles & Epiſcopatus.

Sardica etc. vulgo] Sofia, ut ex eius loci Antiſtite certo reſcivi. Baſiliſcus Serdicenſis tempore v. Synodi apud Facundium Hermianenſem pag. 581. Iulianus Epheſino ſubſcr. Domnio in Chronico Marcell. Com.

Remeſsiana] Romatiana dicitur Latinis Scriptoribus Gennadio & Martyrologijs &c. Niceta Romatianæ Epiſcopus S. Paulini hoſpes.

Aquæ

Aquæ etc.] Vitalis à Dacia Ripenſi de Aquis ſubſcripſit Synodo Sardicenſi in fragm. S. Hilarij.

* Iscvs. Daciæ Ripenſis Hierocli. Valens de Iſco Sardicenſi ſubſcripſit, qui & Iſcopolitanus.

* Naissvs. Civitas Daciæ Hierocli, patria Conſtantini Magni Imperatoris. In Concilio Sardicenſi Gaudentius à Dacia de Naiſſo. Eiuſdem Epiſcopus fuit Bonoſus hæreticus, ut apparet ex epiſt. 28. S. Innocentij I. ad Martianum Epiſcopum Naiſſitanum. Ita enim mss. optimi, ubi vulgò Naxitanus editur, legunt Proiectus Naiſitanus in Concil. v. Act. 2. legitur. Gaianus Naiſitanus in Chronico Marcellini Comitis ad annum 506. Hæc pagina ſequenti malè vocatur Neſſyna.

PROVINCIA DARDANIÆ.

VIde Marcellini Comitis Chronicon ad annum Chriſti 518.

Scupi etc.] Ioannes Epiſcopus Sacroſanctæ Eccleſiæ Scopinæ Metropolitanæ civitatis ſubſcripſit Epiſtolæ Epiſcoporum Dardaniæ ad Gelaſium Papam, & poſt eum quinque alij eiuſdem provinciæ Epiſcopi, quorum tamen Sedes non exprimuntur.

Pau-

Paulus Dardaniæ Metropolita ſubſcripſit Concilio Epheſino, & habetur inter Metropolitas, quibus ſcribit Cæleſtinus Papa epiſt. 13. in Conc. Bonifatij II.

Diocletiana etc.] Baſſus Sardicenſi. Sed ibi Macedoniæ tribuitur. Hierocles Theſſaliæ annumerat.

* PAVTALIA. Daciæ mediterraneæ civitas Hierocli, quam Ptolemæus & Stephanus Thraciæ tribuunt. quamvis malè apud hunc Paetalia ſcribatur. Evangelum Pautalienſem Epiſcopum commemorat Marcellinus Comes in Chronico ad annum Chriſti 516. In Excerptis Malchi malè ſcribitur παυταλία, ubi eius ſitus egregiè deſcribitur ad fauces Thraciæ.

* MARGVS. Mœſiæ primæ, ſive ſuperioris civitas, ad fluvij eiuſdem nominis & Danubij confluentes ſita, ut ex Itinerarijs & Notitia Imperij apparet. ubi non ſolum auxilium militare, ſed & præfecturam Claſſis in Danubio habuiſſe legitur. Margi Epiſcopum, ſed ſine nomine commemorant excerpta Legationum Priſci Rhetoris edit. græcæ pag. 21.

Pag. 211. *Neſſyna etc. vulgo Niſſana*] Naiſſus ad Daciam pertinet, ut pagina præcedenti notavi.

PRO-

PROVINCIA MOESIÆ INFERIORIS.

DVæ iſtæ Mœſiæ inferioris & Scythiæ provinciæ ad Illyricum nunquam pertinuerunt, ideoque ad Thraciæ Diœceſim transferendæ ſunt; ſemper enim Conſtantinopolitanæ Sedi paruerunt; neque Sedes Apoſtolica Romana unquam illi hac de re litem movit, cum Illyricum ſibi vindicaret.

Martianopolis etc. Piſtus Martianop. Epiſcop. Conc. Nicæno] Martyrius Conſtantinopolitano. Epagathus Conſtantinopolitano ſub Nectario. Inter Piſtum & Martyrium interceſſit Domninus tempore Valētis Imperatoris, de quo Philoſtorgius Hiſtor. Eccleſ. lib. 9. cap. 8.

Novæ etc.] Hinc puto fuit Secundinus Novenſium Epiſcopus in Actis Conc. CP. ſub Flaviano. Meminit quoque Epiſcopi Novarum hiſt. Miſcell. lib. 17. ſed nomen non exprimit.

Nicopolis etc.] Alciſſus in Chronico Marcellini Comitis ſub Anaſtaſio Imp.

* Tirista, vel ut alij, Prista, quæ Socrati & Nicephoro Calliſto Ξηρόπεγισα Mœſiæ civitas, cuius Epiſcopus Polycarpus Nicopolin Thraciæ translatus fuit,

Auxi-

Auxilius Presbyter in defensionem Formosi Antapristenam urbem vocat, & ex eo Ivo Carnot. in præfat. Decreti.

PROVINCIA SCYTHIÆ.

TOmi *etc.* *Theotimus etc.*] Terentius Constantinopolitano.

* ÆTHERIVS Episcopus Chersonesi provinciæ Scythiæ Constantinopolitano Concilio subscripsit, ut legunt antiquæ membranæ.

PROVINCIA GOTHIÆ SEV DACIÆ ANTIQVAE.

PAg. 212. *Zarmizegethusa etc.*] Silvanum Gotthiæ Episcopum Audianorum hæresi addictum commemorat Epiphanius hæres. LXX. pag. 828: Ex quo loco regionem illam Regem proprium gentilem, & Romani nominis hostem habuisse apparet. Locus Epiphanij maximè notandus, unde apparet Gotthiam ultra Scythiam sitam esse, eam scilicet, quæ Tomos Metropolim habuit, de qua pag. præcedenti. Vnde rectè colligitur Gotthiam tunc fuisse, quæ nunc Walachia, aut Transilvania dicitur.

DE

PATRIARCHATVS CONSTANTINOPOLITANVS

PAg. 214. num. 3. Vbi de *Amaſia etc.* Falsò hunc auctorem laudat ſuæ aſſertionis; nihil enim tale uſpiam apud Stephanum extat, quod vel uno ex loco eius conſtat. v. Amaſia, quam ille non provinciam ſed Ponticam civitatem eſſe ſcribit. Ita Amiſum & Polæmonium ſimpliciter in Ponto locat, uti etiam Sinopen & Trapezuntem. Cappadociam autem cum olim in Maiorem & Minorem fuiſſet diſtincta, ſuo tempore in Primam & Secundam diviſam fuiſſe diſertè ſcribit. Ita Armeniam ferè ſemper ſimpliciter & indiuiſim profert niſi quod Nicopolin Minoris Armeniæ civitatem appellet. Hæc igitur non intellecta ex alijs temere conſarcinata.

Pag. 215. *Cappadocia ſecunda*] Metropolis eius Tyana. Sed poſtea Mociſus ad hunc honorem provecta à Iuſtiniano Imperatore, ut teſtatur Procop. lib. v. ædific. unde & Iuſtiniani nomen tunc accepiſſe videtur. Neque enim alia eſt à Mociſſo ἡ Ἰουστινιανὴ μητρόπολις τῆς δευτέρας Καππαδοκῶν ἐπαρχίας in Concilio Conſtantinopoli-

tano

tano sub Agapito & Mena Act. 2. pag.691. Colon.

Pag. 217. num.6. *Metrophanes Constantini Sinchronus*] quia tunc Constantinopolis primum exædificata fuit à Constantino veteteris Romæ æmula .

Paulò post. ibi: *At iura Patriarchæ tantum obtinuit etc.*] Quinimo Concilium Constantinopolitanum I. sub Theodosio maiore Ecclesiæ & Episcopo Constantinopolitano prærogativam secundi honoris post Romanum tantum tribuerat, ut videre est in canone eius tertio. Iura autem ipsa, & exercitium Iurisdictionis in Thracicam, Asianam & Ponticam Diœceses, earumque Primates constituit Concilium Chalcedonense, quod tamen iam ante invaserat, non contentus mero titulo honoris, quin etiam in totum Illyricum manum extendere, & Sedi Romanæ subtrahere conatus fuerat tempore S. Bonifatij I. ut docent Acta Concil. Romani sub Bonifatio II.

Pag. 218. *Non ait hunc Patriarchico honore primum tunc Donatum fuisse*] Imo simul uno eodemque tempore & honoris prærogativam, & sessionis prælationem accepit; nam vanum erat honorem, vel potiùs honoris umbram sine loco assignare.

Paulò post. *Et tota Thracia sorte obvenit*]

Hoc

Hoc Interpres Anglus de sua adiecit.

Pag. 219. *Pallium, quod Humerale vocant, jam tunc Patriarchæ Constantinopolitano concessum*] quia id omnibus omnino Orientis Episcopis usitatum gestamen.

Paulò post. *Et quod præter illud Humerale, Pallium*] Mantum posteriores appellarunt huiusmodi pallium.

Pag. 220. n. 7. l. 17. *Probaturque ex ep. Leonis* M. *ad Anastasium*] lege ad Anatolium.

Paulò post l. 23. *Proximi post Legatos R. P. sederint.*] Hoc tunc factum, quia Dioscorus Alexandrinus Eutychis fautor ob hæresim & crimina commissa à Concilio depositus fuerat; & hæc ambitiosa præsumptio Anatolij summoperè displicuit S. Leoni, quod ante Antiochenum sedere ausus fuerit.

Pag. 222. n. 9. l. 29. *Cui regendorum Episcoporum Ponti & Asiæ auctoritas ab Ecclesia data fuerat*] Imò earum Diœceseon Exarchi Cæsariensis & Ephesinus sua sibi πρωτεῖα confirmata habebant per Canonem Nicænum.

Pag. 223. l. 31. *Nullum præter Constantinopolitanum, aut &c.*] Hoc est contra perspicua verba mentemque Canonis, qui expressè testatur vocatque Episcopos illos Barbaricos τῶν προειρημένων διοικήσεων prædictarum Diœceseon, & sub ordinatione

curaque Primatum aut Metropolitarum erant, à quibus fidelium quasi coloniæ in loca illa barbarica deductæ fuerant. Ita Pityusa & Sebastopolis trans Euxinum in barbarico sitæ ad ponti Polemoniaci Exarchum pertinebant, ut notavi inferius ad paginam 258. Itaque hæc exemptio & innovatio fuit, aut potius usurpatio Constantinopolitani Patriarchæ supra dictos Primates, ut eorũ auctoritate accisa suam augeret. Huc pertinent quæ notat infr. p. 260. de Iberiæ & Lazicæ Episcopis. & quæ pagina 228. de Ephesini iure sublato ex Euagrio obseruat.

Pag. 224. n. 10. l. 23. *Num vides &c.*] quia canone illo 28. Chalcedonen. in ordinem fuerant redacti, & Constantinopolitano Patriarchæ submissi.

Pag. 225. n. 11. l. 28. *Peregrinã seu translimitaneã ex hoc vocantem, quod extra Pontum &c. esset*] Nõ opus est hanc limitationem ad universam Ponti Diœcesin extendi magis quam ad solam Cappadociæ provinciam. Ita perspicuè intelligit Gregorius Nazianzen. orat. 20. in S. Basilium, ad cuius electionem & consecrationem conveniisse scribit Episcopos ἐκ τῆς ὑπερορίας, & inter illos patrem suum Nazianzi Episcopum ponit, ubi eum de strictis primæ Cappado-

ciæ

ciæ limitibus loqui certum eſt. Billij autem verſio nimis laxa eſt, qui Epiſcopos ab exteris regionibus excitatos ſcribit.

NOTITIA ANTIQVA EPISCOPATVVM PATRIARCHATVS CONSTANTINOPOLITANI.

THRACIA.

PROVINCIA EVROPÆ.

PAg.233. Ad hanc Thraciæ Diœceſin pertinent etiam Mœſiæ inferioris & Scythiæ provinciæ, quas malè Illyrico accenſet Auctor ſup.pag.211.

Heraclea &c.]vocatur Heraclea Thraciæ ad diſtinctionem reliquarum.

Cælos] Cœla ſive Cœlia Hierocli & Acta Concil.Epheſ.Cœlan vocant.

Cyla] hæc eſt Cœla, quam modo recenſuimus.

Aphrodiſia]Aphrodiſias. [*Habuit a. Sabſadiam alteram ſedem Epiſc. ſibi ſubditam*]planè contrarium affirmant acta Concilior. Savadienſi enim ſuberat Aphrodiſias.

Pag.234. *Byzia Ptol.ibid.*] reliquis Βύξη, ut & actis Synodorũ. [*Arcadiopolis dicitur*]& ſic Euprepius in Cõc.Epheſino act.7.p.309

PROVINCIA THRACIÆ.

D *Iocletianopolis &c.*]& ante in ipso Concil. Chalced. Act. 6.

PROVINCIA HAEMIMONTIS.

H *Adrianopolis &c. Endren Turcis. Eutropij*] Meminit Athanas. ad Solitarios p. 812 de eius exilio. De Lucio autem pag. 821. [*Iulius* R. P. *ad Orientales Episc. scripsit.*] Ammon adfuit Concilio Constantinopolitano sub Nectario.

Mesembria &c.] Episcopo Mesembriæ olim attributa fuit Ecclesia Aquensis in Dacia Ripense, sed hanc eidem ademptam Achridensi Patriarchæ subijcit Iustinianus novell. 11. coll. 2. ubi infeliciter vocatur Meridianum & Meridianus Episcopus ab imperito Interprete.

Pag. 235, *Deueltus &c. Iouinus &c. Concil. Chalc. subscrip.*] & Synodicæ Gennadij Patriarchæ Constantinopolitani.

Anchialus &c. Seb. Ep. Anch. est in Concil. Constant. 1.] Sabbatius subscripsit Synodicę Gennadij P. CP. Tom. 1. Iuris græc. Rom.

PRO-

PROVINCIA RHODOPES.

HIerocles primo loco Ænum ponit. *Trajanopolis &c. Huius Epiſc. Metropolit. fuiſſe clarè videtur in ſubſcript. Concil. Chalced.*] Act. 1. Theodulum eius Epiſcopum commemorat Athanaſius ad Solitar. p. 821. [*cui hoc cum nomine ſubſcripſit*] Ioannes in ultima ſubſcriptione collat. 8. Ioannes legitur Epiſcopus Maronitarum Metropol. Rhodiæ provinciæ. Eleuſini autem nomen nuſquam ibi comparet. Paulò ante legitur Aſignius Trajanopoleos Epiſcopus, ſed ex Phrygia. Ioannes ſubſcripſit, Synodicæ Gennadij P. Conſtantinopolitani.

Maximianopolis &c.] Euſtathius Maximianopolitanorum metropoleos Epiſcopus Concil. v. Conſtantinopolit. collat. 8.

Maronia &c. Docimaſius &c. in cuius ſubſcript. reperitur] & in ſubſcript. Synodicæ Gennadij. & ſubſcripſit concilio Chalced. Act. 6.

Ænus &c.] Olympium Τὸν ἀπὸ Αἶνου commemorat Athanaſius ad Solitar. p. 821.

* TOPIRVS huc transferenda ex p. 206. Tum etiam duæ illæ provinciæ Mœſiæ ſuperioris & Scythiæ, quas ſupra p. 211. Illyrico malè annectit, hìc ſuo loco inſeri debẽt.

ASIANA DIOECESIS.

PROVINCIA ASIÆ.

PAg. 236. *Epheſus &c. Timotheus &c.*] Caſtinus & Heraclides Memnonis prędeceſſores ibid. in concil. Chalcedonenſi Act. 11. commemorantur. [*Menophantus &c. apud Theodoret. &c. qui hunc Nic. Conc. adfuiſſe ſcribit*] Stephanus Chalcedonenſi. & poſt hunc Ioannes in epiſtola Leonis Imp. parte 3. num. 21. ante Stephanum fuerat Memnon, de quo Act. 11. eiuſdem concil. Chalced. cui ſubſtitutus eſt Baſilius, & poſt illum Baſſianus Sedem illam invaſit. Huic amoto ſuffectus Stephanus, qui adfuit Chalcedon. conc. à quo & ipſe depoſitus.

Trallis Ptol. ibid.] vel potius Tralles; ut alij. [*Maximus in Conc. Chalc.*] Act. 6.

Adramytium &c. Helladius Adr. Ep. Subſc. Conc. Epheſ.] Aurelius conc. Conſtantinopolitano ſub Flaviano &c.

Aſſum &c. Maximus Aſſi Ep. ſubſc. Conc. Epheſino] leg. Chaleedonenſi Act. 6.

Maſtaura &c. Maximus] Sabbatius ex ms. Latin. reſtituendus: nam vulgati codices hic ſunt mutili &c. Theodoſius in Epheſino.

Brul-

Brullena Civ. Asiæ Conc. Chalc.] Priulla Hierocli. [*Timoth. Briulorum Ep. subsc. Conc.*] Ephesino, ut videre est Act. 1. concilii Chalcedonensis.

Myrrhina.] Myrina.

* EVAZA. Hieroclis Notit. Olympius Evazorum Episcopus concil. Chalced. Act. 1. & Eutropius in Ephesino. Eidem ordinatus fuerat Ecclesiæ Bassianus, ut concil. Chalcedon. Act. 11. Ἐυαιζωῖς scripsit Basilius Mag. ep. 72. quã ad Evaza pertinere existimo, ut Ἐυαζωῖς potius isthic legendum sit.

AREOPOLIS Hierocli Ἀρεοπόλις in Epheſ. Latroc. Anastasius Areopolitanus, in græco Ἀρεοπόλεως. sed hic Palæstinæ 3. fuit Episcopus. vide infra pag. 317.

* TEMNVS Ptolem. & alijs. Item Hierocli, qui malè Τέμνος pro Τῆμνος scribit. Eustathius cius Episcopus commemoratur concil. Chalced. Act. 6. ubi malè itidem Τεμένε pro Τήμνε scribitur. Et sic iam olim vetus Interpres Latinus ms. Temeni vertit.

ALGIZA. vel Argiza Hierocli: Proclus Ἀργιζῶν Episcopus subscripsit conc. Chalced. Act. 6. ms. Latin. antiquiss. Argilon. vertit.

Pag. 237. *Aureliopolis &c.*] In subscriptionibus concilij Nicæni Antiochus Aureliopolitanus ponitur inter Episcopos Ly-

diæ ſub Sardicenſi Metropolita in mss. antiquiſs. nam in vulgato codice canonum non habetur.

Metropolis &c. Marcell. huius Ep. ſubſc. Conc. Chalc. Act. 1. inter Ep. Aſiæ] & Act. 6.

Valentiniapolis] Valentinianopolis, ut Palladius in Dialogo de vita S. Io. Chryſoſtomi cap. 13. & 14. ubi Euſebium eius Epiſcopum commemorat.

Aninetum &c. Aninatum habet Leunclauius] Hierocli Anineta &c. græcè Ἀνουίστα.

Pergamus &c.] Eutropius in Chalcedonenſi Act. 6. commemoratur.

Anæa] Anea [*Notitiæ*] Hierocli Enea &c. Zoticus Ἀναίας Chalced. Act. 6. ubi ms. Latin. antiq. Aneorum.

Priene &c.] Iſidorus Chalced. act. 6.

Arcadiopolis &c. Alexand. huius Ep. ſubſcr. Conc. Epheſ.] Gerontius Chalced. Act. 6.

Noua aula &c. quæ &c. Theodoſiopolis] ſunt omnino diverſæ: vide pag. ſeq. [*Philippus &c. ſubſc. Conc. Chalc.* Act. 1.] ſimpliciter Act. 6.

Fanum Iouis &c.] ms. Latin. Dios hieru retinet.

Colophon &c.] Alexander Chalced. Act. 6.

Lebedus &c. Iuliani &c. mem. Euagr. hiſt. Ecc. l. 2. c. 18.] & concil. Chalcedon. Act. 6.

Teos &c. Gennadius] Τηΐων, Teienſis mss. Latin.

Latin.[& *Theorum Ep.&c.*]& Act. 1. in Latrocinio Ephesino.

Pag.238. *Erythræ&c.*] Dracontius Chalced.Act.6.

Antandrus &c. teste Sophiano] Aretianus in concil.Chalced.Act.6.&c.

Pepere] Perpere [*&c. teste Castaldo*]Straboni & Plinio Perperene & vet. not. περπερίνη pag.11. [*Pollion &c. ubi ex Lydia*] Sic & Ptolem. primo loco inter Lydiæ, sive Mœoniæ civitates ponit. [*& Pollinus*] Paulinus Perperenensis, qui haud dubiè idem cum Pollino subscripsit v.Synodo Romanæ sub Symmacho &c. Olympius Act.6. inter vicinos Asiæ Episcopos subscripsit; unde apparet duas fuisse eiusdem nominis civitates.

Cuma &c.] Chrysogonus concil. Chalced.Act.6.

Aulium] AVLIV COME, sive AVLII vicus,habet Hierocles; & sic Acta græca concil. Chalced.

Palæopolis &c.]Basilicus Chalced.Act.6.

Bargaza Ptol. ibid.] vel potius Βαρέτλα, ut Hierocles & concil.Chalced.Act. 6.& sic ms.Latin.antiq.

Clazomene &c.Euseb.&c.Conc.Ephes.subsc.] & Chalcedon.Act.6.

Magnesia &c.]Alexander Chalced.Act.6.

HEL-

HELLESPONTVS.

Cyzicus &c. Eunomius eod. teſte cap. 7.] Proclus quoque poſtea Conſtantinopolitanus Patriarcha primum Cyzicenus Epiſcopus fuit, contra quem à civibus electus fuit Dalmatius Monachus. Socrates hiſtor. Eccl. lib. 6. cap. 18. [*Diogenes Cyzici Metrop. Ep. dicitur* Act. 6 *Conc. Chalced.*] ubi pro ſe & ſuffraganeis aliquot ſubſcripſit.

Germa &c.] *Timotheus &c.*] Idem interfuit concilio Epheſino, ubi malè Τέρμης & Τερμιῶν Epiſcopus vocatur, quod correctores peius in θέρμης & θερμιτῶν. mutant, quos hic quoque auctor ſequitur pag. 240. Hipatius Γερμιῶν (ſcribend. Γερμιῶν) ſubſcripſit Synodicæ Gennadij tom. 1. Iur. græc. Rom.

Poemanium &c.] Stephanus Chalcedon. Act. 6.

Pag. 239. *Occa Occe*] Ὦκη [*Alexand. Ep. Occæ*] Ὄκης in Actis Chalced. concil. act. 6. pag. 267. & ſic ms. antiquiſs. Latin. Ocis reddit.

Bares &c. Eutychianus &c. act. 16. Concil. Chalced.] act. 6. pag. 257. Βάρης gignendi caſu ſcribitur. ms. Lat. Baræ reddit.

Scepſis Scylaci in Periplo] & Hierocli. [*Philoſtor-*

Iostorgius] Eustorgius, ut in Actis; & ms. Lat. Scepsii vertit.

Pionia &c.] Eulalius Chalced. Act. 6.

Præconnesus &c. Ioan. &c. mem. Socrat. hist. ecc. l. 7. c. 35.] Ioannes adfuit concil. Ephesino &c. Stratocles paulò post subscripsit Synodicæ Gennadij P. CP. tom. 1. Iuris græc. Rom.

Pag. 240. *Thermæ*] vitio creata hæc civitas Γέρμης ibi legendum pro Γέρμης. Nam idem Timotheus vigesimo postea anno Synodo Chalcedonensi quoque interfuit. ubi Act. 6. expresse Γέρμης editum legitur. & sic antiquissimus Interpres Latinus ms.

PHRYGIA PACATIANA.

Asana] Azana. [*Pelagius Syn. gener. v.*] & antea concilio Constantinopolitano sub Menna, ubi Ἀζανιτῶν, & Latinè Azanitanus dicitur.

Ancyra &c.] Ancyra ferrea vocatur in ms. antiquissimo; & Lydiæ tribuitur, cuius Episcopus Florentius subscripsit concil. Nicæno.

Cidissus] Cydissus, vel etiam ut Hierocli ms. Κύδισσος apud Ptol. lib. v. cap. 2. Κυδίσσης inde formati leguntur. Ita enim ms. Barberinus expresse legit, non ut vulgo

Κυδ=

Κυδδᾶσις [*Heraclius Cidiſſorum*] in græco Κυδισσῶ legitur, & ſic ms.antiq.Latinus.

Egara &c. Caius Egarorum &c.] in Græco legitur Α'λιάνων, quod rectum eſt. vide pag.ſeq.

Pelte.]Peltæ[*Ptol.ibid.*]& Steph.ac Notit.

Apira] Appia Hierocli in Notit. unde Plinio Appiani. [*Nectarius Appirenſis*] Appianenſis &c. In ms. antiquiſſimo non Appianenſis, ſed Appias ſcribitur.

Cadi] Hinc nummus ΚΑΔΗΝΩΝ.

Tranopolis &c. Aſignius &c.] Ante hunc Theodulus Τρανουπόλεως Epiſcopus ſubſcripſit Synodicæ Gennadij P. CP. Tom.1. Iuris Græco-Rom.

TIMENOTHYRAE. Hierocles corruptè Τεμενοθάραι. Sed nummus antiquus M. Tullij Τημενοθυρέων expresè legit apud Fr.Gotifredum.in tribus nummis apud Peireſcium ΤΗΜΕΝΟΘΥΡΕΥCΙΝ.& ſic nūmus inſignis Valeriani, & Galieni Impp. apud Fr.Gotifredum. In Conc. Chalced. Act,6.Τεμένη θύρων diſtinctis vocibus ſcribitur, vt apud Hieroclem, & ſic ms.Latinus Temenuthyron reddidit.

* DIOCLIA Hierocli & Actis concilij. Euander Diocliæ Epiſcopus ſubſcripſit cōcilio Chalcedonenſi Act.6.

Pag.241. *Aliona*] Aliana.In veteri nummo

mo apud Fr. Gotifredum ΑΛΙΗΝΩΝ &c. Caius Alianorum Episcopus legitur conc. Chalcedon. act.6. vbi ms. Latin antiquiss. Alion vertit : sic Ἀλίων Hierocli pag. 27.

Trapezopolis Ptol.l.5.c.2.Socr.l.7.c.35.] & Nicephorus Callistus lib.14.c.39.

Silbium Pt.ibid.] Hierocli Σιβλία, Act.concil. Σιβλᾶ. [*Eulalius &c. subsc.*] Act.6.

Iluſa] Hierocli : [*in Phrygia Pacatiana legitur*] & sic ms. Latinus antiquissimus vertit .

Nea &c. Antiochus Ep.Neæ &c.] Sic vulgo in Latina versione legitur, sed malè ; nam in Græcis Σ ανάων Episcopus vocatur, de quo mox .

Chæretapa] Ceretapa Hierocli ; & sic Ortelius ex nummo Commodi Imp. & sic antiquissimus ms. Latinus Ceretapes legit Act. 1. concil. Chalced. Sed act.6. Ceratapon vertit . Ita quoque nummus Antonini Pij apud Franc.Gotifredum ΚΕΡΕΤΑΠΕΩΝ. [*Silvanus subscripsit Conc. Epheſ.*] vbi Κερατάπων scribitur . Philetus in Concil. Chalced. Act.6.ubi ms.Lat.Ceratapon .

Coloſſa] Colassa , unde Colassenses , ad quos extat S.Pauli Epistola,quorum nomen postea corruptum fuit in Colossenses, quasi à Colosso fuisset deductum . Codex Græcus admirandæ vetustatis in Biblioth. Vatic.

tic. LXX. Interpp. & alius Codex parvulus ΚΟΛΑCCΕΙC rectè scribunt, & sic in vulgatis omnino reponi debuisset.

Sinnai] Synnaus Σ *ωννάς* in Græco legitur & Hierocli Σ *ίνναος*, & sic alia Notit. pag. 49. ὁ Σ *ωαῦ* ms. Lat. Synnaci pro Synnai scribit.

Themisonium] ΘΕΜΙΣΣΟC in Act. Concil. Chalced. act. 6. ubi Zosimus eius Episcopus legitur. Est enim eadem omnino civitas. ms. Latin. Themissonium vertit duplici ss.

Sanis Pt. ibid.] Sanâus Hierocli & Straboni, vel Sanaa, ut in actis Concilij Chalcedonensis Act. 6. [*Flaccus Sanensis*] Sanaensis & Sanabensis mss. [*Conc. Nicæn. subsc.*] & in Chalced. Antiochus Σ *ανάων* legitur. ms. Lat. Sanao vertit.

Acmonia &c.] & Theodosius subscripsit Synodicæ Gennadij P. CP. Tom. 1. Iuris Græc. Rom.

Athanassus] Atanassus. [*Philadelphius Atanassi Ep. &c. legitur*] Act. 6. & sic ms. Latinus antiquissimus Atanassi legit.

PHRYGIA PACATIANA ALTERA.

PAg. 242. *Hierapolis &c. Ex eius Episcopis.*] Papias S. Ioannis Apostoli auditor Hiera-

Hierapolitanus Episcopus in Asia apud Hieronymum de Scriptor. Ecclesiasticis c. 18. Eusebium,& alios. Apollinaris beatissimus in Hierapoli Asiæ Episcopus apud S. Hieron.de Script.Eccles. cap.41. vixit sub Imperatore M.Antonino. Constantius, qui in Ephesino concil.absolutè Episcopus Phrygiæ Pacatianæ appellatur, sine dubio Metropolita huius loci fuit.

Mosynus] Mosyna Hierocli &c. [*Gennadius Mosynorum Ep.&c.*] & sic ms. Lat.antiquissimus vertit.

Attudi.] Attuda [*lib. Conc.*] & Hierocli, qui Ἀττυδα rectiùs scribit, quam Ἀττιδα, vel Ἀττοιδα, vt reliqui. Ms. Latinus concil.Chalcedonensis antiquissimus Attudorum vertit.

PROVINCIA PHRYGIÆ SALVTARIS.

Synnada &c.Procopius &c. subsc. Conc. Nicæn. 1.] Marianus Episcopus Metropolis Synnadorum pro se & Suffraganeis aliquot suis subscribit concil.Chalced. Act.6. pag.267.Ioannes Archiepiscopus,ad quem extat Epistola Germani Patriarchæ Constantinopolitani. Vide Baronium tom. 9. pag.86.

Polybotus Phryg. civ. Concil. Chalcedonen-

si]

sis] & Procopio ἀνεκδ. pagina 85.

Prymnesia &c. Vitus subsc. Conc. Constant. 1.] Aquila concilio Constantinopolitano sub Menna &c. Pro Iacobo πριμνιάσσης Episcopo in Chalced. concil. Act. 6. subscribit Marianus Synnadensis, & ms. Latinus Primniassæ vertit.

Eucarpia &c.] Hierocles ponit hanc velut Metropolin Phrygiæ salutaris, eique attribuit Synnada.

Pag. 243. *Augustopolis &c.*] Philicadus Episcopus Αυγεσάδων φρυγίας legitur apud Epiphanium hæres. 73. pag. 874.

Brysum] Bryzus, Hierocli Βρυ'ξος pro βρύ'ζος, Brizi in ms. Lat. legitur.

Otrum] Otrus. [*vel Otrya Plutarc. in Lucullo.*] Hierocli corruptè Ο'υ'ρούς pro Ο'τρούς, in alijs notitijs rectè ὁ Οτρῦ &c. & Photius subscripsit Synodicæ Gennadij P.CP. tom. 1. Iuris Græc. Rom.

Stectorium &c. exemplaribus] Helladium Stectorij Episcopum Suffraganeum suum vocat Marianus Synnadensis in conc. Chalced. Act. 6. in Græco legitur Τεκτορίς. & sic antiquissimus Interpres ms. reddit Tectorij. apud Ptol. ἱστορίων editur, sed ms. Barberinus σεκτώριον legit.

Cinaborium &c. Otreius &c. subsc. Concil. Chalc. sub Marin. Metrop. Synador.] Act. 6. p. 267

Co-

Cotyaium &c. Eusebius &c. sub Symmacho subscripsit] Acacius Ephesino, ubi in Græcis Κοτένων legitur. Sed antiquus Latinus. Cotianensis habet; Sed omnino diversæ sunt Cotyaium Phrygiæ, & Cotana Pamphyliæ, quo Acacius hic pertinet.

Præpenissus &c.] In Notitia Hieroclis malè scribitur πρύμνης.

LYDIA.

PAg. 244. *Septe*] σεπτῶν in Græco legitur.

Gordus &c. Ioannis &c. mem. Socr. l. 7. hist. eccl. cap. 35.] & Nicephorus Callist. lib. 14. cap. 13. translatus fuit Proconnesum. Isthìc malè Λυκία pro Λυδία editur.

* HIRCANIS Not. inf. pag. 13. ubi malè Ὀρκανὶς legitur. Plinius Hyrcanos vocat, unde Ioannes Hyrcanorum Episcopus in Concil. Chalced. quem infra pag. 320. in ultimam Hircaniam relegat. Parem errorem in eorumdem nummo explicando errat Tristanus.

Satala &c.] Andreas Chalced. act. 6. ubi Α'γαλῶν pro Σαταλῶν editur.

* MASTAVRA Lydiæ civitas Stephano & Straboni. Theodosius eius Episcopus legitur act. 1. Concil. Chalcedonensis, sed &

aliam infra in Lycia ponit ſupra pag. 236. & infra p. 247.

* CERASA. vel Ceraſæ Hierocli. Menecrates Κερασσάιων (Ceraſenorum vertit ms. Latin.) ſubſcripſit Concil. Chalced.

PROVINCIA CARIÆ.

PAg. 245. MILETVS ab Hierocle primo loco ponitur inter Cariæ civitates. Aphrodiſiadem tamen Metropolin ipſe cognominat.

Aphrodiſias Ptol. lib. 5. c. 2.] & Hierocl &c. [*Cyrus Epheſino*] inter Metropolita ſubſcripſit : & extat præclara eius menti in lege vltima Cod. Theod. lib. 11. de annona & tributis &c. Severianus Concili Conſtantinopolitano.

Cybira] CIBYRA ſcribunt omnes &c. Appellas Epheſino.

Tabæ &c. Ruſinus Taborum] Tabarum antiquiſs. ms. Lat. act. 1. Concil. Chalced. Rufinum hunc Gabuenſem vocat, unde illum Γάβων vel Γάββων non Τάβων legiſſe appareret, atque ita ad Syriam vel Palæſtinam transferendus eſſet.

Antiochia &c.] Zoticus Chalcedonenſi Act. 6.

Orthoſias &c. Diogenes Orthoſiæ] Ορθωσιαίων

in

in græco, ſed verum fuit ΟΡΘΩΣΙΕΩΝ. ut in tribus antiquis nummis legitur, [*ſubſcripſit eidem Conc.*] Act. 6.

Pag. 246: *Bargyla Plin. lib. 5. c. 29.*] & Stephano.

Myndus &c. Alphius] ſcribend. Alpheus *Ceramus etc. Spudaſius Ceramenſis*] in græco Κεραμέων Act. 10.

PROVINCIA CYCLADVM INSVLARVM.

RHodus etc. *Euphroſynus etc. ſubſc. Concil. Nicæno.*] Hellanicus Epheſino.

LESBVS INSVLA.

PAg. 247. *Tenedos etc. Dioſcorus ab Aſia de Tenedo*] poſtea videtur coniuncta cum Lesbo; nam in Actis Concil. Ephes II. legitur Florentius Epiſcopus Lesbi & Tenedo Helleſponti.

PROVINCIA LYCIÆ.

TElmiſſus etc. *Zenodotus*] Τελμησσέων [*et longæ Inſulæ*] Macræ ms. latin. parvæ vertit, hoc eſt Micræ.

Limyra etc. Steph. etc. ep. Syn. ſubſc.] &

ipſi concilio Chalcedonenſi Act.6.

Pag.248. *Sidyma*] Sic apud Hieroclem. ms. nam hic malè edidit Δίδυμα. & ſic quoque peccatum apud Epiphan. hæreſ. 73. cap.26. ubi Euſtathius Epiſcopus Πιναρῶν τῆς Διδύμων Epiſcopus vocatur pro Μιδύμων. & ſic in altera Notit infra pag. 47. ὁ Μιλύμων Epiſcopus vocatur pro Μιδύμων.

Olympus etc.] Ioannes concil. Conſtantinop. ſub Menna.

Acraſſus] Hæc ſupra in Lydia ACARASSVS eius loco hìc ponenda, cuius Epiſcopus Nicolaus ſubſcripſit concilio Chalcedonenſi act. 6. Eius Stephanus, præter Notitias, meminit. ms. Latin. antiquiſs. Acariſſi legit. Diverſa ab hiſce in eadem Lycia ACALISSVS, cuius meminerunt Notitiæ &c. [*Huius prou. &c.*] & ipſi concilio Chalcedonenſi act.6.

Marciana etc. Marcianus etc.]& ante hunc Auguſtinus novæ Marcianæ Epiſcopus legitur Tom.1.Iuris Græco-Rom.ſub Gennadio Patriarcha CP. qui paulo poſt Marcianum Imperat. vixit, à quo ea civitas condita fuerat.

Choma etc. Eudoxius etc. ſubſcripſit]concilio Epheſino, & [*Ep.Syn.*]

Aucanda] Hierocli Arycanda [*Not. an-*

antiq. Græcæ] pag. 49. Acanda.

Eudocias etc.] Photius Episcopus Eudoxatorum provinciæ Lyciorum concil. Constantinop. sub Menna.

Pag. 249. *Nesas. eid. Not. Nyssa. Pt. ibid.*] & sic Notitia inf. pag. 49. ὁ Νύσων.

Balbura etc.] Philippus concil. Chalcedonensi act. 6.

Oeneanda etc.] Modestus Oeneanensis (vt habet ms. Lat. antiquis.) adfuit concil. Ephesino, qui in vulgatis Athenienſis Act. 1. concil. Chalcedonen.

Bubon. etc.] Acta græca habent Βεβωναίων, sed puto legendum Βεβωνέων, hoc est, Bubonensium.

PAMPHYLIA.

E *Rymne Not. ant. gr.*] Hierocli Orymna.

Semneum etc.] ὁ Σεμνέων Episcopus legitur in concil. Constantinop. sub Menna pag. 731. Vide pag. seq. SENNA.

Carallus] Carallis Stephanus Isauricam civitatem vocat. Καράλια Hierocli. & sic ms. Latin. concil. Chalced. Caralienſis.

* COTANA] Hierocli. Acacius Episcopus Κοτένων Pamphyliæ adfuit Concilio Ephesino.

PAMPHYLIA ALTERA.

PAg.250. *Pergæ.*] *Perge etc. Pirgi Sophiano*] Callidicus Pergenſis Epiſcopus ſubſcripſit concilio Nicæno.

Eudoxias] Eudocias & Iobia erant coniunctæ cum Termeſſo. Sabinianus harum Epiſcopus ſubſcripſit concil. Chalced. ſub Flaviano in actis concil. Chalc. act. 1. Aquila ſubſcripſit Chalcedon. act. 6.

Maximianopolis etc.] Serenus Chalcedonenſi act. 6.

Ariaſſus etc.] Mamas concil. Conſtantinopolit. ſub Menna, ubi Phrygiæ tribuitur.

* SELEVCIA Pamphyliæ, cuius Epiſcopus Quintianus ſubſcripſit concilio Nicæno.

* COLCBRASSVS Ptol. Colybraſſus Hierocli. Corybraſſus Actis Concilij. Niſius eius Epiſcopus adfuit concilio Epheſino, qui antiquiſs. ms. Latino Corubraſſenſis dicitur. Sed noſter primæ Pamphyliæ pag. ſuperiori tribuit, ut & ſequens.

* CORACESIVM. Strab. Ptol. & Hierocli. Matidianus eius Epiſcopus in concil. Epheſino, ubi Coraciſiorum, ſive Coracenſium pluraliter ſcribitur.

* SENNA, Hierocli Σέννα, unde Nectarius Sennenſis adfuit concil. Epheſino, ut habet

habet ms. Latinus antiquissimus. In Græcis Μωϊέων, & Μεσσηνέων nunc editur. Infra in Notitia græca pag. 45. ὁ Μεμνέων, vide pag. præcedentem.

* TRIMOPOLIS. Hierocli Τριμώπολις, vel potius, vt in actis concil. Chalced. act. 1. Græci Latinique Codices habent Primopolis, cuius Episcopus Timotheus ibidem concil. Constantinop. subscripsisse legitur.

Pag. 251. *Lagania*] vel potiùs Lagina, ut Straboni & [*eidem Notit.*]

Commacum &c.] Ioannes Episc. Commacorum provinciæ Pamphyliæ concil. Constantinop. sub Menna.

Pisinda] Isinda. Steph. v. Ἄμβλαδα, & Ἴσινδος, vt Notit. pag. 19: Hierocli malè Μίνδα pro Ἴσινδα concil. Constantinop. v.

PISIDIA.

Agalassus &c. Fonteianus Chalced.] Idem subscripsit Synodicæ Gennadij P.CP. Tom. 1. Iuris græc. Rõ. ubi vocatur φωτεινός.

Sozopolis &c.] Extat Epistola. 65. Basilij M. τοῖς ἐν Σοζοπόλει scripta.

* TYMANDVS Hierocli. unde Longinus Tymandenorum Episcopus subscripsit Actis concilij Constantinop sub Flaviano.

*EVDOXIOPOLIS Hierocli. In hãc translatus

fuit Philippus Episcopus ἀπὸ Ἴπης ἐν Ἀσίᾳ Ἀπαμείας, teste Nicephoro Callisto lib. 14. cap. 39. ubi eam Salambriam olim dictam fuisse affirmat. Romanus eius Episcopus legitur conc. Chalced. act. 6.

* NEAPOLIS Pisidiæ civitas Hierocli. Hesychius Neapolitanus inter Pisidiæ Episcopos subscripsit concilio Nicæno in manuscripto antiquissimo.

Apamea Tarsitius &c. Conc. Nic. 1. subsc.] Philippus eius Episcopus translatus fuit Eudoxiopolin, ut ex Nicephoro Callisto pag. antecedenti notavi.

Pag. 252. *Adrianopolis Not. eid.*] Telemachus subscripsit concilio Nicæno. Olympius Adrianopoleos Episcopus scripsit contra Origenem de resurrectione, teste S. Maximo ad cap. 7. Dionysij de Eccl. Hierarch. Sed ibi Lyciæ tribuit. [*Themistius &c. Conc. Constant. 1. subsc.*] Theophilus Chalcedonensi act. 6. &c.

Limenopolis &c.] Vranius Limensis inter Pisidiæ Episcopos subscripsit concil. Nicæno, ut habet codex ms. antiquissimus.

Seleucia] cognomento Ferrea Hierocli &c. [*Eutych. Seleuc. Ep.*] Pisidiæ [*Nicæno Concilio subscripsit.*]

Mallus] Hierocli & [*d. Not. &c. Attalus eid. ep. Syn. subsc.*] ut & Synodicæ Gennadij

dii P.CP.Tom.1.Iuris Græcorom.ubi Μαλωῶν Epiſcopus vocatur.

Metropolis Not.& Ptol.l.5.c.2.]Polycarpus ſubſcripſit concil.Nicæno &c.Ioannes concilio Conſtantinopolitano ſub Menna.

Paralaus &c.Paralais] Academius Parenſis, ſive ut ms. habet à Paro, inter Piſidiæ Epiſcopos ſubſcripſit concil.Nicæno,quem ego ad hunc locum pertinere non dubito.

LYCAONIA.

PAg. 253. De hac provincia, eiuſque origine vide S.Baſilium M.epiſt.8.

Iconium &c. hiſt.ecc. cap.6.] Fauſtini eius Epiſcopi defuncti meminit Baſilius Mag. epiſt.8.&c.Valerianus adfuit concil.Epheſino. Oneſiphorus Chalced.act.6. pro ſe & Suffraganeis aliquot ſubſcripſit.

Onaſade] Ὀνάζαδα Hierocli edito, ſed ms. Ὀυάζαδα legit; unde haud dubiè in concilio Chalcedonenſi act. 6. pag. 268. Olympius Ὀυζάδων Epiſcopus ſub Iconienſi legitur. ms. Latinus antiq. Olympio Sadorum legit prima ſyllaba in voce antecedenti abſorpta.neque enim dubito quin Vſadorum olim ſcriptum fuerit.

Amblada &c. Strab. & Not.eid.] Patritius Ambladenſis ſubſcripſit conc. Nicæno &c.

Hono-

Honomada &c.]Photinus Honomadorum concilio Conſtantinopolit. ſub Menna, ſed Pamphyliæ tribuitur. Et Notitia græca inf. pag. 45. & 51. in utraque provincia Pamphyliæ & Lycaoniæ recenſet.

Barattha Pt. ibid.] Hierocli ms. Βάρατα, edito Βαρά τη . vide infra hac pag. ad Arana, quæ huc transferenda.

Derbe &c.] Thomas in Epheſino.

Sabatra] Hierocli [*Euſtathius*] Saubatron vertit Interpres antiquus Latinus ms.

Iliſtrum] Iliſtra &c. [*Not. ant. gr.*] & Hierocli Iliſtra. [*Oneſimus*] Iliſtrorum ms. Interpres antiquiſſimus &c. Huc quoque pertinet Martyrius Eliſtrorum Epiſc. act. 1. concil. Epheſ. de quo ſup. pag. 209.

Perte &c.] Conon Epiſcopus civitatis Περτῶν ſub Iconienſi legitur in concil. Chalcedon. act. 6. pag. 268. Hæc Hierocli edito πτέρια, ms. πίερνα. ubi ms. antiquus Pertorum vertit.

Arana &c. Eugenij meminit Conc. Chalced. &c.] act. 6. p. 268. Βαράγγων Epiſcopus vocatur, Hierocli ms. Βάρατα, edito Βαράτη, unde fortè legitur Βάρατων pro Βαράγγων, & ſic olim legit antiquiſſimus Interpres Latinus ms. ubi Eugenius Baratorum legitur.

Iſaura Pt. l. 5. c. 4.] Hierocli & alijs Iſauropolis Aëtius &c.

* HVD-

* Hydmavtvs. Hegemonius eius Episcopus legitur in concilio Chalcedonensi act.6. ubi Latini vulgati Gadarenorum habent; Sed antiquissimus Interpres Latinus ms.Gadamauti vertit.

Pag.254. *Misthiam Pt.lib.5.c.4.*] Hierocli Μισθία, & sic in act.græcis conc.Chalced.act.6.pag.268. Armatius Μισθίας disertim scribitur. & in ms.antiquissimo Latino Mistiæ legitur.

PONTVS.

Cappadocia Prima.

QVomodo Cappadocia ex vna solida provincia in duas dissecta fuerit, vide Gregorium Presbyterum in vita S.Gregorij Nazianzeni.

Cæsarea &c.] Hermogenis mentio extat apud S.Basilium epist.74.Baron. A.C. 372. num.7. Basilius Magnus eiusdem Ecclesiæ lumen, & Eusebius, qui Basilio decessit. Archelaus, qui sub Sisinnio Patriarcha Constantinopolitano sedit commemoratur Photio Cod.52.Hunc præcessit Helladius, qui adfuit concilio Constantinop. sub Nectario, successor S.Basilij M. teste Socrate hist.Eccles.lib.5.c.8. ad eum extat S.Gregorij Nazianzeni epist.53.&54.

Thermæ &c.] Elpidius Chalce d.act.6.

Nyssa

*Nyssa &c. Gregorius &c. hist.eccl. cap.*28.] frater Basilij Magni scriptis clarissimus. Heraclidas, qui duas epistolas contra Massilianos scripsit, commemoratur à Photio cod.52.

Camuliana] Notitijs [*Cedreno*] Nova Iustinianopolis &c. [*Cui Basilius Iustinianopolitanus*] quondam [*Camulianorum &c.*]

CAPPADOCIA SECVNDA.

TYana *&c.*] Theodorus, ad quem aliquot literæ Gregorij Nazianzeni extant epist.81.& sequentes aliquot, Metropolitam agnoscit ep.87. nam Pascha nunciaverat. & clariùs epist. 88. qua Nazianzenæ Ecclesiæ provideri petit Greg. ep.35. [*Eutychius subsc.Conc.Nic.*] Anthimus apud S.Basilium Mag.epist.64. [*Patricius Tyanorum Metropolis*] concilio Chalc. act. 6. & [*epist.Syn. &c.*] Eutherius apud Theodoretum epist.112.vixit tempore concil. Ephesini. Anthimus primus fuit novæ Metropolis quasi Archiepiscopus, de cuius æmulatione contra S. Basilium Mag. vide epist. 33. Gregorij Nazianzeni, & Basilii Magni epist.58.

Pag.255. * DOARA. Basilio Mag.ep.10. vicus Περιδόαρα Hierocli. Georgium eius

Epi-

Episcopum commemorat S.Basilius dicta epist. Erat primùm Cappadociæ 2. infra hac pag.in tertia ponitur.

Iustinopolis &c.Petrus Iustinop. Concil. Constant. sub Agapeto & Menna.] quo loco τῶν Ἰ'ϱϛινιανιτῶν μητϱόπολις τῆς β. Καππαδόκων, Ἐπαϱχίας vocatur.

Asuna] Nulla hoc nomine civitas unquam fuit. In græco fuit Ἐπίσκοπος Σασίμων. inde olim Episcopus Sasimæ; unde reiecta prima litera Asima, & tandem confusis literarum cruribus Asuna, ita error errorem trahit: ideoque subscriptiones illæ sunt vitiosissimæ.

CAPPADOCIA TERTIA.

Mociſſus] Procop. lib.5. ædificiorum pag.48. [*Iustinianopolis dicta*] Petrus eius Metropolita, &, ni fallor, primus legitur in concilio Constantinopolitano sub Agapeto & Menna Act.2. de qua supra notavi pag.215.

Nazianzum] Nazianzus [*Porphyrog.ibid.*] Gregorius pater S.Gregorij Nazianzeni & decessor. Ipse autem Gregorius patris potius coadiutor, quam Episcopus Eulalium sibi substituit, uti in vita S.Gregorij. [*Theodosius Ep.Syn.ad Leonem subscripsit*] & ante Chal-

Chalcedonenſi Act.6. S. Gregor. Nazianz. epiſt 50.ad Olympium Præſidem oſtendit Nazianzum antea ad 2. Cappadociam pertinuiſſe, ab Olympio autem Præfecto primæ attributam fuiſſe. Inde ad priſtinum redijſſe ſtatum:nam ſecundæ attribuit eam Hierocles poſteà tertiæ annumeratæ.

Colonia, Colonea Porphyr.ibid.] Euphronio Epiſcopo Coloniæ Armeniorum ſcribit Baſilius Magn.epiſt.312. epiſtola quoq; 290. ad Armeniam tum pertinuiſſe oſtendit.Euphronius autem ex Colonia Nicopolin translatus fuit à Baſilio, ut epiſt.193. [*Ariſtomachus*]Concilio Chalced.Act.6.[*Euphraſius Colonen.Conc.Nic* 1.] Arnobius Epheſino latrocinio. Daniel Epheſino 1. ubi Cappadociæ II. tribuitur in græcis,latiniſque codicibus. Sic Baſilius Magnus epiſtola 290. Boſporio Coloniæ Epiſcopo ſcribit Greg. Nazianzenus epiſtolam 14. & Baſilius Magnus eidem epiſt.86.

Parnaſſus] Vide de hac civitate Gotifredum ad Philoſtorgium pag.53.Parnaſſi Epiſcopum egregiè laudat Gregor. Nazianz. epiſt.164.Παρνασός Baſil.Mag.epiſt.185. &c. Ecdicius Παρναστικὸς Epiſcopus apud Baſil. Mag.epiſt.10. hoc nomen corruptum apud Greg.Nazianz.epiſt.219.& in huius morte ſcripſit conſolatoriam epiſt.185.

Doara

*Doara Greg.Naz.or.*30.] quam habuit in Eulalij Doarenſium Epiſcopi electione &c. Vicum vocat Baſilius Magnus epiſt.10.ubi Georgij eius Epiſcopi meminit,& Hierocli in Notitia Ῥηγεδόαρα.

ARMENIA PRIMA.

Sebaſta &c. vulgo Sauſtia] Eulogius Sebaſtenſis Armeniæ minoris ſubſcripſit concil. Nicæno. [*Euſtathius*] vide Baſilium Mag.de illius hæreſi epiſt.8.& epiſt.74. qui & ipſe minori Armeniæ eam tribuit . adde epiſt.187. & epiſt.78 [*Meletÿ &c.c.*24.] qui inde Antiochiam translatus fuit.

Pag.256.*Sebaſtopolis &c.*] Cecropius Chalcedonen.Act.6.

Nicopolis &c. Chiorme] Beati Theodoti eius Epiſcopi meminit S. Baſilius ep. 187. apud Baron.an.C.370.num.16.Item Frontonis epiſt.10.quem Arriani ſubſtituerunt .

*Satala &c.Euethius &c. ſubſc.Conc.Nic.*1.] Pæmenio Satalorum Epiſcopo ſcribit Baſilius M.epiſt.313.& fortaſſis hic eſt, de quo ſcribit epiſt.133. ad Satalenſes &c. Anatolius Chalced.Act.6.

Beriſſe &c.] Huius loci meminit Baſil. M. ep.179. ubi Βηρίσα vocatur .

AR-

ARMENIA SECVNDA.

Melitene &c. Letoium huius Episc. habet Theodoret. lib. 4. c. 10.] eiusdem mentio apud Photium cod. 52. ubi absolutè Litoius Armeniæ Episcopus vocatur, scilicet quia Metropolita eius provinciæ.

Arca &c.] & Chalced. Act. 6.

Comana &c. vulgò Arminacha] De Alexandro Carbonario primo huius loci Episcopo Gregorius Nyssenus in orat. de Sancto Gregorio Thaumaturgo. Elpidius Comanensis subscripsit Concilio Nicæno, sed ille ad Helenopontum pertinet. *Leontij Sozr. lib. 3 cap. 21.*] Hormizas sub Theodosio 11. apud Photium bibl. cap. 52. fuit enim ζύγχορος Alypio Cesarienſi. Acacius adfuit concilio Ephesino, Heraclius Chalcedonensi.

Arabyssus] Arabissus &c. Leontij Episcopi sermones legit Photius cod. 272. Adolius subscripsit concilio Chalced. Act. 6. Sed per Chorepiscopum Adelphium.

Cocusum] Cucusus.

Ariarathia &c. [*Adelphius qui Arabiæ*] lege Arabyssi, de quo paulò ante. [*Acacij &c. histor. Eccles. cap.* 18.] Idem adfuit Latrocinio Ephesino Act. 1. concil. Chalced.

ced. eique pro se, & Constantino Melitines Episcopo subscripsit: adfuit etiam ipsi Chalcedonensi act. 6.

Amasa &c.] Hic quoque Episcopatus vitio creatus ex Amasia Diosponti, sive Hellenoponti civitate primaria.

Zelona] Eadem quæ Zela: unde Heraclius ille Zelon Episcopus genitiuo plurali vocatur, quem ms. antiquissimus Diospon-to, sive Hellenoponto rectè tribuit. [*Heraclius &c.*] idem antea adfuerat Concil. Neocæsarienfi, ubi Armeniæ majoris vocatur.

Sophene &c. Arsaphius &c.] Inter Episcopos Armeniæ maioris.

Diospontum.] Episcopatus suppositicius ex codicum vulgarium confusione natus. Manuscriptus antiquissimus DIOSPONTI hìc seorsim ponit, ut provinciæ nomen, cui deinde subijcitur Eutychianus Amasiæ Episcopus. Vnde certum est Diospontum ante fuisse, qui postea Hellenopontus appellatus fuit. Ita quoque Ortelius Dispontum a veteri medico appellatum observavit.

Præter duas illas provincias Armeniæ ad Imperium Constantinopolitanum pertinentes, alia fuit Armenia, quæ Persarum Imperio suberat, ideoque ἡ Περσικὴ Ἀρμενία vocatur. Ea quoque Episcopum habuit,

ut ex Theodoreto apparet, cuius epistola 77. Eulalio Episcopo τῆς Ῥεφσικῆς Ἀρμενίας scripta legitur. Et hic idem fortè Catholicus Armeniæ postea appellatus fuit, qui plures sub se Episcopos habet. Sed & sequens Epistola Theodoreti 78. scripta est Eusebio eiusdem regionis Episcopo, unde plures tunc eius provinciæ Episcopos fuisse apparet.

GALATIA PRIMA.

ANcyra &c. *Enguri &c. apud Theodoret. l.2. c.7.*] Marcellus eius Episcopus concil. Nicæno adfuit ambiguæ, vel adulteratæ fidei plerisque suspectus. De quo Epiphan.hæres.72.& Eusеb.Cæsar.Athanasio eiusdem Episcopo scribit Basilius Mag. epist. 53. Arabianus adfuit concilio Constantinopolitano sub Nectario. [*Basilij &c. mem.et apud Sozom.l.3. c.vlt.*] & apud Epiphanium hæres. 71. ubi eius disputationes cum Photino commemorat.

Tabia &c.Dicasius &c. Conc.Nic. 1.] Iulianus adfuit Ephesino latrocinio act.1. conc. Chalced.& Chalced.act.6.&c.

Iuliopolis, seu Iliupolis] Hierocli Heliopolis, sed malè. [*Philadelphius &c.Conc.Nic.* 1.] Meliphthongus in concil.Chalced.pag.93.

ubi

ubi Ἡλιόπολις malè in græcis editur. Sed rectiùs pag. 95. & 262.

Aſpona Anton. in Itin.] & Hierocli. [*Euſeb. in Conc. Epheſ.*] Hyperechius Chalced. act. 6.

Cinna, ſeu Ciæna Pt. l. 5. c. 4.] & Hierocli. Gregorius Cinnenſis Galatiæ primæ adfuit concilio Neoceſarienſi. [*Gorgon. &c. Nic. 1.*] Philumenus Epheſino &c.

GALATIA SECVNDA, quæ eſt Salutaris.

Peteniſus &c. in Cod. Palat.] Hierocli Petineſus &c.

Trocmi &c. antiq. Not.] Trocmada Hierocli, vel ut legit ms. Trocnada. Sic ms. antiquiſſimus concil. Chalced. Cyriacus Trognadenſis vocatur, & act. 6. Trocnadon, ubi & in Græcis Τροκνάδων editur.

PONTVS POLEMONIACVS.

Neocæſarea &c. Gregorij] Thaumaturgi. [*hiſt. Eccl. c. 13.*] Muſonij Baſilius Mag. epiſt. 64. Longinianus ſubſcripſit concilio Nicæno. Idem quoque ſubſcripſit concilio Neocæſarienſi, ubi Longinus vocatur.

Ceraſus &c. Gregor. &c. Conc. Eph. &c.] Gratidianus Chalced. act. 6. idemque, ut puto

eſt [*Gratianus*] qui [*Ep. Syn. huius prou.*]

Pag. 258. *Comana Pontica &c.*] Elpidius Comanenſis ſubſcripſit concilio Nicæno, ſed ibi Dioſponto accenſetur.

* PTYVSA *&c. Stratophilus Ptyuſius &c.*] inter Epiſcopos Ponti Polem. Sed quamvis trans Pontum in ſolo Barbarico ipſa Pityus ſita eſſet, ut & Sebaſtopolis, quam Iuſtinianus Pityuſæ coniunxit. Iuſtinianus Nouell. 28 Ponto Polemoniaco, præter quinque ſuperiores, duas alias accenſet Ciuitates, Pityunta & Sebaſtopolin, quæ trans Pontum in ſolo Barbarico ſitæ nullam per ſe conſtituebant prouinciam. Eas ergo ad Ponti præfecturam ſpectare voluerunt Imperatores antiqui ante Iuſtinianum. Hinc Stratophilus Pityuſius, ſive Pityuntos Epiſcopus in ſubſcriptionibus concilij Nicæni legitur: nam Pityuſa illa Ptolemæi, ſi modo vera lectio eſt, Epiſcopum nunquam habuit.

HELLENOPONTVS, qui ante DIOSPONTVS.

A *Maſia*] Straboni, Ptolem. Hierocli &c. [*Seleucus &c.*] Idem antea ſubſcripſerat damnationi Eutychij in concil. Conſtantinopolitano Flaviani act. 1. concilij Chalcedonenſis, ubi malè Ἑλλησποντίου pro Ἑλε-

Ἑλενοπώλεως ex vitiosa versione Latina annotant. Simili errore in Actis concilij Ephesini Palladius Ἀμασίας Ἑλλησποντίου editur pro Ἑλενοπόντου. Eutychianus quoque Amasiæ Episcopus provinciæ Dioscponti subscripsit concilio Nicæno, ut supra pag. 256. ad vocem Dioscpontum notavi.

Iborea] Ibora Iustiniano Nouell. 28. Hierocli, & [*Constant. &c. Vranius eid. ep. Syn.*] & concil. Chalcedon. act. 6.

Andrapa &c. Paralius &c. Concil. Chalced. Strategius Ephesino. Sed in Ephesino quoque concilio παράλιος ἀνδραπάτων τῆς Ἑλλησποντου, quasi diversus sit à Strategio Ἀνδραπάτων τῆς Ἑλενοπόντου, quem Græci codices ibidem agnoscunt. Sed antiquissimus ms. Latinus ibidem Helenoponti legit. Alibi in eodem concilio Ephesino παραλίος ἀνδραπατῶν.

Zela &c.] meminit Zelorum civitatis S. Basilius M. ep. 72. ἐκ ἄλλης πόλεως ἐν Ζήλοις. & sequenti epist. 73. Ecclesiæ Ζηλέων, quam hæretici tunc pervaserant.

PAPHLAGONIA.

Angra &c. Petr. Gangr. Metrop. Episc.] concilio Chalcedonensi act. 6. & Basilidis Episc. meminit Basil. M. ep. 72. & 73

Sora]Hierocli[*et Porph.&c.*]pro Theodoro Surorum Episcopo subscripsit Concil.Chalced.act.6.Petrus Gangrenus.

Pompeiopolis &c. Ætherius ep.Syn.huius provinciæ] & Chalcedonensi act.6.

Amastris &c. Amastro] Hesychius subscripsit concilio Nicæno &c. Themistius Chalcedonensi concilio act.6.

* DADIBRA Hierocli & Constantin.Porphyrogenito. Polychronius eius Episcopus per Petrum Gangrenum Metropolitam sub. scripsit concilio Chalcedonensi act.6.

HONORIAS.

PAg. 259. De hac provincia, eiusque Metropoli vide P. Marcam Concord. lib.2.c.9.pag.223.

Heraclea Ponti &c.Eusebius &c.in actis Concil.Eph.] ubi appellatur Heraclea Honoriadis. Theodorus concil. Chalcedon.act.6.

Tium &c. Apragmonius &c. Conc.Eph.] & Chalced.act.6.

Cratia &c.ibid.] Filetus a Cratia subscripsit Pseudo-Sardicensi Synodo. In Actis Conciliorum Græcis Κρατ'α legitur, apud Hieroclem & Constantinum Porphyrog. Κρατία. & sic ms.Latinus Cratiensis. Hæc alio nomine Flaviopolis dicta. In nummo

Iuliæ

Iuliæ Severi apud Fr. Godefridum ΚΡΙΤΙΑ ΦΛΑΟΥΙCΠCΛIC legitur.

BITHYNIA.

Hellenopolis] Helenopolis &c. [*Helena Procop.l.*1.*de bello Perſ.*] & præſertim de ædificijs lib.5.pag.46. [*Palladÿ &c. hiſt. eccl.c.*35.] & Nicephorus Calliſtus lib. 14. cap.39.translatus inde fuit Aſponam Galatiæ. vide ſupra pag. 257. ſicut Alexander eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus translatus fuit Hadrianos.

Baſilinopolis &c.] Dominicus Concilio CP.ſub Menna.

Cæſarea &c.] Paulus Conſtantinopolitan. ſub Menna.

Hadriana] Hadriani & Hadrianopolis diſtinguenda, quorum illa in Bithynia, hæc in Honoriade apud Hieroclem. Alexander Epiſcopus Helenopoleos translatus fuit ἐς Ἀδριανάς teſte Nicephoro Calliſto lib. 14. cap.39.

Pag.260. *Cius &c.*] Hediſcus Conſtantinopolitano ſub Agapito & Menna, de quo infra pag.320.

BITHYNIA ALTERA:

NIcea &c. *Sophiano teſte*] Eugenius eius Epiſcopus fuit ſub Valente Imperatore, ut eſt apud Philoſtorgium hiſt. Eccleſ. lib.9.cap.8.

IBERIA.

LIn.6. *Moxque Eccleſia inſtaurata*] lege exędificata &c.

PATRIARCHATVS ALEXANDRINVS.

Pag.264. *Altera Libya*] Libyam Pentapolitanam S.Athanasius ad Solitarios pag.858. τὴν ἄνω Λιβύην vocat, ubi Secundum Episcopum Arrianum constitutum commemorat, quem supra pag.853. Secundum Pentapolitam vocaverat.

Pag.267.n.v.*Lin.*18.ad hæc verba *Sanctus Athanasius &c.*] Idem Athanasius Epistolam ad Aphricæ Episcopos scripsit una cum xc. Episcopis καὶ Αἰγύπτου καὶ τῆς Λιβύης constitutis, ut habet titulus: in ipsa autem epistola vocat πᾶσαν τὴν Αἴγυπτον καὶ τὰς Λιβύας; itaut sub Ægypti nomine etiam Thebaidem comprehendat; Libyas autem Marmoricam & Pentapolitanam intelligit; idque numerus xc. Episcoporum manifestè ostendit, atque ita ad Solitarios pag. 820. 825. ibid. pag.827. totam suã Diœcesim comprehendit nomine Ægypti, Thebaidis, πάσης Λιβύης totius Libyæ & Pentapolis. & pag. 857.in Ægyptum & Libyas. p.858. iterum tres, Aegyptum, Libyam, & Pentapolim.

Num. VI. *De Aethiopia &c.*] Athanasius in

in epiſtola ad Epiſcopos Africanos pro Nicæno cõcilio adverſus Ariminenſe ſcripta, *Nicænam*, inquit, *Synodum noverunt etiam Indi, & quotquot apud alios barbaros ſunt Chriſtiani*: ubi eum Indos hoſce ſupra Aethiopiam, aut ipſam potius Aethiopiam intelligere dubitari non poteſt, Barbaros quoque non alios, quàm qui extremam Aethiopiæ oram accolunt: Horum enim regio propriè Barbaria Arriano, aut quiſquis eius Peripli auctor. Sed ex Notitia illa inferri non poteſt conſtitutionem illam de Aethiopica Eccleſia ad concilij Nicæni, aut Anaſtaſij tempora referendam eſſe: quamvis canon ille 36. Arabicus ex quinto canone Nicæno originem ſuam, & fundamentum habeat.

Pag. 268. n. VII. *Quod autem ad Indiam &c.*] Fallitur, fallitque in huius Indiæ nomine & ſitu explicando, ſicuti etiam Baronius ad Martyrologium Romanum, die 27. Octobris. Nam India illa, in quam Frumentius miſſus fuit a S. Athanaſio, eſt Æthiopia ſub Aegypto, cuius Metropolis celeberrima fuit Axumis, & ſic Indiam illam Aethiopiæ finitimam vocat Socrates, quæ toto cęlo ab Aſiatica, ſive Gangetica diſtat.

Pag. ſeq. lin. 18. *Quidam non aliam, quàm Aethiopiam &c.*] hæc veriſſima ſententia eſt.

Paulò

Paulò inferius lin. 26. *Etenim Socrates &c.*] Socrates totam hanc narrationem a Ruffino accepit, sed neuter Gangem nominat, ut de Indis intra, uel extra Gangem sitis hic locus accipi possit: nam cum interiorem Indiam ratione citerioris appellent, interior hic necessariò pro exteriore, sive pro India extra Gangem accipienda foret; quia India extra Gangem nobis citerior est: atque hoc absurdum, & contra omnem veræ Geographiæ rationem. Itaque cum citeriorem Indiam hic appellent eam, quæ Aethiopiæ adhæret, in qua Bartholomæus Evangelium prædicavit, quam Aethiopiam sub Aegypto esse nemo dubitavit, qua rubrum mare attingit ad Adulin & Ostium sinus Arabici. India interior nulla alia hic intelligi potest, præter Aethiopiam interiorem, cuius Metropolis erat Axumis, quo antea nemo Christi præconum penetraverat. Scriptores antiqui cum de regionibus, rebusque longinquioribus obscuriùs loquuntur, benigna interpretatione iuuandi sunt. Arrianus, aut quisquis auctor est, in Periplo Maris Rubri, Axumin octidui itinere ab Adulitico portu in mediterranea Aethiopię remotam scribit. S. Hieronymus etiam periculosam & longam navigationem Rubri maris ad Vrbem Axumin de-

scri-

ſcribit Epiſt.4. ad Ruſticum Monachum, ubi hactenus inſigni errore Vrbem Maximam pro Vrbem Axumin editum legitur. Locus ille ad Ruffini narrationem rectè intelligendam unicè facit. Addo quod ſuperioris ſæculi navigationibus compertum fuit, S.Thomam, non in Parthia ſolum, & exteriori India, ſed in intima, ultra Taprobanam Evangelium prædicaſſe, ubi corpus eius in Malapur oppido ad Gangeticum ſinum repertum fuit. Ita ut Frumentius horum Indorum Apoſtolus appellari non poſſit.

Pag.273.n.1x.lin.42. *Decem iam ſuo tempore &c.*] Iam tempore Conſtantini M. Aegyptum ſingularum civitatum Epiſcopos habuiſſe docet nos encyclica epiſtola Alexandri Epiſc Alexandrini apud Socrat. hiſt. eccleſ. lib. 1. ubi ſcribit ſe conventum habuiſſe Epiſcoporum Aegypti & Libyæ numero fermè centum. Paulò autem plures fuiſſe tempore Theodoſij iunioris docet nos Hieroclis Συνέκδημος, & Notitia, quæ paulò poſt pag.278.ſubiungitur, ubi tota ſumma ad 103.tantum excreſcit.

AEGY-

AEGYPTVS PRIMA.

PAg.278. *Alexandria &c. Alexander &c. Conc. Nic.*] cui ſucceſſit S. Athanaſius celeberrimus Eccleſiæ Doctor.

Hermopolis parva] Minor [*Not.ant. Græcæ.*] Conon Hermopolitarum Epiſcopus, ad quem ſcripſerat Epiſtolam de pœnitentia, Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium hiſt.Eccleſ.lib.6.cap.ult.

Naucratis &c. Eſaias in Chalc.]Idem ſubſcripſit Synodicæ Gennadij Tom. 1. Iuris Græco Rom.

Nicæum] Niciæ [*Ptol. ubi ſup.*] ΝΙΚίου κώμη Steph. & Hierocli abſolutè ΝΙΚίου. [*Pulſaminon &c.*] Idem ſubſcripſit Synodicæ Gennadii; ubi rectiùs Πλαταμμῶν Νικιωτῶν vocatur.

AVGVSTAMNICA PRIMA.

PAg.280.*Tanis &c.*]Harpocras ſubſcripſit Synodicæ Gennadij P. CP.tom.1. Iuris Græco-Rom.Apollonius interfuit Latrocinio Epheſ. contra Flavianum act. 1. concil.Chalcedonenſis.

Rhinocorura &c.] Zeno adfuit Latrocinio Epheſino act. 1. Concil. Chalcedon. Alphei

quo-

quoque & Ptolemæi eiuſdem loci Epiſcoporum meminit Photius bibl. cod. 52. qui ſederunt ſub Timotheo Patriarcha Alexandrino.

Caſsium] Caſium.

Hephæſtus]Hierocli & [*d. Not. ant. Ioann. &c. Conc. Eph. interfuit.*] contra Flavianum. Petrus ſubſcripſit Synodicæ Gennadij.

Panæphyſus &c.] Archebium commemorat Ioannes Caſſianus collat. 11. cap. 2.

Thenneſus &c.]Huius Epiſcopatus meminit Caſſianus collat. xi. cap. 2.

AVGVSTAMNICA SECVNDA.

A *Tribis*] Athribis &c. Apollonius ſubſcripſit Synodicæ Gennadij tom. 1. Iuris Græco-Rom.

Babylon &c. Cyrus &c. Act. 1. Conc. Chalcedonenſis legitur .] Photius in Synodica Gennadij.

PROVINCIA SECVNDA AEGYPTI.

PAg. 2811. *Cabaſa*]Cabaſſa Hierocli, & in act. concil. Chalced. per duplex ασ. Sed ms. Latinus antiquiſſimus Cabaſenus legit. [*Theoemptus &c. in Concilio Epheſino reperitur*] adfuit Latrocinio Epheſino act. 1.

con-

concilij Chalcedonenſis.

Phragonea &c.] Φραγόνης Hierocli Φραγόνις Notit.m.s.

Elearchia &c. Conc. Chalced. act. 1. & Hierocli &c. [*Iſaac Conc. Epheſ. ſubſcripſit*]contra Flavianum.

Sebennythus] Sebennytus &c.Paulus ſubſcripſit Synodicæ Gennadij P. CP.

Cynus &c. Ad Aeglonem Cynopoleos Epiſcopum epiſtolam contra Arrianos ſcripſit Alexander Papa Alexandrinus, quam citat S.Maximus in ms.Vatic.508. pag.207.

Paralus Not. antiq.] Hierocli Παράλιος &c.Paſmeius Parali Epiſcopus adfuit latrocinio Epheſino act.1. concil. Chalced. Sic codices Græci & Latini, etiam mss.optimi habent.

Xoes] Xois &c.] *Macedon. &c. Conc. Eph. interfuit*,] & Athanaſius Xoitarum Epiſcopus ſubſcripſit Synodicæ Gennadij tom. 1. Iuris Græc.Rom.

Butus &c. Ammon &c. *Conc. Ephæſ.*] & Theonas dictæ Synodicæ Gennadij.

PROVINCIA ARCADIAE.

PAg.282. *Heraclea.*] Ἡράκλεύς Hierocli; & ſic in Actis Epheſini Latrocinij Heraclides Ἡρακλέης.

Cliſma

Cliſma Ptol. ibid.] Hierocli, alijſque Clyſma, & Athanaſio ad Solitarios pag. 858. [*Steph. &c. Conc. Conſt. gener.* v. *ſubſc.*] & Pæmen Synodicæ Gennadij P.CP. tom. 1. Iuris Græc. Rom.

Nilopolis &c.] Chæremon Nilopoleos Epiſcopus, cuius martyrium ex B. Dionyſij Alexandrini epiſtola recenſet Euſebius hiſt. Eccleſ. lib. 6. c. 42. gr.

Parallus] eadem pag. præcedenti.

Thamiate, vulgo Damiata] Tamiathis Steph. quod verum nomen hinc Elpidius Ταμιάθεως Epiſcopus ſubſcripſit Synodicæ Gennadij tom. 1. Iuris Grec. Rom. Batſus adfuit Synodo v.

Cynopolis &c. κλωῶ Hierocli, qui eam Metropolin provinciæ Arcadiæ ponit.

PROVINCIA THEBAIDIS SECVNDAE.

PAg. 283. *Tentyra &c. Photinus*] Teuchirorum, ſive Teuchirenſis Epiſcopus in Græcis & Latinis exemplaribus tam mss. quam editis vocatur Act. 1. Concilij Chalcedonenſis. Sed hic errorem vulgatæ verſionis Latinæ ſequitur, non inſpecto textu Græco.

Ombi &c. Sylvanus &c. [*apud Theophil. ep.*

1. *Pa-*

1. *Paschali*] cui ipse Verrem successorem ordinaverat.

PROVINCIA LIBYAE PENTAPOLEOS.

PTolemais &c. *Secundus &c. lib.* 1. *hist. eccl. c.* 20.] qui in Concilio Nicæno cum Arrio sensit, si credendum Philostorgio apud Nicętam thes. orth. l. 5. cap. 7.

Sozusa &c.] Baruch, sive Baricius (ut vetus ms. Lat.) Sozosenæ Civitatis Episcopus subscr. Latrocinio Ephes. Act. 1. conc. Chalc. Sed hic ad Palæstinam pertinet infra p. 315. huius verò Sozusci Episc. Sosias ibidem legitur, qui antiquo Interpreti Latino ms. Sozensis Episcopus dicitur.

Pag. 284. * BOREVM, sive BORÆVM. Libyæ Pentapolitanæ promontorium celebre Ptolemęo, cum oppido; unde inter eius provinciæ Episcopos, qui cum Arrio in Nicæno Concilio senserunt, commemoratur. Sentianus Boræi ex Phylostorgio apud Nicetam thesauro Orthod. lib. 5. c. 7.

Teuchyra Ptol. ibid.] Secundus Teuchirorum Episcopus in Concilio Nicæno cum Arrio sensit. Nicetas Thesaur. Orthod. lib. 5.

cap. 7. ex Philoſtorgio &c. Photinus adfuit Latrocinio Epheſino act. 1. concilij Chalcedonenſis.

Berenice &c. Dathes] Dactrius apud Nicetam &c. Ad Ammonem Berenices Epiſcopum Dionyſij Alexandrini Epiſtolam commemorat Euſebius hiſt. Eccleſ. lib. 7. cap. 21.

Ticelia] In hoc nomine non conſentiunt codices Græci & Latini. nam illi πισιλᾶ hìc legunt. Vetus autem Interpres Latinus ms. antiquiſſimus Tiſilicinam civitatem vocat.

Erythra.] Erythrum &c. [*Erythron Pt.*] Sic quoque in actis concilij Chalced. act. 1. Gemellinus Epiſcopus Ερυθροῦ, qui Latrocinio Epheſino adfuit &c. Theophilus Patriarcha Alexandrinus epiſt. paſch. 1. ſcribit ſe in Erytro pro Sabatio Paulum ordinaſſe.

Barce Pt. ibid.] Zopyrus vocatur Philoſtorgio apud Nicetam in theſauro orthod. lib. 5. cap. 7.

PROVINCIA ALTERIVS LIBYAE.

Arnis &c.] Theodorus commemoratur à Ionne Moſcho in Prato Spirituali.

Antiphra &c.] Apollos Ἀντίφρων ſubſcipſit epiſtolæ Synodicæ Gennadij P. Conſtan-

ſtantinop.tom.1. Iuris græc.rom. pag. 190.

Marmarica &c. Theonas apud Socratem &c.] & Nicetam theſaur.orthod.lib.5. cap.7. ex Philoſtorgio.

Zagylis.Pt.ibid.] vel Zagyla, ut acta conc. Chalced. ubi Ζαγύλων Epiſcopus vocatur. Alij codices legunt Ζαζύλων. & hinc fortè eodem errore Maximus Gazulenus, qui ſubſcripſit epiſtolæ Epiſcoporum Aegypti ad Leonem Imperatorem in eodem concilio &c. & Maximus Ζαγυλέως Epiſcopus ſubſcripſit Synodicæ Gennadij tom.1. Iuris græc.rom.

Zygris] Zygra Athanaſio, & in actis Latroc.Epheſ.act.1.conc.Chalced.ubi Lucius Ζώγρων Epiſc. legitur: qui antiquo Interpreti Latino ms. Zogrenſis, & ſic in Notitia Hieroclis Zogrozagilis, ubi diſtinctis vocibus legendum Zogra, Zagylis, vel duo illa loca in unam coaluerant civitatem.

Epiſcopatus incertæ poſitionis in Aegypto.

Theonas Vantenæ &c.] legend. Antinoæ.

Neſtor Flagonitorum] eſt ſine dubio Fragonitarum ſup.pag.281.

Poemen Eleſmatis, niſi legas Climatis] quod ſine dubio verum.

Ioannes Pſynchi &c.] puto Oxyrynchi leg.

PATRIARCHATVS ANTIOCHENVS.

PAg. 290. lin. 10. *Episcopi, qui extra Diœcesim sunt &c.*] supra, h. e. qui integris diœcesibus præfecti sunt: sic pag. sequenti vertit & intellexit hunc canonem S. Innocentius I.

SYRIA PRIMA.

PAg. 299. *Antiochia &c. Eustathius &c. Conc. Nic.* 1.] Meletius Constantinopolitano, & eodem tempore ~~Paulinus~~, ad quem extat Damasi epistola &c.

Seleucia &c. Seleuche Ielber] Bizas Episcopus Seleuciæ adfuit concilio Flaviani Antiocheni, teste Photio cod. 52. Idem subscripsit constantinopolitano Primo. [*Gerontius &c. subscripsit*] concilio Chalcedonensi act. 6. & [*epist. Syn. &c.*]

Berroea &c. Cedreno & alijs] Theodoto eius Episcopo scribit Basilius M. epist. 310. Acacius subscripsit Constantinopolitano 1. Cyrus apud Athanasium ad Solitarios p. 812. [*Theoctistus &c. est in eadem epist.*] & act. 2. ubi

dicitur

dicitur Episcopus Berroeæ Syriæ, ut distinguatur à Berroea Macedoniæ, quæ ibidem præcedit : in actis Græcis concil. Chalced. act. 6. Syriaca Βερρ'η Macedonia Βε'ρροια scribitur . Vide Theodoreti epistolam 134. ad hunc Theoctistum .

Chalcis &c. Sidon.] Eusebius Constantinop. 1. &c.

Onosarta &c. Cyrus subsc. eid. epist.] Maras eius Chorepiscopus subscripsit conc. Chalcedonensi act. 6. Sed & Græcus textus, & ms. Latin. antiquissimus Anasartha ibi constanter legunt .

Gabbus &c.] Vide notata supra pag. 245. ad vocem *Tabæ* .

* PALTVS Ptolem. Hierocli. Severus Paltensis subscripsit Constantinop. 1. Sabbas concilio Chalcedon. Cymatius Paltensis apud Athanasium ad Solitarios pag. 812. qui Bematius in concilio Damasi.

SYRIA SECVNDA.

A *Rethusa &c. ferunt*] Marcus Episcopus in concilio Chalcedon. act. 6. & alius diu ante hunc eiusdem nominis, qui Ariminensis Concilij formulam conscripserat, de quo N. Faber præfatione ad opuscula S. Hilarij pag. 8. &c. Severianus Syno-

dicæ in concilio Constantinopolitano sub Menna subscripsit.

Epiphania &c.] Eutychianus concilio Chalcedonensi act. 6. Eusebius Constantinopolit. 1.

Larissa &c. teste Leon. Sidon.] Patrophilus Constantinopolitano 1. &c. Meletius Episcopus subscripsit Chalcedonensi act. 6. pro se & Domno Apameę Metropolita.

Mariana Pt. ibid. Jalijs Μαριάμνη *etc.* Cyrus in Synodica concilij Constantinopolit. sub Menna, & Aetherius ipsi concilio subscripsit Constantinopolitano, Paulus Chalcedonensi act. 6.

Raphanea. Pt. ibid. Lampridium] Ραφανάιων. ms. Lat. Rafaneon &c. Zoilus in eadem Synodica. Basilius in Constantinop. 1.

Seleucia &c. Straboni] & Hierocli &c. Eusebius Seleucobeli concil. Chalced. act. 6. Marcianus Seleucobelitanus Constant. 1.

* BALANEA: quæ pagina sequenti Euphration ὁ ἐν Βαλαναῖς apud Athanasium ad Solitarios pag. 812. ubi malè Καλαναῖς editur.

THEODORIAS.

PAg. 300. *Laodicia &c. vulgo Lichè*] Pelagio eius Episcopo scribit Basilius M. epist.

epiſt. 311. Theodorus adfuit concilio Antiocheno contra S. Athanaſium.

Gabala &c. Tyrio teſte] Hilarius Epiſcopus & Confeſſor apud Photium in excerpt. Ephræi. pag. 807. &c. Domnus Gabalienſis ſubſcripſit Conſtantinopolitano 1.

Paltos. Ptol. ibid.] Sabbas act. 2. conc. Chalcedon. & act. 1. in ſubſcription. concil. Conſtantinop. ubi Latina verſio habet Palti primæ Syriæ, & ſic Hierocles.

Balanea &c. Timothei] Βαλανέων Balanienſis mss. antiquiſs. act. 6. Βαλανάων. ms. Latinus Balaneorum. [*Concil. Chalced.*] act. 1. & act. 6. adfuit enim Latrocinio Epheſino.

CILICIA PRIMA.

Tarſus &c. Lupus &c. Neocæſarienſi] Antonius apud Philoſtorgium lib. 3. pag. 50. ex eiuſdem Eccleſiæ presbytero Epiſcopus factus. Valerius adfuit concilio Conſtantinopolitano ſub Nectario. [*Theodorus etc. in Cõc. Chalc. legitur*] ubi pro ſe & ſuffraganeis aliquot ſubſcribit.

Pompeiopolis &c. Matronian. Chalc.] act. 6.

Sebaſte &c.] Hinc apparet Sebaſten & Auguſtam diverſas fuiſſe civitates, ut rectè Hierocles eas diſtinxit. Alexander Sebaſtæ Tarſis (ſic enim cognominatur) adfuit

Epheſino Latrocinio act. 1. concil. Chalced. pag. 50. & ipſi concil. Chac. act. 6. Diu ante Meletius Σεβαςή'ας]ῆς κατὰ Κιλικίαν Epiſcopus ordinatus ad Antiochenam Sedem translatus fuit, teſte Nicephoro Calliſto lib. 14. cap. 39.

* AVGVSTA Hierocli. Theodorus eius Epiſcopus concilio Chalced. adfuit act. 6. unde conſtat rectè ab Hierocle diſtingui à Sebaſte.

Coricus] Corycus. [*Ptol. ibid.*] & Hierocli &c. Pro Salluſtio in Chalced. ſubſcribit Theodorus Tarſenſis.

Adana &c.] Philippus Chalced. act. 6.

Mallus &c.] Bemmaſius à Mallo ſubſcripſit Synodicæ S. Damaſi.

CILICIA SECVNDA.

A *Nazarbus &c. Acteſai teſte Leunclavio.*] Athanaſius Anazarbi Epiſc. Aëtij Magiſter, Philoſtorg. hiſt. eccleſ. lib. 3. pag. 50. Arrij Sectator in concilio Nicæno, ut refert Nicetas Theſ. orthod. lib. 5. cap. 7. ex eodem Philoſtorgio. [*Oreſti*] Cyrillus Epiſcopus Metropoleos Anazarbi ſubſcribit pro ſe & ſuffraganeis aliquot concil. Chalced. act. 6. pag. 268. [*Ætherius &c. ſubſc. geæer. v.*] Ad Ioannem Metropolitam Anazar-

zarbenæ civitatis extat Iustiniani Imperatoris epistola in eodem concilio v. CP. Collat. v. qui & Mopsuestenam Synodum celebravit. ubi se Iustinianopolitanæ Metropolis Episcopum subscribit.

Mopsuestia Ptol. lib. 5. c. 8.] Mopsiestia [*uel Lares*] Mopsi viculum vocat S. Hieronymus Epitaph. Nepotiani. &c. Cosmas Synodo Mopsuestenæ in actis Concil. v. CP. coll. v.

Aegæ &c. Alexander Aegeæ] in Græco Α'ιγῶν. ms. Lat. Aegeorum; unde apparet ipsum legisse Α'ιγέων. Tarcondimantus Aegeates inter Episcopos Ciliciæ subscripsit Concilio Antiocheno contra S. Athanasium. Et Eustathio Episcopo Α'ιγῶν scribit Theodoretus epistolam 70. Idem in Concil. Nicæno ab Arrij partibus stetit, ut Nicetas thesaur. orthod. lib. 5. c. 7. ex Philostorgio. Patrophilo Episcopo ἐν Α'γιαῖς scribit S. Basilius M. ep. 82. quamvis malè isthìc Α'γιαῖς pro Α'ιγαῖς editum sit. Nam in Cilicia eum Episcopum fuisse ex epistola satis apparet, ubi Basilius ob calumnias & delationes Arrianorum communionem sibi renunciatam, atque negatam conqueritur; quod & epist. 84. confirmat &c. Thomas Synodo Mopsuestenæ supradictæ.

Epiphania &c.] Nicetas Synodo Mopsuestenæ. Polychronius Chalcedonen. act. 6.

Pag.301. *Irenopolis &c. Theodoret. &c. Narcissum eius Episc. nominat* ;] hic subscripsit Concil. Neocæsarienſi & Antiocheno contra S. Athanasium ; & in Concilio Nicæno Arrij partes fovit, ut refert ex Philostorgio Nicetas thes. orthod. lib. 5. cap. 7. &c. Indimus eius Episcopus subscripsit Ephesino Latrocinio act. 1. Concil. Chalced. & act. 6. Idem subscripsit Synodicæ Gennadij Patr. CP. tom. 1. Iuris Græc. Rom. ubi vocatur Indimus. Procopius subscripsit Synodo Mopsuestenæ.

Flaviopolis &c.] Andreas Synodo Mopsuestenæ, ubi Flaviadeorum Episcopus vocatur, pro Flaviadensium. In Græco fuit Φλαβιαδέων. Ioannes Flaviadis. Chalced. act. 6.

Castabala &c.] Stephanus Synodo Mopsuestenæ. Pro Paregorio in Concil. Chalcedonensi subscripsit Cyrillus Anazarb.

Alexandria &c. Scanderona teste Leunclavio] Hesychius Alexandriæ minoris in Cilicia Episcopus adfuit Concilio Antiocheno contra S. Athanasium &c. Vrbicius Alexandri Oppidi Episcopus Synodo Mopsuestenæ.

Rossus] Rosus. Rossensem Ciliciæ Ecclesiam vocat S. Hieronymus lib. de script. eccles. cap. 41. [*Eustathius Risorum pro*] Roso-

rum

rum [*Antiſtes &c.*] Antonius Roſeorum (Ρωσέων) Epiſcopus Syn. Mopſueſtenæ. Iulianus Ρωσῆς Concil. Chalced. act. 6.

ISAVRIA.

Seleucia &c. Saleſica Nigro teſte] Doſitheus huius Epiſcopus ab Alexandro Antiocheno Tarſum Ciliciæ translatus fuit, teſte Nicephoro Calliſto lib. 14. cap. 39. Concilij Chalcedonenſis act. 6. Agapius ſubſcripſit concilio Antiocheno contra S. Athanaſium [*Baſilius &c. ſubſcripſit*] Concilio Chalcedonenſi act. 6. & [*ep. Syn. &c.*] Theodotus concilio v. Conſtantinopolitano.

Celenderis &c. Iulius &c. in eadem ep. nuncupatur] & in concilio Chalcedonenſi act. 6.

Anemurium &c.] Iacobus in concil. Chalcedonenſi act. 6.

Antiochia &c. Acacius eius Ep. in ead. epiſt. dicitur] & antea in concil. Chalced. act. 6.

Selenus] Selinus &c. Ælianus in Chalcedonenſi act. 6.

Dioceſarea Pt. ibid.] Ioannes concil. Chalcedonenſi act. 6. &c. Succeſſus Epiſcopus Διοκαισαρέων κατὰ Ἰσαύρων ἐπαρχίαν, ad quem S. Cyrillus ſcripſit celebrem epiſtolam, quam laudat S. Maximus cod. Vatic. 508. pag. 210. b.

Phila-

Philadelphia &c.] Megalus Concil. Chalcedonensi act.6.

Domitiopolis &c.] Antonius in concilio Chalced. act. 6. ubi ms. Latinus antiquissimus Domitianopolis vertit.

Hierapolis &c. Paulus &c. in eadem epist. reperitur,] qui etiam in concilio Chalcedonensi act.6.legitur.

* CHARADRA. In concilio Chalcedonensi act.6. pag. 268. Basilius Seleucienſis Metropolita Isauriæ subscribit pro Nunechio Χαραδρεων Episcopo Suffraganeo suo. ms.Latinus Caradri vertit, & sic Straboni lib.14 pag.669.Χαραδρὸς dicitur.

* LAVZADÆ. Hierocli, & alteri Notitiæ NAVZADEAE. Eius Episcopus Theodorus adfuit concilio Nicæno & Antiocheno, ubi malè Vasadensis scribitur.

Pag.302.*Dalisandus &c. Stephani &c. mentio fit in eadem ep. Syn.*] & in ipso concilio Chalcedonensi act.6.

Claudiopolis &c.] Theodorus adfuit Ephesino Latrocinio act.1.concil.Chalcedon. & ipsi Chalcedonensi act.6.

Germanicopolis &c. Tyrannus eius Episc.] in Chalcedonensi [*Concilio legitur*] act.6.

Cestrus] Cestrius [*Epiph.&c. subsc.d.ep.Syn. Isauriæ*] & Chalced.act.6.

Olbus &c.] Olba [*Ptol. lib.5. cap.*8. Hierocli

rocli Ὀλβή. alteri Notitiæ Ὀλυὰ, & ms. Latin. Olba &c. Diapherontius Olbæ Episcopus in concil. Chalcedon. act. 6. & sic ms. Latinus antiquissimus.

Irenopolis &c. Menodaurus] Menodorus.

AVGVSTA EVPHRATENSIS.

Hierapolis &c. tribuunt] Theodotus Constantinopolitano 1. &c. Theodorus concilio v. Constantinopolitano Hierapolis ad Euphratem metropolita.

Cyrrhus] Cyrus. [*Carin dicitur*] Augarus Episcopus Κύρε Ευφρασιας. apud Epiphan. hær. 73. p. 874. ubi scribendum Ευφραλησίας.

Isidori] Cyri [*Antist. mem. est apud Theod. l. 5. c. 4.*] qui subscripsit Constantinopolitano 1.

Samosata &c. Scemsat.] Erat Metropolis Commagenæ. Paulus hæresi nobilitatus. Piperius adfuit concilio Antiocheno contra S. Athanasium. Eusebio ob fidem exuli scribit Gregorius Nazianzenus epist. 28. 29 204. &c. Rufinus Chalcedonensi concilio subscripsit act. 6.

Dolichæ &c. nomen. antiq. retinet] Olympius subscripsit pseudo-Sardicensi Synodo &c. Timotheus subscripsit Synodicæ Gennadij tom. 1. Iuris Græc. Rom. & Chalc. Synodo.

Germa-

Germanicia &c. Salomonis &c. mem. eſt in Conc. Nic.] Ioannis in eadem Synodica, & in Chalced. concil. & Theodoreti epiſt. 133.

Zeugma &c.] Evolcius Synodo Chalcedonenſi.

Perre Anton. in Itin.] & Hierocles. Iovino Epiſcopo Πέρρης; ſic enim legendum pro Κέρρης, ſcribit Baſilius Magnus epiſt. 310. Hic ſubſcripſit Conſtantinopolitano 1. ubi malè Pellenſis. Epiphanius eius Epiſcopus adfuit Epheſino Latrocinio act. 1. concil. Chalcedonenſis, ubi malè Πέργης pro Πέρρης editur. ms. antiquus Latinus Perienſis habet pro Perrenſis. Athanaſ. Perræ. Chalced. act. 6. ſubſcripſit.

Cæſarea &c. Neocæſarea lib. Concil.] in ſubſcriptionibus concil. Chalced. act. 1. & Procop. lib. 2. ædific. [*Paulus &c. Conc. Nic. ſubſc.*] idem adfuit concilio Antiocheno contra S. Athanaſium. Ioannes Epiſcopus Neocęſareæ Eufratenſis adfuit concilio v.

Pag. 303. *Sergiopolis. Procop. l. 2. de bello Perſic.*] à S. Sergio ſic vocatum ſcribit, & Candidum eius Epiſcopum commemorat.

Sura &c.] Procopius 2. Perſic. Epiſcopum huius civitatis ſupplicem ad Choſroën Regem veniſſe narrat.

OSRHOE-

OSRHOENA.

EDeſſa &c. *Orſa P. Gyll.*] Ibas Edeſſæ Metropolita apud Theodoret. epiſt. 111. extat ad eundem epiſtola 132. Eulogius Edeſſenus ſubſcripſit Conſtantin 1.

Carræ vulgo Orſa] Vito Καρρῶν Epiſcopo ſcribit Baſilius M. epiſt. 314. idem ſubſcripſit Conſtantinopolitano 1.

Circeſia] Circeſium &c. Vide Procop. 2. ædific. pag. 20. Thomas Epiſc. Circeſij ſubſcripſit concilio v.

Bathnæ] Batnæ &c. [*Abrahamus interfuit Conc. Conſt. gen.*] 1. Baſilius quoque Magnus epiſt. 315. eidem ſcribit.

Himerius] Himeria ubique in actis Concil. Chalcedon. ſcribitur. Himerium Procop. lib. 2. de ædif. Euſtathio ἱμερίας Epiſcopo ſcribit Baſilius M. epiſt. 36. [*Vranius &c. adfuit Chalcedonenſi*] & ante Epheſino Latrocinio. Iovianus Himerienſis Conſtantinopolitano 1. ubi tribuitur provinciæ Meſopotamiæ.

MESOPOTAMIA.

AMida &c. *vulgo Caramit.*] Mereas Amidenſis ſubſcripſit Conſtantinop. 1.

Si-

Simeon adfuit Ephesino Latrocinio act. 1. Concil. Chalced. & ipsi Concilio Chalcedonensi act. 6. eius meminit Theodoretus ep. 111. ubi eum provinciæ suæ Metropolitam vocat.

Rhesina &c. Antiochus] Rhesinas &c.

* CEPHA, vel Cephe Notitiæ Imperij. Noë Episcopus Cephas adfuit Concilio Chalcedonensi act. 6. ms. Lat. antiquissimus eius loco Ioannem Episcopum Neocephas ponit.

* MINIZVS Anton. & actis Concil. Chalcedonen. vel Mnizus Osroenæ, vel Euphratensis provinciæ civitas. Leucadius eius Episcopus subscripsit dicto Concilio act. 6. Antoninus inter Cyrum & Beroen ponit, ubi Miniza legitur.

PHOENICIA PRIMA.

PAg. 304. *Sidon &c.*] Amphion Sidonis Episcopus in Synodo Nicæna Arrij dogma secutus. Nicetas thesaur. orthod. lib. v. c. 7. ex Philostorgio. Damianus Chalced. act. 6.

Ptolomeis &c.] Paulus in Chalcedonensi act. 6.

Berytus &c.] In Concilio Chalcedonensi act. 6. Metropolitanum seipsum scribit.

Byblus

Byblus &c.]Rufinus Chalcedonenſi.

Tripolis &c. Theodorus dictæ ſubſc. epiſt.] & Chalcedonenſi.

Arca Ptol. ibid.] plurali neutro [*vulgò Archis Tyrio teſte*] Reuerentius Ἀρκῶν ἧς Φοινίκης Epiſcopus Tyrum translatus fuit. Nicephorus Calliſtus hiſt. eccl. lib. 14. c. 39. &c. Antiochus concilio Chalcedonenſi ſubſcripſit.

Orthoſia]Orthoſias &c. Phoſphorus Chalcedonenſi.

Aradus &c. Pt. ibid. [Cimatius Aradi Epiſcopus apud Athanaſium ad Solitar. p. 812. &c. Paulus Chalcedonenſi act. 6.

Antaradus &c. vulgo Tortoſa] Carterius Antaradi Epiſcopus ab Arrianis ſub Conſtantio in exilium eiectus commemoratur ab Athanaſio in Apologia ad Conſtantium.

Porphyrium] Porphyreon, ut veteres Geographi omnes & lib. concil. &c.

PHOENICIA LIBANI.

Laodicea &c. Valerius &c.] adfuit Chalcedonenſi.

Heliopolis &c.]Ioſeph Chalcedonenſi ſubſcripſit.

Abyla, vulgò Bellinas] Iordanes Chalcedonenſi concilio act. 6. adfuit.

Palmyra &c. Ioannes Palmyr. Epiſc.] legitur in concilio Chalcedonenſi act. 6. & [*ſubſcripſit &c.*

* ARLANA, vel Arlane, ut Notit. Græc. ms. vocat. Hardani vitiosè habet Not. Lat. pag. 75. in concilio Chalcedonenſi act. 6. Abrahamius Ἀρχάων Epiſcopus ſub Damaſo legitur, ubi vetus Interpres ms. Arlanorum, editus autem Alanorum habet.

Pag. 305. *Emeſa &c. Vranius &c. ſubſcripſit eidem epiſt.*] & concilio Chalcedon. act. 6. extant ad eum Theodoreti Epiſtolæ 122. & 123.

Danaba] Danabe [*Ptol. ibid.*] & Notit. Græc. ms. & Latin. pag. 75.

Evarius] Evaria. Euroia, ſive Euria Notitijs antiquis ms. Græc. & Latinæ pag. 75. ubi Euxia pro Euria malè editur. [*Thomas &c. epiſt. Syn. &c. ſubſcripſit,*] & antea concilio Chalcedonenſi.

Comoara] CHONACHARA habent Acta Græca concilii Chalcedonenſis act. 6. atque ita ms. antiquiſs. Latin. Notit. Grec. ms. Χονάχαρα. Latina inf. pag. 75. KONOKORA. [*Dadæ &c. mentio fit in dicta epiſt. Synod.*] & antea in concilio Chalcedonenſi act. 6.

Corada] CARADEA. Notit. ms. Græc. & Carotea Notit. Latin. pag. 75. In Concilio Chalcedonenſi act. 6. Petrus Κορασαίων Epiſcopus

ſcopus legitur; & ſic ms. Latinus antiquiſſimus Choradeorum vertit.

Sarracene etc. Euſtathij etc. in eadem Epiſtola mentio ſit .] Auxiliaos Epiſcopus Sarracenorum fœderatorum adfuit Latrocinio Epheſino act. 1. concil. Chalcedonenſis .

ARABIA.

PETRÆA delendum . nam Petra cum ſuis Suffraganeis conſtituit III. Palæſtinam .

Boſtra &c. Buſſeret vocari ſcribit Guill. Tyrius &c.] In concilio Conſtantinopolitano ſub Nectario diſceptata fuit cauſa Agapij & Gabadij de Sede Boſtrena contendentium .

Adra &c.] Proclus Ἀδράων , & ſic ms. Latin concil. Chalcedonen. act. 6. ubi malè Σαδράων litera ex voce antecedente malè repetita editur .

Medana] Medaba . [*Caianus*] Gaianus &c.

Geraſa &c. Placus etc. in Concil. Chalced. dicitur] act. 6.

Nibe] NIVE , ut Notit. editæ & ms. ſic provinciale Neui pag. 73. concil. Chalced. Nebe, ſed ms Latinus Neuis .

Philadelphia &c.] Hinc circumiecta provincia Ἀραβία τῆς φιλαδελφίας dicitur Epiphanio in ἀνακεφ. pag. 145.

Esbus &c. Esbuta Ptol. lib. 5. cap. 17.] vel potius Esbunta. unde Zosius &c. est in eodem concilio, ἐσβούντων in textu Græco act. 6.

Neapolis dictæ Notitiæ] Severus Concilii Constantinopolitano 1.

Philipopolis &c. Hormisdas &c. subscr. eid. Concil.] act. 6.

Constantinæ &c.] Chilon Constantiensis subscripsit Constantinopolitano 1.

Dionysius &c.] Elpidius Constantinopolitano 1.

Elanæ] NEELA. Notitiæ antiquæ Νεηλα Gautus eius Episcopus legitur Concilii Chalcedonensi act. 6. ubi Νεήλων scribitur & antiquus Interpres ms. Nhelon. Sed Aila ad Palæstinam III. pertinet, ut infra pag. 317. & Beryllus eius Episcopus seorsim eadem act. 6. subscripsit.

* CANOTHA Hierocles ms. Ptol. Canatha & Stephano. Theodosius eius Episcopus adfuit Ephesino Latrocinio, & ipsi Chalcedonensi concilio act. 6. Idem subscripsit Epistolæ Synodali Gennadij Patr. Constantinopolitani tom. 1. Iuris Græcorom.

PHAE-

* Phaeno. Euseb. lib. 8. cap. 17. Phæna Hierocli: unde Cajumas Phænus Episcopus, qui mss. Latinis Fenusiensis in Latrocin. Ephes. act. 1. concil. Chalcedon. erat inter Petram & Zoara, teste Hieronymo. & Suidæ Episcopi meminit Concil. Ephesin. Rufinus histor. eccles. lib. 8. c. 14. Fanense metallum vertit, ubi Fenense legendum, de quo metallo Athanas. ad Solitar. p. 850. Hæc referenda infra ad pag. 317.

Pag. 306. *Zerabenas &c.*] antiquus Interpres Latinus ms. Zerabennam reddit.

Erra] Notitiæ ms. Græcæ &c. ms. Latinus Erram quoque vertit.

Anitha] Eutimia in actis Græcis concilii Chalcedon. legitur, & sic ms. Latin. iam olim vertit.

Parembola etc. Valens Parembolanus] Synodicæ epistolæ in [*Constantinop. sub Agapeto & Menna*] subscripsit.

CYPRVS INSVLA.

Constantina &c.] Epiphanio successit Sabinus, Sabino Troilus. concil. Ephes. act. 7.

Eurium Ptol. ibid.] Κύριον in actis concilij Ephesini & Κυρηνία Hierocli.

Paphos &c. vulgò Baffo] Cyriacus fuit unus

ex CCCXVIII. Patribus Concilij Nicæni, teſte Ephræmo apud Photium cod. 229. pag. 807. &c. Sapricius in Epheſino.

Tamaſſus &c.] Epaphroditus concilio Chalcedonenſi act. 6.

Ledra &c.] apud D. Hieronymum Ledienſis, ſive Leucenteonis Epiſcopus ſcribitur.

Tiberiopolis &c.] In Concilio Chalcedon. act. 6. Olympius Metropolita Cypri ſubſcribit pro Ariſtocle Epiſcopo Tiberiopolis ſuffraganeo ſuo.

* CARTERIOPOLIS. Acta Concil. Chalcedon. ubi act. 6. Hermolaus eius Epiſcopus commemoratur. ms. Latin. antiquus Charteriopolis vertit.

* CARPASIA. vel Carpaſium Hierocli, & Notit. Leonis Imperat. & Stephano. Huius Epiſcopus fuit Philo Καρπάσις, cuius extat Commentar. Græcus ms. in Cantica Canticorum, quem vulgò malè Carpathium, quaſi à Carpatho inſula appellant.

PATRIARCHATVS HIEROSOLYMITANVS.

PAg.312.num.9. in fine. Pleniſſimam tandem Patriarchalem dignitatem obtinuit in quinta Synodo Conſtantinopolitana tempore Vigilij Papæ, ut refert Gulielmus Tyrius lib. 28. cap. 2. & Baronius ad annum Chriſti 553. num. 245. tum enim quatuor illi attributæ fuere Metropoles, quarum duæ Antiocheno PP. ſubtractæ fuerant, Cæſarea & Scythopolis, duæ Alexandrino, Petra ſive Rabba Moabitis, & Boſtra Arabiæ. Dati etiam fuere Suffraganei partim vicinis Sedibus adempti, partim ex integro erecti: atque hanc faciem Sedis Hieroſolymitanæ exhibet Notitia Græca manuſcripta Bibliothecæ Vaticanæ, quam noſter hic mutilam exhibet in appendice, eademque extat in Notitia Latina append.pag.72.

NOTITIA EPISCOPATVVM PATRIARCHATVS HIEROSOLYMITANI

PALÆSTINA PRIMA.

PAg. 315. *Cæsarea &c.*] Eusebius Eccles. historię Scriptor. Gelasius adfuit concilio Constantinopolitano sub Nectario. Domninus à Praylio Hierosolymitano ordinatus apud Theodoretum epist. 110

Dora &c.] Idem (Stephanus) subscripsit Synodicæ Ioannis Patriarchæ Hierosolymitani in concilio Constantinopolit. sub Menna, ubi tamen malè Oranus legitur.

Diospolis &c.] Photinus concilio Chalcedonensi act. 2. & 6.

Iamnia &c. Steph. Conc. Hieros. &c.]& concilio Chalcedonensi act. 6.

Sozusa &c.] Baruch Ephesino Latrocinio act. 1. concilij Carthaginensis, sive Baricius, ut mss. Latini antiquissimi vocant. Damianus adfuit concilio Constantinopolitano v.

Maiuma &c.] Paulus Episcopus Μαϊουμα Ephesino Latrocinio in concilio Chalcedonensi. Procopius in Synodica concil. Constantinopolitani sub Menna. Paulianus adfuit Ephesino.

Ascalon &c.] & Leontius Latrocinio Ephesino act. 1. Concil. Chalcedonen. & ipsi Chalcedonensi act. 6.

Gaza &c.] Gazara &c. Cyrillus in Synodica Concilij Constantinopolitani sub Menna. Natiras concil. Chalcedon. Irenio, Æneas, & Porphyrius tres ordine Episcopi Gazenses apud Baronium an. Christi 484. num. 91.

Raphia &c. Epiphanij meminit idem Concilium] Romani Ephesinum. Stephanus adfuit concilio v. Constantinopolitano.

* Sycamazon Hierocli. Dionysius eius Episcopus adfuit Ephesino Latrocinio in act. 1. concilij Chalcedonensis ms. Latin. Sicamozonensis Episcopus. Ioannes adfuit Ephesino.

* Lidda. Ptol. ibid. Hinc Florentius Lyddorum, seu Lyddensis Episcopus. act. 1. concilij Chalcedonensis: diversa autem est Lydde, cuius Episcopus Photius ibidem legitur. ut & act. 2. inter Palæstinæ Episcopos, & act. 6. de qua supra v. Diospolis.

* Gerara Eusebio & Hieronymo de locis, & actis concilij Chalcedonensis, ubi act. 6. Marcianus Γεράρων Episcopus subscripsit. Falsò autem confunditur cum Gaza: nam illa Natiram Episcopum habuit in eodem concilio.

Pag.316. *Anthedon &c.*] Paulus Ephesino. Item concilio Chalcedon.act.6.

Neapolis &c.] Terebinthius sub Zenone malè mulctatus à Samaritanis. Procop.lib. 5.ædific.

Sebaste &c.] Eleutherius Sebastæ Episcopus legitur in Epistola Luciani Presbyteri de revelatione reliquiarum S.Stephani Tom.10.operum S.Augustini.

Hierico &c.] Eleutherius legitur in Epistola Luciani Presbyteri de inventione reliquiarum S.Stephani.

LIVIAS. Latinè *Libias*: nam in Liuiæ honorem condita fuit &c. Pancratius interfuit Ephesino Latrocinio act. 1. concil.Chalcedonensis & ipsi concilio Chalcedonensi act.6.Letoïus Ephesino.

Azotus &c.] Heraclius Latrocinio Ephesino act.1. concilij Chalcedonensis.

Baschat] BACHATHA. Epiphanio hæresi 58. & sic act.1. concilij Chalcedonensis, ubi Alypius Βακάνθων Episcopus adfuit Latrocinio Ephesino. Sed ms.Latin.antiquissim. Bacathensis ibi legit. Et Gregorius Bacatanus in Synodica Concilij Constantinopolitani sub Menna Βάκαθ@. quoque eidem Epiphanio in ἀνακεφ. pag. 145. ubi μητροκωμίαν vocat Ἀραβίας τῆς Φιλαδελφίας: ideò supra ad Arabiam referenda pag.305.

PA-

PALÆSTINA SECVNDA.

PElla *Ptol.ibid.*] Zebennus Episc. eius subscripsit concilio Chalcedonensi.

Gadara &c.] Ioannes concilio Chalcedonensi act.2.

Capitolias &c.] Anianus Chalcedonensi.

Maximianopolis &c. Domnus &c. subscripsit Concil.Hierosol.] & in concilio Constantinopolitano sub Agapeto & Menna act. 3. pag.691.

Pag.317. *Tiberias &c.Tabarie teste Nigro*] olim Cynareth. [*Ioannes etc.subsc. eid. Conc.*] Item Latrocinio Ephesino act. 1. concilij Chalcedonensis; & ipsi concilio Chalcedonensi act. 6. Georgius Concilio v. Constantinopolitano.

Mennith.] Μινωΐδη, sive Minoida in act. Concil. Chalcedon. act. 1. ubi Zosimus eius Episcopus subscripsit Latrocinio Epheeius Episcopus subscripsit Latrocinio Ephesino post Amathuntis & Majumę Episcopos. alibi Μινωΐδος Episcop.act.2. Concilij Chalcedonensis.

Hippus &c.] Petrus ἵππου παλαιστίνης subscripsit Conciliabulo Seleucienſi apud Epiphanium hær.73.cap.26.

Amathus &c.] Theodosius Latrocin. Ephesino in Concilio Chalcedonensi.

PA-

PALAESTINA TERTIA.

Petra &c. Arium Episcopum Petræ in Arabia] Πετρῶν τῆς Παλαιστίνης in Græco textu legitur pag. 820. Error ex mala versione Interpretis.

Augustopolis &c. Ioannem &c. recenset Concilium] Ephesinum.

Arindela dictæ Not. antiquæ] Stephano & Hierocli &c. Theodorus Ephesino adfuit, ubi loci nomen variè corruptum, ut ad Stephanum notavi.

Ariopolis &c.] Anastasius Latroc. Ephesino act. 1. Concil. Chalcedonen. Areopol. ms. Latin.

Eluza.] Elusa. [*Aretam etc.*] habet Concil. Chalced. ubi act. 2. Elusa tribuitur Palæstinæ secundæ. Sed Hierocles in tertia ponit. Apelles adfuit Ephesino, qui alibi Theodolus scribitur.

Zoara &c. etiam Segor] ms. Lat. Seor. est ad interiorem ripam Maris Mortui.

Musonius &c. Conc. Chalced. legitur] adfuisse Latrocinio Ephesino, & ipsi Concilio Chalcedonensi.

Phenon] Vide supra pag. 305. in fine, quæ huc transferenda &c. [*Saida Phenonis*] act. 1. Concil. Chalcedon. Saida Phænensis,

sis, ubi ms. antiquiss. Latin. Fenusensis legit. Locus ipse Phæno, vnde ὁ Φαίνυς Episcopus in concilio Ephesino act. 1. Palæstinæ Salutaris civitas vocatur.

Aila &c.] Beryllus concilio Chalcedonensi act. 2.

* METROCOMIA infra in Notit. pag. 62. sub Petra ponitur. Hæc eadem videtur quæ BACATHVS. uel Bacatha pag. præced. cum Epiphanius disertè eam Μητροκωμίαν Arabiæ vocet, ea parte, quæ ad Philadelphiam pertinet; & fortè in confinio Arabię Petræ & Bostrensis sive Philadelphiensis sita fuit.

INCERTÆ PROVINCIAE.

PAg. 319. *Bactrorum*] Bacathorum Episcopus vide pag. 316.

Canothæ] est civitas Arabiæ sub Bostra. Hierocles mss. [*Theodosius*] interfuit concilio Ephesino λησιαρχῶ act. 1. concilij Chalcedonensis.

Pag. 320. *Cianus*] à Cio Bithyniæ pag. 260.

Diocleæ] sup. pag. 240.

Ἐπίσκοπος Episcopus Aristoteles in subscript. Synodicæ Gennadij Patriarchæ Constantinopolit. inter Episcopos Ægypti tom. 1.

Iu-

Iuris Græco-Rom. pag. 190.

Evaſorum Epiſcop.] Evaza pag. 236.

Gindarenſis Syriæ Petrus Epiſc. &c.] Idem adfuit concilio Antiocheno contra S. Athanaſium.

Hircanorum Civit. &c.] eſt in Aſia minori, teſte Plinio. Notit. Leuncl. Hyrcanis. & infra in Notitia pag. 13. malè Ὀρκανὶς ſub Sardibus.

Pag. 321. *Minoidis Epiſcopus*] ſupra p. 317. Palæſtinæ ſecundæ.

Pharmali] Pharſali Theſſaliæ.

Περιοικιάδος Epiſcopus Agathus ſubſcripſit Synodicæ Gennadij Patriarchæ Conſtant. tom. 1. Iuris Græc. Rom. pag. 190. inter Epiſcopos Ægypti & Libyæ.

Pag. 322. *Pylorum*] Pilarum. [*In Concil. Epheſino*] act. 1.

Ruſurrianenſis] ſupra pag. 110.

Scarphienſis] ſupra pag. 206.

Sexantapriſtis] ſupra pag. 211.

Vaſadenſis.] Supra pag. 301. &c. eſt Nauſadenſis, vel ut apud Hieroclem Lauzadenſis.

Vnnogoritanus Epiſcopus Ioannes adfuit concilio Romano ſub Martino.

INDI-

INDICI VRBIVM Episcopalium inserenda.

APtunga in provincia Proconſ. 91
Aquæ in Bizac. 105
Azana Phryg. Pacat. 240
Canotha Arabiæ. 205. 319
Cataquenſis in Numidia. 97
Caſulæ Carianenſes. Biz. 104
Dionyſiana in Bizacena. 104
Druſiliana Num.... 95
Feradi minus in Bizacena. 102
Limata Numidiæ. 95
Magarmelita Numidiæ. 99
Mopta in Maur. Cæſar. 114
Mutigennę provincia Numidiæ. 95
Perpere. ubi *Pepere*. 238
Pityus in Ponto. 258
Quidia in Numidia delend.
Quidium] Quiza. 109
Ruſtonium] eadem cum Ruſgonia. 100
Salapia Apuliæ. 59
Salpis delend.
Synnada Phrygiæ Salutaris. 242
Sullecte Bizac. 105
Tabora &c.] Tabraca Numid. 99
Tagariata] Tegariata. 105
Tagora Numidiæ. 96

Tamagriſtra ſine aſpir. 106
Taphrura Bizacenæ. 100
Teate ſine aſpir. 58
Tegariata Bizac. 105
Temenotyræ Phrygiæ. Pac. 240
Tiſdrus in Bizac. 104
Trapeſopolis] Trapezopolis. 141
Tremenithyri] Temenithyr. 240
Thubunæ] Tubunę. 111
Tyſutus] Tiſdrus. 104
Vci majus in Proconſ. 92
Vtina ſine aſpir. 91
Zella Proconſ. 92
Zuma Numidiæ. 95

ANNOTATIONES
IN
ITALIAM ANTIQVAM
CLVVERII.

LVCAE HOLSTENII

In Italiam Antiquam

PHILIPPI CLVVERII

ANNOTATIONES.

IN Indice libri 1. deeſt] v. Galliæ Circumpadanæ deſcriptio p.216.

Pag.20. lin.13. *Herodianus, &c.*] Extat etiam egregius locus Sozomeni hiſt. Eccl. lib. 1. cap. 6. De Hemona ab Argonautis condita in confinijs Italiæ, ubi ἔμον nomen Vrbis ſcribitur, quod Interpretes in ἴμονα, vel ἔμονα mutant.

Pag. 30. *Vultur mons quem Strabo, &c.*] Sed cur vulgatum errorem ipſe Tabulis ſequitur?

Pag.46. lin.32.] Sic libellus provinciarum Schonhovij: *Liguria, in qua eſt Mediolanum.* Et Caſſiodorus Varior. lib. XI. Epiſt. 14. *Comum murum planæ Liguriæ* appellat. Vnde apparet tum Liguriam in Montanam, ſeu Inalpinam, vel Alpeſtrem, & Planam diviſam fuiſſe. Atque ut ex

P. VVarnefrido apparet, terminus inter Liguriam & Venetiam fuit Addua fluvius.

Pag. 49. lin. 33. Ἀντίπολις] Ἀντίπολιν, ut apud Scylacem, nec mutandum. Vide infra pag. 54. Nam Antipolin intelligit vetus ille Scriptor.

Pag. 52. lin. vlt.] modò liber ille sit γνήσιος, id certum est, Aristotelicis multa recentiora admixta esse.

Pag. 54. lin. 51. *Scribo igitur, &c.*] plane contra mentem Scylacis, & vltimæ antiquitatis, qui Liguriam Antipoli finiebant, ut ex Marciani seu Scymni versibus apparet. Itaque hic per Ἀντίπολιν nomen Antipolis accipienda est; quod etiam ex intervallis a Scylace notatis colligitur, qui quadridui navigationem Ligusticæ oræ a Rhodano fluvio tribuit: tantundem Tyrrhenorum littori Romam usque, seu ad Tiberis ostia. Itaque si totum illud Spatium a Rhodano ad Tiberim usque in duas partes æquales dispescas, confinium seu terminus communis Ligurum, & Tyrrhenorum in Savonam civitatem incideret.

Pag. 55. lin. 23. CCLXI.] CCXI. in melioribus Codicibus habetur: quod cum Itinerarijs antiquis, & recentioribus, &

cum

cum accuratioribus Tabulis optimè conuenit, & sic citat. mox pag. 57.

Pag. 56. lin. 11. *Ager Genuensis*] potius Ora maritima Genuensis.

Pag. 58. lin. 26. ἕως τῶν Ἀρρητίνων χώρας] Nomen hoc manifestè corruptum. Qui enim Ligures usque ad Arretinorum fines pertingere potuerunt, nisi totam Hetruriam circa Arnum, Fæsulas, & Florentiam usque obtinuerint? Deinde Polybius distinguit Ligures ad inferum, & superum Apennini latus habitantes: Inferos ad Pisam usque pertinere ait; superos ad agrum, sive regionem Arretinorum. At nonne Arretini & ipsi ad inferum seu meridionale latus Apennini siti sunt? Qui verò Ligures eos contingere potuerunt, nisi universam Galliam Cisspadanam, & magnam Piceni partem obtinuerint? Hinc apparet locum hunc Polybij manifestè corruptum esse, & legendum ἕως τῶν Ῥιτίνων χώρας, & hæc Livij verba a Cluverio adducta confirmant, qui eos Mutinam usque progressos scribit.

Pag. 60. lin. 23. *circa oppidum Salinas, &c.*] Id falsum puto, vide infra ad pag. 87.

Lin. 27. *Vintium*] Civitas Vincientium in Notitia Sirmondi. In Schonhovij edi-

tione, civitas Vinſicienſium id eſt Ventio, legitur.

In fine capituli. pag. ead.] Hiſce prædictis accenſendi ſunt, quos antiqua tabula ænea, quæ Genuæ extat, recenſet, Veiturij, Langates ſeu Langenſes, &c. Langeſes, Odiates. Dectunines, Cavaturines, Mentovines.

Pag. 62. lin. 14. *Nicia*] In ſubſcriptionibus Concilij 1. Arelatenſis ſub Conſtantino Imperatore. *Innocentius Diaconus ex portu Nicaëenſi*. Et in Epiſtol. Hilarij Papæ Tom. 1. Conciliorum Galliæ pag. 136. *Nicaënſe Caſtellum*, quod Cemelenenſi Epiſcopo ibid. ſubijcitur. Habuit enim ante proprium Epiſcopum. Vnde Amantius Epiſcopus Nicenſis in eodem tom. 1. pag. 21. legitur: & Concilio Aurelianenſi v. ſubſcripſit Aëtius presbyter directus à Magno Epiſcopo Eccleſiæ Cemelenſis, & Nicaënſis.

Pag. 64. lin. 4. *Aviſione, & Anaone, &c.*] Potius exiſtimaverim duo eſſe diverſa, & loca, & nomina. A Monæci portu littus admodum portuoſum recedit in ſinum ſub promontorio, quod vulgò nautæ Batavi vocant *C. S. Soſpiers*. Nautæ Græci *C. S. Sixto*. & ſinum ipſum *Baja de Soſpiers*. In eo littore 3. circiter vel 4. miliari.

liaribus a portu Monæci est locus ad mare vulgò *Esa* dictus, illum ego Avisionem Itinerarij esse dixerim. Pro corrupto illo numero XXII. puto substituendum IIII. Anaonem portum in ipso sinus recessu fuisse existimo. quod intervallum IIII. mil. manifeste ostendit. Portum illum egregiè describit nautica mediterranea Hollandorum pag. 64. & particularem eius delineationem apponit. Quod autem Cluverius ait VIIII. tantum miliaria esse à Nicæa Monæcum, id de terrestri itinere intelligendum. Nam Batavi, qui dicto libro portus hosce accuratissimè describunt, majus intervallum produnt, scilicet a villa Franca, seu Olivula ad dictum promontorium *Sospiers* ferme I. miliare Germanicum: & ab eo promontorio ad Monæci portum, duo miliaria parva, quæ commodè VIII. M. P. ista efficiunt, quæ a Monæco sunt ad Anaonem portum. In sequenti quoque loco numerum XII. ad III. reducendum existimo. Rectè enim Olivulam isthic constitui puto, vbi nunc est Villa Franca. Et ita Gregorij XI. Itinerarium apud Massonium pag. 310. b. *Cum hilaritate nimia Villam Francam seu Portum Olivæ intravimus.*

Lin. 53. *Hoc ego trophæum, &c.*] Segu-

sioni extat in arcu triumphali, sed literarum vestigia ægrè agnoscuntur, unde literæ conflatæ fuerant, ductus vel sulci etiam confusi, & obliterati sint. Arcus ipse in horto privato nunc incognitus extat, per quem haud dubiè olim publica via ducebat; visendus imprimis ob structuram, & commissuras lapidum sanè admirabiles, & sculpturas sacrificiorum elegantissimas. Verum Inscriptionem eandem omnino esse cum Pliniana ex principio cognovi, quod solum e longinquo legi potest, & ipse Serenissimus Princeps Carolus Emmanuel Sabaudiæ Dux id mihi affirmavit, cum anno 1627. isthàc transirem, & describendi copiam, ac commoditatem mihi peterem. Torbiæ autem nihil tale iam olim extitisse apparet ex Augustini Iustiniani descriptione oræ Ligusticæ, qui nequaquam silentio id transisset.

Pag. 65. lin. 15. *In medio vrbs est magna*] Oppidum haud contemnendæ magnitudinis, vel oppidum bene magnum.

Pag. 66. lin. 50.] Puto hoc loco non satis rectè distingui Cemenum montem, qui vulgò *Camelion*, Vnde Varus profunditur, & Cemenelium oppidum cum xxx. ut minimum miliaribus a se invicem distent.

Pag.67. lin.12. *Cimella.*] Ita adhuc locus, sive opidum vocatur hodierno tempore. Cuius accuratam descriptionem habemus apud Augustinum Iustinianum in descriptione oræ Ligusticæ, quam historiæ Genuensi Italicè scriptæ præmittit, his verbis: *Fori e quasi in cerco la Città di Nizza, di quà del fiume Palion verso Leuante e Tramontana vi sono la pianura nominata Pairoliero e Lempea, il piano de Rocabiliero, il piano de Cimies à canto nostra Donna de Cimies, Il piano di S. Pontio, &c. Vi è poi il paese nominato Cimies tutto partito in dilettevoli poggioli, & in cima di vn d'essi vi è vna fabrica antica a modo di vn Teatro nominata Cimella, che già si crede esser stata Nizza, & in cerco vi sono poggi con belle vigne e campi domestici, e con gran numero di commode case in cerco e belle fabriche. Vi sono alquante caverne fatte artificiosamente per commodità de gli habitanti per abbreviar la via, & andando verso la montagna si truova l'Abbatia di S. Pontio, nella quale sono molti corpi Santi, che già furono martirizati nel luogho, qual hoggidì si chiama l'Oratorio.* Quibus verbis situs, & conditio loci vnice explicatur, & Martyrologium egregiè declaratur.

Lin. 26. *Ab Albingauno, &c.*] XII. Habet Suritæ editio, quæ addit Tauia Fl. sed omnino fuisse puto *Ab Alb. P. Mauritij*

m. P. XXV. ut priores editiones habent. deinde, *A Portu Mauricij Tacua fluvius M.P.* XII.

Et haud dubiè is fluvius est, qui Tagiam opidum adluit, & in περίπλῳ Græcorum (quem *Portolano* vulgo vocant) φώσα ὃ Ταγίας seu fossa Tagiæ appellatur. Et locus ostio eius adjacens vulgo *Riva* dictus, ibidem Ῥίβα ὃ Ταγίας vocatur. Nautæ hodierni inde x. milia numerant ad portum Mauricij: nec dubito quin opidum idem nomen cum fluvio habuerit.

Pag. 68. lin. 7. *circa ostium amnis Caprioli*] fuit in sequenti valle versus ortum quam vulgò Vallem portus vocant, eo quod Portus Mauricij ostio adiacet. Locus nunc quoque nomen servat, *& Costa Rainera* dicitur. Et hanc sententiam verissimam esse ex eo apparet, quod idem ferme intervallum in terrestri itinere ponitur ab Intimelio ad Costam Balenæ, & in maritimo a Portu Mauricij ad Intimelium. Vnde apparet veterem viam Aureliam non per oram maritimam duxisse, ut hoc tempore, sed paulo superius per mediterranea.

Lin. 33.] ergo non fuit unus idem que locus Sabata, & Sabatorum vada.

Pag. 69. lin. 19. *Vel unum hoc documentum*] Quini-

Quinimo nullo validiori argumento ostenditur loca fuisse diversa: nam optima Itineraria, & Tabulæ exactiores tantùm XXVI. M. P. ponunt inter Genuam, & Savonam, quibus si VI. vel VII. addas, quæ sunt inter Savonam, & Vada, habes ipsissimum illum numerum Strabonis. Ita Vadis Sabatiis ad Pollupicem seu Finalem. Antoninus XII. M. P. ponit. Itineraria recentia XI. Inde Albingaunum XX.

Lin. 37. *Vadum Sabatium.*] Cum ergo Plinius, qui celebriora tantum loca se, expositurum profitetur, portum Vadum Sabatiorum recenset, ipsa Vada silentio transit? At sufficit quod Sabata, & portum Vadorum diversa loca fuisse concedit.

Pag. 70. lin. 35. *Meminit Porciferæ, &c.*] Et antiqua tabula ænea. PROCOBERA in antiqua Tabula apud Anton. Augustinum de leg.

Pag. 71. lin. 29. *exportant,*] reportant.

Lin. 48. *Delphinis* XXII.] Scrib. XVII. *Ricina* VII.] Scrib. XII.

Lin. 50. *Bodetia* XII.] VII.

Lin. 51. *Boaceas* XXVII.] XVII.

Lin. 52. *Boron* II.] VII.

Lin. 53. *Luna . . .*] XII.

Pag. 72. lin. 5. *Lerice*] Sed *falsò*.

Lin.

Lin. 7. *Apud Antoninum quoque pro Bodetia ſcribendum eſſe Monelia*] certiſſimum.

Pag. 72. lin. 18. *Hæc haud dubie &c.*] Sed ego Itinerariis antiquis potiorem fidem habuerim, ubi *Tegolata* ſeu *Tigulia* intus in ipſa via Aurelia commemoratur. Segeſte autem poſitio littoralis in ora maritima recenſetur: & haud dubie tum uterque adhuc locus extabat: ita ut illa nominum permutatio fieri non potuerit. Quod de Vadis Sabatiis affert, æque incertum eſt, &, ut ego exiſtimo, plane falſum.

Lin. 51. *Ricina.*] Vnde apparet numerum miliarium, qui inter Ricinam, & Genuam ponitur etiam corruptum eſſe, & pro VII. omnino reponendum XII. nam is accuratiſſime etiam hodie quadrat.

In fine Paginæ. Portus Veneris, cuius Itinerarium maritimum meminit, etiam nunc veteri nomine claruseſt ad occidentale promontorium ſinus, ſive portus Lunenſis, vulgò *Porto Venere*. Extat eiuſdem mentio apud Gregorium Magnum lib. 4. Epiſt. 16. quam Venantio Epiſcopo Lunenſi ſcripſit. Et Epiſt. 17. ad Conſtantium Epiſcopum Mediolanenſem.

Pag. 76. lin. 30. *Brinium, &c.*] fortè Briniatum Civitas veluti Veituriorum Caſtellum in antiqua Inſcript. Nam civitas

illa

illa Episcopalis vulgò *Brugneto*, & *Brugnato*, sed vero nomine *Brignate* Augustino Iustiniano dicitur. Sic Langatium Castellum, nunc *Langiasco*.

Lin 39. *An Primum scriptum fuerit, haud temerè dixerim.*] nequaquam existimo: Nam via Aurelia, quam vulgò adhuc viam Romanam, & viam veterem isthic vocant, nunquam per illud oppidum duxit. Itaque vox illa *Boron*, aut in *Boacten* mutandum; aut quod potius veriusque censeo *Boactes* iam tum nomen mutare cœperat: Nam hodie *Vara* dicitur, ad quod nomen illud vulgatum *Boron* proxime accedit, ut fortè nihil mutandum sit.

Pag. 77. in fine. In hac valle etiam locum Prino siue Perino quædam chartæ ponunt fluvio cognominem; unde forte genti nomen. Frinia vel Frinium olim dictum, ut etiam Cluver. supra pag. 60. Satis verisimiliter conijcit.

Pag. 81. lin. 43. *Libarna*] sic bis scriptum legi in veteri inscriptione.

Pag. 86. lin. 40. BODINCOMAGVS] Aldus edidit BONDINCOMAGVS.

Lin. 48. *Bondicomensis*] In priori quoque Inscriptione apud Aldum sic legitur, ut hanc ob causam reiici non debeat. Tum vero locus, ubi extat, ab omni suspicione

eam

eam Inſcriptionem eximit. Habetur enim in lapide quadrato, qui altaris nunc vicem præſtat. Vide Leandr. Albert.

Pag. 87. lin. 1.] De Auguſta Vagienno, rum accipiendum puto inſignem locum Hygeni de Conſtit. limit. pag. 202. ubi nobis Colonia Iulia Auguſta cum ſuis finibus exhibetur inter Haſtam, & Pollentiam, quæ iſthic malè Opulentia vocatur. Ceſienſes quoque ſive Ceſenſes puto Cebenſes eſſe. Alia quoque loca circa eandem coloniam, & dicta oppida ibi commemorantur, ut Mons Maſuinus, Mons Geminus, Mons Mica, Fl. Iumarus, quem Tanarum exiſtimo: item Fiſalota, vt & Vtiecenſium Secuſterronenſium, & Vtualenſium fines, quæ nomina itidem monſtrosè corrupta non dubito. Cognomen quoque Conſtantiæ coloniam illam habuiſſe ex præcedentibus Hygeni verbis, & Schematibus apparet, idque a vicinis locorum nominibus, Pollentiæ, Valentiæ, Induſtriæ non abhorret.

Lin. 27. *qui apertè indicet, &c.*] Haud temerè aſſentiendum huic opinioni. Ptolemæum in Suetriorum ſitu vero aſſignando erraſſe, non minus quàm Neruſiorum, & Vediantiorum omnino exiſtimo. Salinas autem ex Suetris in Vagiennos transferen-

ferendos haudquaquam concesserim; sed cum Solinas inter Vintium, & Sanitium ponat in Suetris, dubium nullum est, quin Salinæ eædem sint cum civitate Sollinien. sium, quam Notitia provinciarum Galliæ in Alpium maritimarum provincia commemorat. Quem locum ex Suetrorum situ nunc *Seillans* appellari existimo.

Pag. 89. lin. 35. In veteri lapide Brixiensi apud Octav. Rossi pag. 99. P. POSTVMIVS MARIANVS CVRATOR REIPVBLIC. AVGVSTAN. TAVR. &c. unde apparet Augustanos Taurinates, vel Taurinenses dictos fuisse.

Pag. 95. lin. 10. *gentem Alpinam domuit*] Distinctiùs Livij defectum supplent excerpta Dionis pag. 617.

Pag. 110. lin. 56.] Extat huius loci mentio in Actis martyrij Fidelis, Exanti, & Carpophori apud Mombritium Tom. 1. a. d. v. Kal. Novembris. *Tunc ipsi persecutores pervenerunt ad lacum Comensem, & ingredientes naviculam perrexerunt post S. Fidelem, perveniensque ad Vicum Summolacanum invenerunt Sanctum Fidelem, &c.*

Pag. 234. lin. 14. In margine. *Cæstus locus*] Nomen videtur remanere in Monte Cæstino, quod est ab adversa parte Padi.

Linea

Linea 20.] Ita etiam haud dubie vicus *Settimo* olim fuit ad Septimum, quod ex distantia, & nomine apparet.

Pag. 242. lin. 31. *Lodeuè*] *Lodi Vecchio*.

Pag. 250. lin. 22. VII. *circiter millia a Bergamo*] X. aut XI. P. M. etiam nunc Tabulæ Magini exhibent.

Linea 26. *Leuceris quid sibi velit, aut*] intervallum incidit in *Chiarì*.

Pag. 288. lin. 54. *Claterna oppidum monstratur in tenui admodum vestigio*] S. Ambrosius lib. 2. Epist. 8. iam suo tempore in ruinis iacuisse testatur. *De Bononiensi veniens vrbe, a tergo Claternam, ipsam Bononiam, Mutinam, Regium derelinquaebas, in dextra erat Brixellum, a fronte occurrebat Placentia, veterem nobilitatem ipso adhuc nomine sonans: ad læuam Apennini inculta miseratus, & florentissimorum quondam populorum castella considerabas, atque affectu relegebas dolenti. Tot igitur semirutarum vrbium cadavera, terrarumque sub eodem conspectu exposita funera non te admonent, &c.*

Pag. 290. in fine Lapis repertus in castello Sechiano ad Ariminum fluvium apud Seb. Maccium Tom. 2. pag. 27.

C. CORNELIVS FAVOR. BALINEVM.
VICANORVM.
TITIENSIVM. FOROCORNELIENSIVM.
VETVSTATE.
CONLAPSVM. PECVNIA. SVA.
RESTITVIT.
AGENTE. CVRAM. L. EGNATIO.
FELICISSIMO.

Locus ille ubi lapis repertus eſt olim Vici dicebatur, ut ex antiquis documentis teſtatur Maccius. Sed hæc referenda inferius ad pag. 622.

Pag. 294. lin. 43.] forte *ſelva Romanesca* paulo ſupra fontes Scultenæ in jugo Apennini inter Cerſinianum, & Mutinam.

Pag. 301. lin. 32. *Faventiam.*] Forumlivij: Nam Animo Fl. non autem Bedeſis Faventiam alluit. ἁμάρτημα μνημονικὸν.

Pag. 308. lin. 28. *ætate eius nullam hic pervetuſtam fuiſſe vrbem.*] Immo civitas epiſcopalis eo tempore fuit. Vnde S. Gregorius Magnus lib. 4. Epiſt. 20. Ravennatem Eccleſiam Epiſcopo deſtitutam Severo Ficulino Epiſcopo commendat, cuius & ſequenti epiſtola 21. meminit, ſed in ms. Vaticano 620. Ficulino diſertim legitur.

Pag. 342. lin. 44. in margine.] *Vallis Pennina.*

Pag.

Pag.262. lin.17. ἐκ τῆς] ἐκλὸς legendum, ut ipse cæterique auctores semper

Lin. 24. *Inalpinos*] Transalpinos &c.

Pag. 363. lin.51. Θεὸς ἢ μηχανῆς] Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς.

Pag. 366. lin.13. *Ex descriptione Pennin. Vallis*] Non video cur sola Pennina valli intelligi debeat in hoc Polybij loco: cum Rhodanus fere totus inter montium angustias labatur, & manifestissimum est Polybium non de solis Penninis Alpibus, sed de uniuerso illarum tractu loqui, qui inter planiciem circumpadanam, & Rhodani Alveum continuo intercedit, inde ab interni maris ora usque ad fontes dicti amnis, & inde porro usque ad recessum maris Hadriatici porrigitur.

Pag.367. lin.7. in margine.] *Insula Allobrogum*.

Linea 18. Σκόρας.] Error natus ex maiusculis literis confusis CKOPAC pro ΟΙCΑΡΑC. ita millies peccatum apud Scylacem, & alios.

Lin. 33. *iugum claudit*] vulgò *Ayguebelette*.

Lin. 42. ῥαπλεῦσαι. *potius*] vel ῥεμβοῦσης.

Pag. 368. lin. 2.] Ergo hic locus iam extra Allobrogum fines. Sed puto Polybium

bium Allobrogum nomine cœteras omnes minores Gallorum gentes complecti, quas Livius aliique posteriores in hac historia suis nominibus distinxerunt.

Linea 9. *ab Isaræ confluente*] Immanis hic circuitus, si Rhodani ambages secutus fuerit Hannibal, quod non solum à vero, sed ab omni verisimilitudine abhorret.

Pag. 370. lin. 29. τοῖς ἄνδρασι] τῷ ἄνδρε.

Pag. 371. lin. 11. *quæ causa fuerit Livio*] Livius & Strabo aliter Polybij mentem acceperunt.

Lin. 47. In hisce Tricastinorum, & Vocontiorum sedibus constituendis Cluverius mirum in modum hallucinatur, dum Ptolemæum non satis expensum sequitur, qui suo more omnia turbat. Tricastini ad lævam Rhodani ripam inter Segalaunos, & Cauares; quorum civitas nunc Fanum D. Pauli, vulgò *S. Paul en Trecasteaux*. Neomagus autem *Nyons* oppidum paulo supra Vasionem. Segalaunis, & Tricastinis ab ortu prætenduntur Vocontij, in quibus Dia, & Vasion, & Lucus Augusti. Supra Vocontios ad ortum Meneni, vel Mimeni, ubi nunc vulgò *Mens en Treues*. Et his vicini Tricorij, in quibus nunc *Corps & Les Digneres*. Vnde apparet Livium Han-

nibali idem ferme iter per Cottias Alpes tribuere, quod Itineraria pag. seq. Valentia Ebrodunum describunt, vel potius quod nunc vulgò, Gratianopoli per Caturigas & Ebrodunum ad Alpes ducit.

Notandum quoque Cauarum nomen tanquam generale cæteras minores gentes vicinas absorpsisse, Tricastinos, inquam & Segalaunos. Ita Plinius Valentiam Cavarum agro tribuit. Eodem modo Vocontiorum nomen Menenos & Caturigas complectitur apud Strabonem, qui Vocontiorum fines Ebrodunum usque extendit.

Pag. 372. lin. 34. *Vilargonis*] In his duobus situs abhorret, cætera certa sunt.

Pag. 373. lin. 3. *Næ ille longos, &c.*] Livius reprehenditur, puto tamen commodius intelligi, & excusari posse, præsertim si gentium sedes, per quas H. transivit, recte constituamus: ita enim rectum, & ordinarium iter Hannibalem Valentia ad Alpes Cottias tenuisse videbimus: quod haud dubiè Gallorum crebris migrationibus tunc omnium tutissimum erat. Tum verò constat Hannibalem consulto consilio longius adverso Rhodano a mari in Medi-

Mediterranea profectum, non viarum compendia, sed tutum transitum quæsiviſſe. Et profectò Livianus ille transitus multò brevior rectiorque est Polybiano, si rectè vtrumque conferas. Quinimo Livium eam ob causam Polybij auctoritatem fidemque deseruisse existimo, ne per tam ineptos, & minime necessarios errores Hannibalem contra omnium fidem circumducere videretur.

Pag. 374. lin. 9 *cum Polybio fatetur Livius.*] Hoc manifestè vult Livius cum ad Confluentes Rhodani, & Isaræ sive Valentiam veniſſet, inde flexiſſe iter ad Caturigas, & Ebrodunum vallemque Druentiæ.

Lin. 12. *Taurinorum fines*] quasi iter per angustas valles semper ad eandem ripam duceret, & non vna eademque hora sæpiùs rapidiſſimi fluvij transeundi essent.

Lin. 22. *supra Ebrodunum*] Hoc falsum; nam aliquot miliaribus sub Ebroduno via illa in Druentiæ vallem incidit, ubi L. ut minimum miliarium cursu, & aliquot iam fluminum incremento auctior largiorque iam amnis fluit.

Lin. 39. *erat apud Ebrodunum*] Quinimò inter Vocontios, & Ebrodutios Caturiges intercedebant. Et supra hos Meneni, & Tricorij erant, per quorum regionem tran-

fiit, neque Tricaſtinos ad læuam reliquit; ſed ab Iſaræ confluentibus ad læuam in Tricaſtinos flexit. Campeſtre iter pro plano & æquabili accipi poſſe videtur; quale paſſim etiam in arctiſſimis vallibus. Et confirmat hanc noſtram ſententiam etiam Itinerarium Hieroſolymitanum, quod poſt Eburodunum Alpium Cottiarum principium ponit. Quod ait illum reducere Hannibalem ad loca mari propinqua, idſi totum iter Valentia Eburodunum, & inde Brigantionem, & ad ſummum iugum Cottiarum Alpium rectè conſideres, omnino fruſtra dicitur. Nam totum hoc iter Tabulæ, & Itineraria accuratè nobis deſcribunt.

Pag. 375. lin, 1. *per montanos Allobroges, &c.*] Hæc in Polybio nequaquam ita diſertis verbis leguntur.

Pag. 376. lin. 45. *Cottiarum ſimulque*] Graiarum, & [*Pennimarum, &c.*

Pag. 377. lin. 1. *In fineis Vocontiorum*] Ab Ocelo ad Vocontiorum fines paulo vltra Vapinum ſunt c. mil. p. Hinc apparet Cæſarem iter illud tenuiſſe, quod Antoninus deſcribit pag. 81.

Lin. 47. Cum Cottiæ Alpes iam inde à principio Gallis, & Livio, ac Strabone teſtibus ipſi Hannibali patuerint, puto

Pom-

Pompeium, vel compendium aliquod facilius, vel ad radices brevius & expeditius iter Hiſpaniam verſus aperuiſſe. Nam ubi Eburodunum & Vapinum uſque deſcendens, inde porro duplex eſt via, quarum altera Valentiam per Vocontios ducit, altera per Seguſteronem, & Aptam Iuliam Arelate. Priori illa Hannibalem ad Cottias Alpes profectum Livius teſtatur. Alteram fortè imperviam ante Pompeius vel aperuit, vel munivit. Atque hæc, vt Appianus ait, media eſt inter Hannibalis & Herculis viam ex Italia verſus Hiſpaniam proficiſcentibus commodiſſima & expeditiſſima. Hinc quoque explicandus Varronis locus infra pag. 383.

Pag. 378. lin. 22. *per quæ citò ac tutò*] Si citò; mirum cur per tot ambages: ſi tutò, cur per tranſitum omnium arctiſſimum traduxerint, qualis eſt per Penninas Alpes, cum alterum per Cottias compendiarium breviſſimum, proximum, & omnium celeberrimum eſſet, ut ipſe pag. 376. Cæſaris aliorumque teſtimonio probat.

Pag. 379. lin. 22. *pleraque Alpium ad Italiam, &c.*] Præcipitem hanc viam in Cottiarum Alpium deſcenſu eleganter etiam deſcribit, vel depingit verius Ammianus Marcell. lib. 15. locus eſt ſup. pag. 338.

Pag.381. *Ea est quæ statim, &c.*] Strabo non statim ad principium divertigij supra Augustam, sed in ipso summo Alpium iugo viam hanc iumentis inaccessam ait: Livius autem, & Polybius difficultatem transitus Hannibalici non in ipso iugo summo, sed in descensu ponunt.

Lin. 50. *σύντομος*] Itineraria antiqua nullum iter ex Italia Lugdunum per Penninas Alpes describunt, sed tantum per Heluetios in Germaniam Argentoratum, & Mogunciacum: neque video cur brevius illud iter vocet Strabo, cum revera longius sit; ut non solum ex regionum situ, sed etiam ex antiquis novisque Itinerariis patet. Antoninus Mediolano Viennam per Graias Alpes ponit m.p.CCCVIII. quibus si addas XXIII. quibus Vienna distat Lugduno, fiunt CCCXXXI. Idem Antoninus per Penninas Mediolano Ternadas vulgò *S. Mauricio* m.p.CXC. recentiora autem Itineraria hinc Genevam, & indè porro Lugdunum XL. leucas ponunt, si pro singulis leucis 4. ut minimum miliaria antiqua ponas, erunt m.p. CLX. eruntque in universum CCCL. & verissimum est antiquitus nullum isthac iter Romanis fuisse.

Pag.382.lin.54. *Strabo lib.*IIII.] Iter illud,

lud, cuius intervalla Strabo describit, est plane diversum ab Hannibalico. Neque enim Hannibal statim a Tarrascone recta versus Alpes contendit, sed adverso flumine usque ad Allobrogum insulam ascendit, unde post ad læuam deflectens per Tricastinos & Vocontiorum oram Cottias Alpes adiit. Sunt autem à Luco Vocontiorum, unde primus Alpium ascensus incipit Segusionem usque, mil. p. CLVII. ut videre est apud Antoninum pag. 81. qui numerus exactissime convenit cum Polybij supputatione. Cæterum nec Strabonis mentem recte percepit, vel expressit. Nam Strabo citeriores & vlteriores Vocontiorum fines accuratè distinguit; inter quos XCIX. m. p. intercedere scribit, quod spatium Cluverius plane omittit, ut transitum Cottiarum Alpium eò magis contrahat, & a Polybij supputatione differre ostendat. Hunc Strabonis locum declaravi ad Itinerarium Antonini. pag. 498.

Pag. 383. lin. 1.] Itinerarium Hierosolymitanum Arelate Valentiam ponit m. p. 114. quibus si addas 70. Valentia Lugdunum, fiunt m. p. 184.

Lin. 5. *Tot vero millia a Tarascone*] Tarascone Lugdunum hoc tempore sunt leucæ 48. quæ sunt m. p. 190. si in singulas

leucas quatuor mil. ſupputes. Nam hoc modo miliaria Romana antiqua leucis hodiernis reſpondent, ut videre eſt ex LXX. m.p. quæ Antoninus Valentia Lugdunum ponit, ubi hodie ſunt XVIII. leucæ. Hinc apparet hanc Cluverij ſupputationem longe verum numerum exſuperare. Polybij autem intervallum in Viennam circiter incidere, ſi directum iter, ut nunc ſe habet, ſequaris. Multo autem inferius incideret, ſcilicet paulo ſupra Rhodani & Iſaræ confluentes, ſi iuxta ipſam fluvij ripam omnes eius gyros, & mæandros ſequendo incederes.

Lin. 32. *Per montem Ciniſium*] puto hoc iter a Longobardis apertum. Nam Romanis incognitum fuiſſe ſatis ſuperque probatur altiſſimo illo Scriptorum omnium, Itinerariorum, & Tabularum ſilentio. Cluverius nihil præter meram opinionem affert, & levem coniecturam.

Pag. 385. lin. 54. Ἐπὶ Ῥαιτίαν, &c.] Exiſtimo apud Zoſimum fuiſſe ὅτι Ῥαιτίαν δὲ ὁδὸν, &c. Nam eo tempore duæ erant Rhætiæ prima, & ſecunda; vt ex Notitia provinciarum conſtat. Itaque hic alterum iter per Rhætos intelligendum ſcilicet, quod Cluvennam ducit.

In II. Librvm Italiæ Antiqvæ Eivsdem Clvverii Annotationes.

Dvodecim principes Civitates Hetruriæ. Cluver. pag. 453.

Clusium	Volaterra	Volsinij
Perusia	Vetulonium	Cære
Cortona	Rosellæ	Falerij
Arretium	Tarquinij	Veij.

Pag. 453. lin. 2. *vocatur Lerici*] Falsissimum.

Lin. 24. *Rectè equidem Mela*] Imò malè. Nam ille vrbem portumque confundit, quorum hunc recte Liguriæ, illam Etruriæ tribuas intercedente Fl. Macra.

Lin. 29. *error inde ortus est Plinio*] Imò rectè illi Melæ sententiam seu errorem reliquerunt.

Pag. 455. lin. 49. *Lunam ab Etrusca posuere Macræ ripa*] Et quidem rectissimè: nam isthic ingentes visuntur ruinæ civitatis Lunensis à Normannis deletæ. Et circumvicinus ager vulgò *Il Lunegiano* dicitur. Si Cluverius coram locum inspexisset, nunquam incidisset in hunc errorem.

Pag. 456. lin. 3. *aut errorem ipsius auctoris*] Ideo Strabonis fides suspecta tibi esse debebat, quam in huius loci descriptione alijs tam facile præferres.

Lin. 5. *Omnes igitur, &c.*] Nimis temere sententiam suam pronunciat, non inspe-

ſpecto loco. Nam ſi coram vidiſſet maxima veſtigia veteris Lunæ nequaquam Melæ & Strabonis ineptam opinionem Plinio & Ptolemæo, omnibuſque recentioribus prætuliſſet.

Lin. 17. *Inſpexiſſe hæc loca Blondum iurarem*] Nec dubitandum quin inſpexerit. Nauci eſt, quod de Macra obiicit. Neque enim Lunenſe promontorium tam longe procurrit, quin rectè dici poſſit Macram in oſtium portus, vel ſaltem iuxta oſtium, quod latiſſimum eſt, effluere. Et poſt Promontorium ad Macræ oſtium terra iterum ſic recedit, ut hac quaſi appendice Lunenſis ſinus augeatur.

Lin. 33. *maximè id, quod*] ingredientibus ad lævam eſt. [*ab occaſu, &c.*]

Linea 35. *Tunc quos a niveis, &c.*] Ex hoc quoque loco apparet Lunam fuiſſe lapicidinis vicinam. Nam Carrara veteris Lunæ veſtigijs de propinquo imminet.

Lin. 46. *Lunæ promontorium, &c. longiùs procurrit*] Et nunc vulgò *Capo Corvo* dicitur.

Lin. 49. *Macram male recenſentis*] Imò optime & veriſſime.

Lin. 54. *Lerice, & Lerici adpellatur*] Falſiſſimum hoc.

Pag. 457. Itinerarium Marit. Antonini a Piſis Lunæ Fl. Macra m. p. m. xxx. Hinc

quo-

quoque apparet Antoninum Lunam ad Macram ponere: nam hoc modo loquendi Itinerarium illud ubique utitur; sit paulo ante a portu Pisano Pisis fluvius millia plus minus VIII.

Pag. eadem lin. 1. Tabulæ Peutingerianæ optimè conveniunt cum Tabulis recentioribus.

Lin. 12. *Livij auctoritate confirmatur*] Nihil planè hic locus convincit. Nam vetus Luna nihilominus, quam nunc Lericæ finui imminebat, quamvis non deproximo. Et multæ nunc sunt potentissimæ civitates in Belgio, & Germania, quæ vno aut altero miliario distant a portu.

Lin. 22. *Navigiorum nullibi est capax*] Fuit olim in ipso ostio portus satis capax, vt ex vestigiis nunc manifestè perspicitur, nam adhuc columnæ cum annulis supersunt, ex quibus naves olim religabantur, sed postea destructa civitate, portus quoque ille neglectus, & limo oppletus fuit.

Lin. 36. *Ericem oppidum, &c.*] Contrarium manifeste apparet: nam quicquid ab Hetrusca Macræ ripa est, Imperator Ecclesiæ dedit: & recto itinere atque ordine a Luna per Serzanum termini ducuntur. Secus inter Lericem, & Serzanum, quorum locorum alter est in Liguria, alter

in

in Hetruria, & Macra interlabente ſeparantur. Sed maximum argumentum contra Cluverium hoc eſt, quod via Romana antiqua a frigido amne, ſeu Taberna Frigida, ut olim vocabatur, recta per Lunam ducit: inde ſub Serzano per Manam ad Boacten Fl. longe ſupra Lericem.

Pag. 460. lin. 47. *Lerice, &c.*] Falſum hoc. Nam etiam nunc via Aurelia ſive Romana, ut incolæ vocant, his locis ſupereſt, quæ recta a Frigida ad Lunæ veſtigia ducit, inde altiùs ſupra Lericem tendit.

Pag. 461. lin. 8. *Viareggio, &c.*] Nominis antiqui veſtigia adhuc ſuperſunt: nam vicini amnes vulgò vocantur *Foſſa dell' Abbate*, & *Foſſa de la magione*.

Pag. 465. lin. 42. Sed poſtea alios colonos accepit a Iulio Cæſare, vel ab Auguſto Imperatore. Nam in veteri Inſcriptione reperta Piſis prope Eccleſiam cathedralem vocantur. COLONI IVLIENSES COLONIÆ OBSEQVENTIS IVLIÆ PISANÆ.

Pag. 467. lin. 16. *Capanone*] Fuit paulo ſuperius, ubi nunc *S. Pierro in grado*, h. e. D. Petri ad gradus: nam is locus licet nunc duobus m. p. à mari diſtet; olim tamen proximus fuit. Terra autem indies ex Arnial-

ni alluvione crescit, adeo ut mihi præter-naviganti Nautæ Ilvenses affirmarint proxime superioribus annis ab hominum memoria alia ferme duo milia passuum accrevisse, quod etiam in Vmbionis, & Tiberis ostiis quotidie fieri videmus, & ipsum nomen S. Petri ad gradus testatur ibidem portum fuisse, ut alterum *Capannove* ostendit locum recentiorem esse, prolatis eo sensim tuguriis, piscatorum scilicet, & nautarum.

Pag. 468. lin. 22. *Torre di Saracone.*] Medio ferme loco inter Liburnum portum, & Vada est Fl. qui nunc vulgò *La fina* dicitur, fortè a vicina mansione sic dictus: nisi quis potiùs ipsum fluvium fines Pisanorum a vicinis Volaterranis olim disterminasse existimet, vt flumini etiam mansioni idem fuerit nomen, ut prope Lunam Frigida Taberna, & fluvius.

Pag. 470. lin. 12. *Tarquinienses lintea in vela*] Sic tempore Pij V. Tuscanella, & vicina loca Pontificiæ classi vela suppeditarunt.

Lin. 44. *Est & specula*] Inepta versio. Ignorat modum capiendi Thunnos, quos Piscatores non ex specula, vel promontoriis, sed ex cymba observant catervatim retia intrantes. Ideoque piscatio Thun-

norum

norum Θυννοσκοπεῖον Græcis dicitur. Vertendum *ſub Promontorio eſt piſcatio Thunnorum*. Similis error infra pag. 478.

Pag. 471. lin. 23. *a Pelaſgis condita fuit*.] Excidium eius ad annum Chriſti 809. narrat Eginhardus in Annalibus Caroli M. Tunc enim eam diripuerunt Græci, qui vocabantur Ὀρφοβιῶται,

Linea 29. *Nunc illic poſitas*] leg. Non illic poſitas,

Pag. 472, lin. 1.] S. Greg. M. lib. 1. epiſt. 8. Eccleſiæ Populonenſis viſitationem Balbino Roſellano Epiſcopo commendat.

Pag. 478. lin. 29. *ſpecula ad captandos thynnos*] Vide ſupra pag. 470.

Pag. 479. lin. 18. *Sinus iſte, &c.*] Mirum ſanè, ſi ſinum adeò vaſtum intellexerit. Deſignat ſinum in quo Herculis portus: Huic enim collis de proximo imminet, in quo olim Coſa civitas ſita fuit, cuius veſtigia maxima apparent, eſtque locus hic diverſus a Lanſedonia a qua m. p. diſtat.

Pag. 480. lin. 15. *& in Coſano*] Livius lib. 24. *In Iovis vicilini templo, quod in Coſſano agro eſt, arma concrepuiſſe*.

Lin. 47. Videtur eadem Colonia reſtaurata ab Auguſto, quod Iuliæ cognomen teſtatur pleriſque omnibus Hetruſcis colo-

niis

nijs commune. Nam Nervæ Imperat. nummum affert Triſtanus, ubi circa caput Iovis Hammonis legitur: Col. ivl. cossa, eumque nummum cuſum puto in memoriam beneficij a Nerva poſtea accepti. Idem quoque Triſtanus ibidem alium nummum Græcum affert, in quo KOΣΩN legitur ſub conſule, ut videtur, duobus lictoribus ſtipato, quem & Goltzius ante exhibuit in magna Græcia.

Pag. 481. lin. 6. *Inter portus Coſſanum, &c.*] Qui Coſæ ſitum novit, non dubitaverit, quin Herculis portum intelligat.

Lin. 13. *A portu Herculis*. Surita ex vetuſtiſſimo codice edidit.

A portu Herculis in Cetarias Domitianas poſit. m. p. iii.

A Domitianis Almina fluvius habet poſit. m. p. viiii.

Sed iuſtiſſima intervallorum ratio, & veſtigia Cetariarum Domitianarum, quæ etiam nunc extant, manifeſtè oſtendunt Portum in Cetaria, vel potius ad Cetaria diverſum fuiſſe ab ipſis Cetariis. Nam a Portu Herculis ad portum S. Stephani xiiii. mil. nautica Græcorum ponit. Creſcentius tantum x. inde iii. ſunt miliaria ad emiſſorium lacus Orbitellenſis, cui oſtio imminent veſtigia & rudera maxi-

ma.

ma horti, & Cetariarum familiæ Domitianæ, & præcipue piſcinæ ex vivo lapide inciſæ, haud procul à turri, ſeu ſpecula maritima, quæ ad oſtium dicti Stagni viſitur. Cœterum ipſum illud Stagnum Cetariorum, vel Cetariarum nomine intelligendum exiſtimo, quod ſane piſcibus ſervandis alendiſque aptiſſimum eſt, & ob oſtij anguſtias claudi & aperiri commodiſſime potuit. Itaque locum Itinerarij ſic conſtituendum exiſtimo.

A portu Herculis in Cetaria portus XIIII.

Ad Cetaria Domitiana poſit. III.

A Domitianis Almiana Fl. &c.

Neque enim refert Cetarias, an Cetaria legamus, cum vtrumque apud veteres auctores reperiatur, & Plinius quidem ſæpiùs feminino, Horatius neutro genere dixit.

Pag. 582. lin. 2. *Cincelle*] Sunt loca plane diverſa. Diſtat enim *Cincelle a Civitavetchia* 7. p. m. & amplius: Sed Cluverius non obſervavit Centumcellas a Saracenis deſtructas, poſtea à Leone III. in colle iſto conditas, ubi nunc totæ in ruinis iacent. Deſertum autem fuit novum hoc oppidum civibus ad veterem civitatem reverſis. Atque inde haud dubie Centum-

cel-

cellenſi portui Civitatis veteris nomen inditum. Rem totam accuratè narrat Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Leonis III. Sed paulò antequam a Saracenis deſtrueretur meminit Hadrianus I. Pontifex Civitatis Centumcellenſis cum portu epiſt. 65. Codic. Carol. pag. 230.

Lin. 28. *Macram amnem, &c. Supra oſtenſum eſt*] Sed falsò.

Pag. 483. lin. 5. Διακοσίοις] legendum ξιακοσίοις.

Lin. 7. CCCLXXX.] Sunt m.p. 47. cum dimidio, atque ita Tabula itineraria exacte 47. m.p. ponit, ut & Antonini Itinerarium, quamvis in locorum ſingulorum nominibus, poſitu, & intervallis multum differant. Hodie 40. tantum m.p. ſupputant.

Lin. 36. *Algæ, &c. Centumcellas*] In eodem Itinerario maritimo poſt Algas commemoratur RAPINIVM. poſit. III. M.P. ab Algis. Vnde apparet locum illum fuiſſe circa oſtia Minionis flu. inde VI M.P. ponit ad Graviſcas. Non temere aſſentior Cluverio, qui ex Minione corruptum exiſtimat.

Lin. 37. *Minionem*] Iſthic totum littus Alga oppletum ſemper conſpicitur, & locus vulgo *Valle* d'ALIGA dicitur.

Lin. 50. *Stadia ſunt* CCC.] m.p. 37.

Lin. 51. *paulo minus* CLXXX.] M.P. 20. [à

Pyrgis ad Oſtiam CCLX.] M.P.32.

Pag.484.lin.44.*ut intempeſtas intelligas*] Sic Diomedes lib.1.pag.407.Item apud Virgilium. *Intempeſtæque Graviſcæ*, non nullius, ſed malæ tempeſtatis, ac per hoc inſalubres peſtilenteſque.

Pag.485.lin.19. *Armenia,&c. legendum intelligo*] Ego vocem Armenita non temere mutaverim, accedit enim propius ad hodiernum nomen Olpitæ, quod inde deductum. Profluit autem Olpita ex Stationenſi lacu,& paulo infra civitatem Caſtri cum Flore confluit.

Lin.33. *inde migrauerit*] Vulgò nunc *le Murelle*.

Lin.50. *Locus ille, &c.*] Huius loci veſtigia ſuperſunt circa viam Aureliam in planicie ſub colle, in quo Coſæ veſtigia comparent paulo ultra Lanſedoniæ rudera.

Pag.486. In fine. De hiſce aquis Scribonium Largum intelligendum exiſtimant viri docti cap.CXLVI. ubi ait: *Ad tumorem & dolorem Veſicæ & exulcerationem bene facit aqua in qua ferrum candens dimiſſum eſt. Hoc ego traxi ab aquis calidis, quæ ſunt in Tuſcia ferratæ & mirifice remediant veſicæ vitia. Appellantur itaque Veſicariæ, quondam Milonis Gracchi prætoris hominis*] *optimi ad quinquageſimum*

mum lapidem reddentis. Sed Scribonius nequaquam loquitur de L. milibus paſſuum, ſed de numero calculorum quos Milo ille reddidit. Deinde ferratam aquam vocabant fontes acidulos ferri qualitate inrectos, quales nunc reddunt ad diverſorium Plagiæ, via Sublacenſi. Vnde locus ille in antiquis Sublacenſis Monaſterij donationibus ad Ferratam ſemper appellatur.

Pag. 487. lin. 37. XXXVIII.] XXXIIII. ut in Itinerario terreſtri ſic Strabo 260. ſtadia, quę exactiſſime totidem milliaria conficiunt.

Linea 39. *Centumcellis* VIII.] leg. IIII.

Pag. 488. lin. 24. In margine *Caſtrum novum*] *S. Martinella*.

Lin. 55.] Apud Pomponium Melam in editis & ms. legitur: Pyrgi, Anio, Caſtrum novum, Graviſcæ. Vnde Cluverius Minio facit. Videndum tamen utrùm fortè hic locus Rutilium iuvare poſſit.

Pag. 493. lin. 36. *Stilianas*] Fallitur omnino & Cærotanas aquas male confundit cum Apollinaribus. Nam has Stilianas nunc vocari certiſſimum eſt. Illæ autem ſunt *Bagni del Saſſo*, quæ 3. dumtaxat m.p. a Cæretano oppido diſtant. Circumqua-

que conſpiciuntur magna veterum ædificiorum veſtigia. Aquæ autem Cæretanæ duabus emanant fontibus D. p. circiter invicem diſſitis. Alterum ſuperius in colle *Balneum vetus*: inferius in planicie *Balneum novum* vulgo vocatur.

Lin.44. *Cereias*] Hic legendum Careias, qui locus nunc *Galera in via Clodia*: nam inde etiam nunc ad aquas Stilianas, vel Stygianas ſunt XIX. mil.

Lin.49. *Inter Aureliam Claudiamque*] Hanc puto eſſe Aureliam novam. pergitur autem via Clodia vſque ad Novas 2. m. p. citra Bracianum; Vnde Clodia ad S. Marcianum, & ſic porrò Bleram ducit. Nova autem hæc Aurelia ad Thermas Stygianas, Tarquinios, & poſtea Coſam, ubi in Aureliam veterem incidit. Sed diverſa ſunt Itinera Tabulę & Itinerarij: nam hoc maximam partem per Claudiam ducit; alterum ex Aurelia veteri divertit, & in eandem iterum incidit. Vnde alterum hoc Tabulæ iter potius Aureliam novam intellexerim.

Pag.494.lin.20.*ex lacu cognomini profluens*] Hoc falſum. Neque enim ullus fluvius ex eo lacu profluit præter Aronem. Vacina autem oritur duobus ramis, altero in agro Mantianæ, altero in agro Braccianenſi ſub

S. Vi-

S. Vito, tribus circiter m. p. ſupra oppidum Bracianum haud procul à via, quæ a Braciano ad aquas Stilianas ducit.

Pag.496.lin.13.*cum exiguo portu*] Sub ipſo Caſtello portus eſt antiquiſſimi operis, cuius moles & fundamentum integra ſub mari extant ſtructuræ prorſus admirandæ; cætera quæ ſupra mare extabant, omnino collapſa ſunt, & fluctuum verberatione conſumpta; ita tamen, ut facile reſtitui poſſent, portuſque totus ab arena repurgari, & uſui publico reſtitui, cum etiam nunc profundus ſit ſatis. Oſtium unum habet, quod duo brachia à continenti producta efficiunt, & totus portus figuram habet quodammodo triangularem.

Pag.497.lin.18.*Farneſianæ gentis*] Vrſinæ gentis Caſtellum ſeu Fortalitium.

Pag.502.lin.19.*diſcrimine portum*] Portus ſive Naumachiæ, & alia inſignia antiquitatum veſtigia in ea Inſula ſupereſſe retulit mihi Eques S.Stephani aliquot annis Inſulæ Præfectus, oppidique veteris veſtigia conſpici in colle haud procul ſupra dictum portum, in parte ſeptentrionali, quæ Coſam & portum Herculis ſpectat. Sunt inſignes in ea Inſula lapicidinæ marmoris

variegati, ubi columnas Panthæi exciſas affirmant.

Lin.25.*Iginium*] ms.Igilium.

Pag. 503. lin. vlt. *Calculos coloris varij*] Huiuſmodi calculos quaſi guttatos ipſe cum admiratione in portu huius inſulę ſpectavi, & iuxtà Salinas, quæ ſunt à tergo Caſtelli majoris.

Pag.505.lin.13. *Monte Chriſto*] Sed iam olim nomen mutavit. Nam extat D.Greg. M.epiſt.49.lib.1.Monachis in Chriſti monte inſula conſtitutis.

Lin. 42.] Atque ita quoque S. Gregor. M.lib.1.Epiſt.50.Gorgonem & Gorgoniam vocat, ubi de Monachorum reformatione agit, qui eam inſulam celebrant. Et lib.4. Epiſt.5.Gorgonam,ut & Epiſt.16.

Pag. 506. *Harponæ*] Eſt haud dubie eadem inſula,quæ Carbania Pomponio Melæ, quam ego *Cerboli* nunc dici exiſtimo haud procul ab Ilvæ promontorio, quod Populoniam ſeu Plumbinum reſpicit.

Pag.507.lin.38.*Piſtoris*] in veteri inſcritione, ubi multa habentur nomina militum neſcio quarum cohortium cum ſuis ſibi patriis legitur C. VIBIVS. VERVS. PISTORIS.

Linea vltima. *Inſcriptioni, &c. Hadriani Imperat. tempore compoſitæ*] Et alteri produ-

ctæ

ctæ a Paulo Minio lib. de nobilitate Vrbis Florentiæ, quæ nunc in Salviatorum ædibus extat.

Q. GARGENNIVS
L. F. SCA.
CELER
FLORENTIA. MIL.
COH. XI. PRAET.
VIX. ANN. XXXV.
MILIT. ANN. VI.

Pag. 508. lin. ultima. *Florentia Tuscorum.*] Et sic apud Optatum Milevit. lib. 1. Felix a Florentia Tuscorum Episcopus commemoratur.

Pag. 511. lin. 12. *Iter a Florentia faciat ille*] Loquitur Procopius de itinere diurno exercitus cum suis impedimentis, non unius hominis expediti.

Pag. 514. lin. 1. Vestigia antiqua huius Coloniæ adeo clara supersunt, ut nomen quoque priscum servent.

Lin. 22. Apud Gregor. VII. lib. 3. Epistol. habetur controversia inter Episcopos Populonienſis & Rosellanæ Ecclesiæ.

Lin. 53. *Sutrina.*] Idemque probant fistulæ plumbeæ hic repertæ, quibus aqua ad civitatem aut thermas perducebatur hac inscriptione, PVB. COL. RVS. E. S. P. R. FVD.

Pag. 515. lin. 10. Maxima eius extant vestigia ad dextram ripam Floræ prope pontem Abbatiæ, ex quibus civitatem insignem olim fuisse apparet, & ager circumvicinus *il piano de Volci* adhuc vulgo dicitur. Huius civitatis nomen apud S. Gregor. Mag. dialog. lib. 3. cap. 17. pessime corruptum est, ubi Quadragesimus Buxentinæ Ecclesiæ subdiaconus, pro Bulcentinæ sive Vulcentinæ malè legitur. Hanc enim civitatem in provincia Aureliæ ponit inter montem Argentarium & urbem Romam. Buxentum autem Lucaniæ civitas maritima fuit, vulgò nunc Poljcastrum dicta. Ex eo autem S. Gregorij loco rectè colligimus Vulcentinam Civitatem tunc fuisse Episcopalem. Vestigia autem illa apparent medio ferme loco inter Montem Acutum, & Montem Altum.

Pag. 516. lin. 43. *Valentano*] Fuisse olim civitatem Episcopalem apparet ex subscript. Act. 4. Sextæ Synodi, ubi post Suanensem, & Vulsinien sem subscripsit Custoditus Episcopus Sanctę Ecclesię Castrovalentani, ut habet vetus versio latina. In Græco est τῦ Βαλεντινανᾶς ἐγυ.

Lin. 51. *Corruptum legitur Tuscana*] Ioannes Tuscanensis Episcopus interfuit Concilio Pontigonensi in Galliis. Vide

Tom.

Tom. 1. Concil. Gallic. pag. 434. fuit an. Chr. 876.

Pag. 517. lin. 20. *nunc dicitur Farneſe*] Non tranſit hac via Claudia antiqua, ſed per ipſa Materni, aut ut nunc vocant, Maderni, vel Muderni opidi veſtigia, quæ maxima etiam nunc extant, haud longe à Sinigaglia Floræ ripa paucis infra Caſtrum milliaribus. Madernum vero idem eſſe cum Suderno Ptol. & Tuderno Plin. Leander quoque iam olim rectè indicavit.

Lin. 33. *Anicianis lapidicinis*] Puto ſic dicta ab Anicia familia. Et Boethius adhuc ſuo tempore prædia ſibi & villas fuiſſe teſtatur in montibus Aureliæ.

Pag. 518. lin. 8. *neſcio unde dictæ*] Haud dubie ab Anicia familia, vt pag. præced.

Lin. 9. *Iuſtino*] Inſcriptionibus Itinerariiſque, &c.

Lin. 17. *Tarquinis eſt*] Sic lapis antiquus, qui Corneti in hoſpitali publico extat.

SEX. PETRONI
VS. P. F. VIXIT
ANN. LXXXX.
IIII. VIR.
TARQVINIS.

Lin. 47. *hodie Tarquene*] *La Tarquinia* vocant Curatores Xenodochij S. Spiritus in Vrbe, ad quos ille locus nunc pertinet.

Atque

Atque ita Cornetani cæterique accolæ omnes, quamvis vulgus Rusticorum *la Turchina* dicant.

Pag 520.lin.42.*a Telepho,&c.*] A Telephi filio Tarchone. Græca enim ambigua sunt,ideoque etiam sine mutatione sensum verum efficiunt.

Pag.521.lin.10.*Axiam:*] Forte Orchia castellum, quod tamen in antiquis donationibus Monasterij Farfensis Orclanum dicebatur. Sed hoc castellum Longobardicam structuram præfert, cum verò Castellum vocet Axiam, locum munitum fuisse ostendit,unde aliquis coniecerit fuisse castellum illud, cuius vestigia in summo monte Romano visuntur.

Lin.35. *Ad Sextum*] VI.

Lin.38. *Aquis Apollinaris* XIX.] Scilicet VIIII.ad Novas,inde X.ad aquas. [*Sabate ....*] lege IV.

Lin.49. *Lorij dicta est*] Hinc etiam Laurense patrimonium Lampridio in vita Commodi in ipso fine, ubi nescio quis Livius Laurensis procurator patrimonij commemoratur.

Pag.522.lin.7.*pro Loriis.*] Sed verum nomen fuisse Lorium maxime confirmat locus M.Antonini Philosophi lib. I. ἡ ἀπὸ Λωρίου πολὴ, ἀναγεσα ἀπὸ τῆς κάτω επαύλεως.

quem

quem locum sic vertit Xilander: *Comitatus ei e prædio, qui eum ab inferiori casa deduceret*. Vnde apparet eum χωρίον legisse non λωρίον, ut postrema editio gallica habet, & prima Xilandri; Sed hanc lectionem non temere damnaverim, cum eo loco mox Lanuvium & Tusculum nominet loca seu prædia suburbana. Tum verò si hæc lectio admittatur, duplicem eius villæ cortem inde perspicimus, alteram inferiorem in valle, alteram superiorem in colle. Vtriusque nunc vestigia apparent paulo ultra diversorium Botacchiæ, & cis Castellum Guidonis dirutum. Illud enim Lorium antiquum fuisse credo: Nam locus olim etiam Episcopum suum habuit, ut videre est in subscriptionibus Synodi Romanæ Felicis 3. in Cod. Canonum, ubi Petrus Lorensis legitur inter alios.

Lin. 15. *Aureliam conspicitur*] Ad Corneliam, quod & Acta Martyrij S. Rufinæ testantur.

Lin. 29. *Testa di lepra conspicitur*] Hæc loca non sunt in via Aurelia veteri.

Lin. 44. *fuisse deletum*] Neque recte dici potest inter Vejos, hoc est *Isola* & Cære situm esse Braccianum. Ego Cornazzanum, vel montem S. Mariæ fuisse existimem, vel etiam Civitellam prope Cornazzanum.

Pag. 523. lin. 9. *In Conciliorum libro*] Nam Actione 4. sextæ Synodi subscripsit Amator Episcopus Ecclesiæ Bleranæ.

Lin. 33. *nam neque Ciminius emittit &c.*] Non vidit emissoria utriusque lacus, quamvis recentioris sint operis.

Pag. 524. lin. 4. SVBATE] SABATE. & lin. 16. *postquam uel terræ motu &c.*] fabulæ.

Lin. 21. *In Septentrione lacus parte id situm fuit. Qua iter erat*] Falsum: nam via Clodia a Taustrale latus Sabatini lacus ducebat, uti etiam hodie, & visuntur paulo supra Braccianum ingentes reliquiæ. Itaque Sabate omnino fuit eo loco, ubi nunc Ecclesia S. Marciani. Nam isthic plurima visuntur monumenta antiquitatis, & prope fluit Flora amnis, unde olim Sabatina aqua concipiebatur, ut ex vestigijs maximis veterum aquæductuum apparet.

Lin. 40. *Oppidum Careiæ deprehenditur*] Ignorat ductum Claudiæ viæ, quæ à VI. ducit ad Stortam, & deinde deflectit Braccianum versus. Transit autem Fl. Aronem paulo supra Galeram, & VIIII. omnino sunt mil. P. ad Galeram, quod opidulum olim Careias fuisse certissimum est, neque quidquam mutandum in Frontino, cuius numeri optimè se habent. Nam à Careijs sive Galera ad Lacum Marnianum, vulgo

lago

lago di Martigniano exactè sunt VI. mil. IO. pas. Nam is Alseatinus est, non autem *Stracciacappa*, & uno circiter miliari citra diversorium Galeræ aquæductus ad Clodiam viam accedunt. Emissorium aquæductus adhuc extat; sed aqua quæ effluit exonerat se in Cremeram iuxta diversorium Insulæ seu Veientanum. Alter ille lacus *Stracciacappa* in antiquis donationibus vocatur Papirius lacus.

Lin. 45. *omnino scripserat &c.*] Nil mutandum.

Linea 52. *Il Borghetto*] Fuit omnino hic locus paulo ultra *Torre spaccata* seu speculam dirutam, & sepulchrum Neronis, ut vulgo vocant, $2\frac{1}{2}$ paulo amplius milliaribus ultra pontem Molvium versus diversorium *la Storta* dictum. Et sic rectè viri docti, qui sepulchrum illud P. Vibij Mariani ediderunt ad III. lapidem in via Cassia ponunt, quamvis male Cassiam pro Clodia nominent hac parte, cum Cassia paulo post ex Clodia divertat. Ovidius expresse id testatur versibus sequenti pag. citatis. Sed si ductum utriusque viæ spectes, & divertigium, quod adhuc hodie manifeste perspicitur, fatendum omnino est Claudiam deduci ex Cassia, non contra. In Martyrologio Rom. 21. Septembris

Ro-

Romæ via Claudia XX. *ab vrbe milliario passio S. Alexandri Episcopi* . XX. lapis fuit haud procul à diversorio publico, quod vulgo *Crocicchia* dicitur, ubi circa veterem Claudiæ aggerem magna ædificiorum rudera apparent. Eo loci vicum & thermas fuisse ex actis Martyrij eiusdem Alexandri apparet. Vide Ferrarium in Catal. SS. Italiæ .

Linea 56. *adsignari nequit* .] Error errorem trahit. Fuit hic locus 2. m. p. cis Bracianum, ubi visuntur rudera & vestigia antiquitatum, & inde ramus viæ dextrorsum ad ipsum lacum ducit; mox via Claudia in duos ramos dividitur ad Casatellam. Loci istius nomen adhuc superfuit tempore Caroli Magni, quem Romam adventantem eo loco a Romanis exceptum scribit Anastasius Bibliotech. in vita Hadriani I. Papæ. *Direxit in eius occursum universos Iudices ad ferè* XXX. *millia ab hac Romana Vrbe, in locum, qui vocatur Novas &c.* nec alium in alia via locum fuisse appareret ex eo quod paulo ante Carolum per Tusciæ partes Romam properasse scribit.

Pag. 525. lin. 2. *forum Clodij*] fuit primis Ecclesiæ temporibus civitas Episcopalis. Vnde apud Optatum Afrum lib. 1. Donatia-

tianus a Foro Claudij recenſetur inter Epiſcopos Italos, qui cum Miltiade Papa iudices ſederunt in cauſa Donati.

Lin. 12. *Novem pagi*] Novem illos pagos fuiſſe exiſtimo circa ſuperiorem partem Minionis, ubi nunc *Viano, Iſchia, Montjrano, Baſſano*.

Lin. 15. *Scriptum fuiſſe iudico*] Hæc veriſſima conjectura, quam tabula probat: Nam Roma Careias ſunt m.p xv. inde ix. ad Novas. Inde porro xvi Bleram, tranſeundo Sabaten & Forum Clodij, quæ tabula coniuncta fuiſſe docet. Nam a Novis Sabaten iii. plus minus ſunt m.p. Inde ii. ſunt milliaria Oriolum ſive Forum Claudij. Vnde porrò Bleram ſunt m.p. ix. vel x. quæ in univerſum xvi. m.p. conſtituunt, quæ tabula inter Novas & Bleram ponit, & Cluverius fruſtra mutare conatur, non perſpecto vero ſenſu Tabulæ. Vnde certiſſimo liquet Forum Claudij plane eodem loco fuiſſe, ubi nunc eſt *Oriolo*: Nam inde ex Claudia duo rami producuntur, quorum unus recta tendit ad vicum Materni, ſive *alle Cappanaccie*, alter Baſſanum & Sutrium, ipſa autem Claudia ſiniſtrorſum Bledam tendit, quæ via nunc deſuetudine neglecta & fermè extincta eſt, cum novum iter per Vianum ducat ad Bledam

anti-

antiquis incognitum.

Pag. 526. lin. 11. *Prope urbem fuisse hanc Villam*] Fuit hæc villa, non in ipsa via, sed duobus pas. millibus extra viam publicam iuxta Sabatinum lacum, cuius adhuc ingentia visuntur vestigia, vocaturque locus vulgo *Vicarello*, aquarum calidarum scaturigine celebris. Nec male coniiciunt, qui vicum Aurelium dictum fuisse existimant, & supereſt adhuc via antiqua integerrima silicibus strata, quæ ex Clodia eo ducit sub Ecclesia S. Marciani, ubi Sabata veterum fuisse existimo. Tum aquæductus Romani a capite Floræ amnis eo pertingebant. Inscriptio antiqua Apollini, Silvano, Asclepio, Nymphis sacra hic reperta extat apud P. Appianum pag. 177. & Grute. rum pag. XXXVI. 6.

Lin. 19. *Ad Rubras*] *Grotta rossa & Prima porta*.

Lin. 20. *Ad vicesimum* III.] leg. XII. [*Ad vices.* XI.] *Castel nuovo*.

Lin. 22.... Ocricolo....

Lin. 23.... Narnia VII. [*Narniæ* XII.] Scrib. VII. ut in Tab. sunt a. Cannæ Romanæ Ocricolo Narniam 4261. quæ faciunt m.p. VI. cum dimidio.

Lin. 30. *Fidenas veteres &c.*] Rectè Martialis coniungit duo illa loca sibi invicem oppo-

oppoſita, uterque enim prærupto colle in Tiberim prominet, ſimili vterque figura, niſi quod Rubræ minores, ideòque breues cognominat.

Lin. 55. *Grotta Roſſa.*] Aurelius Victor in Conſtantino M. *Sed Maxentius atrocior indies tandem Vrbe in Saxa Rubra millia ferme novem ægerrime progreſſus.*

Pag. 527. lin. 1. *Quæ milliaria*] Cluverius milliaria antiquorum ex hodierno uſu computat. Nam veteres nondum concluſo intra Vrbis ambitum Campo Martio III. paſſuum mil. ſtatuebant ab Vrbe ad pontem. Inde VI. ſunt m. Cryptam rubram, ut infra notavi.

Lin. 49. *circa locum, &c.*] Fuit omnino hæc villa ſita in prominente colle paulo citra Primam Portam, ubi nunc maximæ extant veſtigia regiæ domus, neque ullus eſt locus commodior, vel amænior toto hoc tractu. Nam Tiberi de proximo imminet, & liberrimum habet proſpectum in amœniſſimam & ſpacioſam vallem Tiberis, & in univerſam Regionem Sabinorum; Tum Fidenę ex adverſa Tiberis ripa imminente, & quod potiſſimum eſt, intervallum & hodiernum nomen huic loco omnino conveniunt: nam veteres III. m. p. com. putant ab Vrbe ad pontem Molvium. inde

etiamnum IV. vel V. ſunt iuſta miliaria ad Cryptam Rubram & Primam Portam, quæ omnino VI. milliaria antiqua conficiũt. Ita exactè numeri quadrant. Tum hoc quoque notandum: Viæ Flaminiæ ductum veterem a ponte uſque ad Primam Portam non fuiſſe omnino eundem cum hodierno, qui ſtatim per acclivem collem aſcendit, & in oppoſitam planiciem deducit. Sed vetus agger Flaminiæ viæ circuibat radices dicti collis, & inde rectiſſima linea per planiciem vallis Tiberinę tendebat ad Rubras, ſive Cryptam Rubram, quod & veſtigia aggeris ipſius & continui ſepulchrorum collapſorum tumuli manifeſtè oſtendunt. Accedit tophi mollities circa eum locum, & exciſa Collium latera veterum lapidicinarum veſtigia.

Lin. 55. *numeri millium, &c. longè abundant*] ut falsò tibi perſuades.

Lin 57. *Falerios Civitatem Caſtellanam dici*] Somnias.

Pag. 528. lin. 13. *adſignatis ei intervallo, &c.*] In optima editione Suritæ habentur XLVII. Ita Hieroſolymitanum XLIV. atque ita in Regio ms. Antonini quoque legi Surita teſtatur. Hoc autem iter diſtinctiùs alio loco refertur apud eundem Antoninum hoc modo: *Ab Vrbe Roſtratam Villam*

m. p.

m. p. XXIIII. *Otricolos civitatem m. p.* XXV. sed rectiùs posteriori hoc loco ms. Reg. Suritæ legit XXI. Ita enim totum intervallum ab Vrbe Ocricolos fit m.p. XLV. atque ita convenit cum Hierosolymitano. Cæterum apparet hinc Rostratam villam medio loco fuisse inter Castellum novum & Arignanum.

Lin. 22. *Milliario ab vrbe Roma*] Optimè sane iudicant de his miliarium numeris *PP. S.* I. nam a Rubris saxis iuxta Primam portam IX. vel X. nunc computantur milliaria usque ad diversorium Castelli novi, ubi veteres XI. supputarunt. Itaque locus ille ad XX. est paulo ultra Castellum novum, ad montem Guardiæ, unde porro octo sunt milliaria Arinianũ. Itaque alter ille locus Aquaviva haud dubie fuit IV. circiter milliaribus ultra Arinianum ad orientale latus montis Soractis, quia olim isthic transiri solebat. Rationes quas Cluverius opponit sunt leviſſimæ, & magnam partem apertiſſimè falsæ.

Lin. 37. *Veios, & Nepe*] At hoc male fieri mox ostendam.

Lin 43. *An &c. Aquaviva citra an ultra Tiberim fuerit*] Existimo fuisse flumen duobus paulo amplius milliariis sub Civitate Castellana, qua olim transibat via Flaminia.

Fuit aliquando civitas Episcopalis, ut appa-ret ex Concilio Romano sub Felice Papa anno Christi 487. cui subscripsit Benignus Aquavivensis Episcopus.

Aquęvivę situm verum tandem perspexi XXXII. lapide ab Vrbe, ut Hierosolymitanũ Itinerarium indicat. Nam ab Ariniano sive à lapide XXVIII. tria sunt m.p. ad diversorium Stabiæ. Inde alij m. passus sunt ad divertigium, ubi recens ductus Flaminiæ ex veteri via deflectit ad Civitatem Castellanam. Ad sinistram divertigij magna extant vestigia & rudera antiquorum ædificiorum, ex quibus scaturit fons uberrimus vulgò *la fontana de Aquaviva*; & proxima Ecclesia B. Virginis, *la Madonna d'Aquaviva* etiam nunc dicitur, hæc antiqua illa civitas Episcopalis fuit, de qua supra.

Lin. 46. *a quo tamen* VII. *millia*] Non puto eo referendum hunc numerum.

Linea 55. Hæc est via Amerina, quæ & ipsa in Cassiam incidit ad quartum lapidem ultra Baccanas, hoc est, eo loco, ubi nunc est diversorium *le sette vene* vulgo dictum. Cœterùm, cum Ciceronis testimonio constet Ameriam Roma abesse LVI. m.p. & tabula exactissimè eum numerum præsentet: nihil omnino in hoc itinere mutandum, vel expungendum apparet, præsertim

cum

cum ipsa via antiqua adhuc integra ferme supersit, quamvis vltra Nepe iam non teratur.

Lin. ult. *Ad sextum.* [VI.] paulo ultra *Torre spaccata.*

Pag. 529.

[*Veios.* VI.] *l'Osteria del fosso.* sive *Isola.*

[...] *Baccanas* [VIIII. *Baccano* 8.
[*Nepe* VIIII.] *Nepi* 8.
[*Faleros* V] *Faleri* 4.

Lin. 19. *Inscriptio antiqua sic habet*] Extat Nepeti in Templo Cathedrali, ubi concham aquæ lustralis sustinet.

Lin. 56. PLEBS NEPESINA] Ita adhuc pons Nepesinus in via Amerina.

Lin. ult. *Hinc Veij*] In Excerptis Appiani pag. 546. Βιέντη vocatur Vejentum civitas, quam vocem homo Græcus ex sono Latini nominis deformavit. Quia sequentibus paginis de Veiorum situ multa notavi ad marginem re nondum satis αὐτοπτικὴ πίστ explorata: id nunc pro certissimo affirmo Civitatem Vejentanam eò fuisse, ubi nunc est Insula Farnesiorum, sed in opposito colle undique prærupto, in quo murorum & substructionum tum quoque ædificiorum vestigia apparent. Pars quoque Vrbis, & forte arx in eo colle

ibidem prærupto fuit, in quo nunc Insulæ Castellum est, quod olim civitati parte junctum fuisse existimo. Præter inscriptiones & Itineraria antiqua, quæ Veios hoc loco fuisse docent, tum præter situm & naturam loci & vestigia clarissima, cuniculus ille, quem Camillus ex ima valle in civitatem duxit, manifestè apparet, via quoque silice strata a VI. lap. in via Cassia deflectens recta eo ducit. Certum igitur est Formellum & Scrofanum non esse Veios, sed Insulam, siue collem Insulæ oppositum. Vidi & aliam viam silice stratam, quæ ab altera vrbis parte reducebat in Cassiam ad Baccanellum.

Pag. 530. lin. 4. *hodieque* XX.] Corrumpit omnino & confundit ductum itineris viæ Amerinæ hac sua emendatione; Nam qui Roma Nepe eunt, etiam hoc tempore via Cassia proficiscuntur 4. ferme m. p. vltra Baccanas vsque ad diuersorium *le Sette vene*. Inde porro 5. m. p. sunt Nepe usque, ita ut vulgo nunc 24. milliaria computent, videlicet XVI. Baccanas usque, & inde VIII. Nepe. Et Tabulę optimè convenit cum Antonino in numero miliarium XXI. Roma Baccanas usque.

Lin. 7. *fuit igitur Vrbs*] Ego omnino compertum habeo Vejos fuisse in colle præru-

pto,

pto, qui adiacet Farneſiorum Iſolæ, haud procul à divertigio Claudiæ & Caſſiæ viæ. Nam Tabula itineraria omnino eo loco ponit Vejos, ubi nunc eſt diverſorium *la Storta*, vel paulo ſupra. Sed nil certius-eſt, quam Veios fuiſſe in colle undique præ-rupto prope Inſulam vicum Farneſiorum; nam & ſitus, & intervalla Dionyſij, & Tabulæ in eam conveniunt, & veſtigia clariſſima magnæ vrbis apparent. Extat etiam in Eccleſia Inſulæ lapis antiquus, in quo ORDO VEIENTANORVM legitur. Via quoque antiqua ex Clodia ad VI. ſive Torrem Spaccatam divertens, recta Veios tendebat, cuius veſtigia clariſſima ſuperſunt, & ad Baccanellum iterum in Clodiam redibat.

Lin. 26. *Quippe a Borghetto, &c.*] Falſum.

Lin. 54. *Centum circiter ſtadia diſtans*]. Territorij Veientani aliquoties meminit Anaſtaſius Bibliothecar. In vita S. Sylveſtri, ait Conſtantinum donaſſe *Eccleſiæ Oſtienſi fundum Surorum via Claudia territorio Vegentano*. Et in vita S. Innocentij *poſſeſſionem Amandani territorio Vegetano*.

Pag. 535. lin. 25. *Campus erat, &c.*] Hæc optime conveniunt in continuum illum tra-

tractum collium, ad quem Formellum situm est, cui silva editissimam collium partem vestiens imminet.

Pag. 536. lin. 53. *fuisse id circa viam, &c.*] Atqui via quæ ad Insulam ducebat, sive Veios ei proximè coniunctos, declinabat ex Clodia ad VI. sive ad Turrem Spaccatam: iterumque in eam redit ad Baccanellum diversorium, nunc vulgo deflectitur ex Clodia ad diversorium Stortæ, ubi inter Confluentes Varcæ & rivuli, qui ponte transitur ante diversorium Insulæ, ut vocant, situm est prædium Farnesiorum Insula vulgo dictum, in colle natura munito. Quamvis regressus ille Vejentum a Cremeræ Castello ad Saxa Rubra non male congruat in monte *Tieueri*, cui collis ille sub quo Saxa Rubra fuere a tergo imminet.

Lin. 55. *ab opido Formello desluit*] Vbi nunc *Monte Tieueri*.

Pag. 537. lin. 10. *Apud Baccanum, &c.*] Fuit hud dubie propius mare & ostia Tiberis circa *Maccarese*.

Pag. 538. lin. 2. *Hi Soractis, &c.*] Exactè describit situm oppidi ad radices montis in edito tumulo positi, cui vulgo idem cum monte nomen.

Pag. 540. lin. 50. *Postremo etiam antiqua*

vrbs

vrbs] Ex hoc loco perſpicue apparet Faleros olim eo fuiſſe ſitu, ubi nunc civitas Caſtellana, poſtea 1½ mil. ab eo loco in planicie novam civitatem conditam, ubi etiam hoc tempore ruinæ & veſtigia maxima viſuntur, quæ Falari adhuc nomen retinet. Et forte deſtructa veteri civitate remanſit ibidem Templum Iunonis Faliſcæ cum luco, quod Ovidij locus pag. ſeq. comprobare videtur. Quo deſtructis poſtea Faleris illis novis, incolas iterum ſe recepiſſe crediderim, tanquam ad validiſſimum munimentum ſive Caſtellum, atque inde civitatis Caſtellanæ nomen loco indidiſſe. Certe civitas Epiſcopalis fuit adhuc circa annum Chriſti DCC. Vnde in Act. 4. Sextæ Synodi legitur ſubſcriptio Ioannis Epiſcopi Φαλάρεως ἐπαρχίας Τυσκίας ubi vetus verſio peſſimè legit Salernitanæ, vel ut alij Codices paulo rectius Falernitanæ pro Faleria, vel etiam Faleritana. In Synodo Romana ſub Agathone de Cauſa Britannica anno 680. fuit Ioannes Falaritanus. Vide Tom. 1. Concil. Britan. pag. 158.

Pag. 544.] Ad Faleros pertinet lapis antiquus: VIAM. AVGVSTAM. A. PORTA. CIMINA. VSQVE. AD. ANNIAM. ET. VIAM. SACRAM. A. CALCIDICO. AD. LVCUM. IVNONIS.

NONIS. CVRITIS. VETVSTATE. CONSVMPTAM. A. NOVO. RESTITVERVNT. &c. DVO. PVBLII. NIGRINI. MARTIALIS. PATER. ET. DEXTER. FILIVS. &c. Item ille. C. OPPIO. &c. CVR. VIAR. CLODIÆ. FLAMINIÆ. CASSIÆ. CIMINÆ. TRIVM. TRAIANARVM. ET. AMERINÆ. Extat & alius lapis apud Gruterum pag. CCCIIX. 1. qui IVNONIS QVIRITIS meminit.

Lin.26. *vrbe Falari paſſio, &c.*] Ita nunc vulgo pronunciant.

Lin. 31. *Stant parva mœnia*] Ideo Strabo ſuo tempore non oppidum, ſed πολίχνιον ſive oppidulum vocabat.

Lin 44. ὅπη τῇ Φλαμινίᾳ] Sane neque Civitas Caſtellana in ipſo veteri ductu viæ Flaminiæ ſita eſt, ſed imminet eidem ex edito colle ad 2.m.p.circiter, plane eodem modo, quo oppidum *Galeſe*. Itaque hoc argumentum ex nimis religioſa Strabonis interpretatione petitum haud magni momenti eſt.

Lin. 55. *Nunc vocantur Falari*] Veriſſimum.

Pag.545.lin.2. *fuiſſe eodem ſitu quo nunc.*] Mirum ſanè non advertiſſe Cluverium ductum veterem viæ Flaminiæ patrum noſtrorum memoria a Sixto V. & Clemente VIII. Pontificibus fuiſſe mutatum. Nam

totus

totus ille tractus ab Arignano ad Civitatem Caſtellanam, & inde Borghettum, & ad Pontem Felicem recens eſt, neque vllum habet veſtigium antiquitatis. Vetus autem via Flaminia ab Ariniano deflectit ſiniſtrorſum ad vetus oppidum Aquævivæ per collem editum, inde viam recentem ſecans Treiam tranſibat duobus m. p. ſub Civitate Caſtellana atque oppido *Galeſe* uſque ad Pontem Auguſti Tiberim.

Lin. 4. *Tabulæ Itinerariæ*] Quinimo tabula itineraria maxime oſtendit Faleros eodem fuiſſe ſitu, ubi nunc viſuntur reliquiæ. Nam via antiqua ſilicibus ſtrata recte Nepi Faleros ducit, & per mediam Civitatem tranſit, quod ipſe meis vidi oculis. Sed ea Amerina eſt via, non Flaminia.

Lin. 24. *qui complures, &c.*] Mihi nullum videre licuit, licet diligentiſſime perquiſierim. Vix enim duos antiquos lapides ſepulchrales mihi oſtendere potuerunt in tota civitate. Puto in hac rupe, ubi nunc civitas Caſtellana eſt, olim ipſam civitatem Faliſcorum fuiſſe, poſtea deſtructa urbe remanſiſſe ibidem Templum & lucum Iunonis Faliſcæ.

Lin. 40. *Soracte monte*] S. Gregorius M. lib. 1. epiſt. 23. meminit Monaſterij S. Eraſmi,

mi, quod in latere montis Soractis situm est.

Lin. 49. *ad Soracten*] Huiusmodi locus est paulo ultra Sabate, ubi lethalis Spiritus exalatio aves & alia animalia occidit. Locus autem est inter Braccianum & Aquas Apollinares sive Stiglianas: Putoque Lucretium eo alluisse lib. 6. ubi de locis avernis agit.

Is locus est Cumas apud Hetruscos & montes.
Oppleti calidis ubi fumant fontibus aucti:

prope enim sunt aquæ Apollinares & Cæretanæ.

Lin. 55. *Via Campania*] Nam illa via per agrum Faliscum transit, nisi potius Capena legendum sit.

Pag. 546. lin. 1. *fons, &c. esse dudum desijt*] Ita naturam inconstantiæ accusas? Fons ille non avibus tantum, sed etiam animantibus halitu noxius adhuc extat. in eo Soractis latere, quod Tiberim Fl. spectat. ita mihi retulere Sacerdotes fide dignissimi ex proximo vico Arinianensi.

Lin. 52. *in Flaminia collocatus*] Flaminiam vocat quidquid circa viam Flaminiam agri est.

Pag. 547. lin. ult. *Capena &c. Saractique monti fuit conterm.*] Hoc verissimum: nam uno circiter milliario sub opido *S. Oreste* in planicie magna visuntur vestigia Feroniæ.

niæ. In fragmentis Frontini de coloniis, Leucoferonia veluti oppidum, aut municipium recenſetur, cui & ager proprius tribuitur. Sed de Capena dubito, num oppidum unum fuerit: nam veteres inſcriptiones circa Morlupum repertæ Capenates fœderatos ſemper nominant, ita ut plura oppida unam gentem conſtituiſſe credam.

Inſcriptio vetus Cod. MS. Vatic.

M. SILIO. EPAPHRODITO. PATRONO.
SEVIRVM. AVG.
MAGISTRO. IVVENVM. ITERVM. IVVENES.
LVCOFERO-
NENSES. PATRONO. OB. MERITA.
QVOD. AMPHITHEATRVM
COL. IVL. FELICI. LVCOFER S. P. F.
DEDICAVITQVE, L. D. D. D.

Pag. 548. lin. 9. *Lucoſque Capenos*] Propter lucum Feroniæ, qui erat in agro Capenate. Lucus Capenatis dicebatur Catoni Origin. lib. 1. ut videre eſt apud Priſcian. lib. 4.

Lin. 52. *qui poſt Vaccanas*] Atque hoc oppidum longe poſt Baccanas ad dexteram eſt ab Roma eunti.

Pag. 549. lin. 1. Vnde & municipium fuiſſe, & ea circa loca Capenam oppidum olim ſitum fuiſſe apparet. Quod poſteà ab Ligorio quoque obſeruatum reperi in

eius

eius antiquitatum libro ubi ostendit Capenates fuisse, ubi nunc *Morlupo* est quod omnino verissimum est. Profert eam ad rem 2. Inscriptiones antiquas ibidem extantes, quarum una apud Gruterum pag.189.5. Repertus etiam fuit alius insignis lapis, haud longe a Morlupo anno 1640. in quo Capenates fœderati commemorantur.

Ex Schedis Iulij Roscij in Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Barberini & Gruter.pag.466.5. In Faliscorum monte Soracte in Templo S.Orestis in Tiburtino rudi, littera corrosa.

D. M.
SELICI CLE
MENTIS SEVIR
MVNCIPIO CA
PENAT. ARAM-
POSVERVNT PII.
LIBERTI

Lin.19.*proximi Etruscorum Vejentes*] Quare non potius Capenates, si eo fuerint situ ad ripam Tiberis? nisi fortè ob maiorem potentiam Vejentes memoret, qui & Romanis propiores.

Lin.43. *in Sabinorum fine*] m.p.14.½ vel 15.

Lin.ult.*Crustuminum quem heic intell.*] Sine dubio propinquiorem Romæ intellexit, quod

quod oſtendunt verba, *hic alicubi*.

Pag.550.lin.21. *Veientium, Capenatiumque ac Faliſcorum*] Notandus ordo.

Pag.551.lin.29.*Cæterum Flaminia*] Haud male ſuſpicari videntur, qui *Fiano* interpretantur: Nam Virgilius Flavinia arva arcibus Soractis proxime ſubiungit.

Pag.552.lin.37.De hac inſula natante intelligenda verba Strabonis lib. 13. pag. 614.

Pag. 553. lin. 16. Extant S. Gregorij M. litteræ ad hunc Romanum lib.1. epiſt. 32. quibus Blandum Epiſcopum Hortenſis Eccleſiæ captivum reſtitui petit.

Lin.26. *antiquarum civitatum*] Idem mox in Benedicto III. Hortam vocat,quæ quadrageſimo milliario a Roma diſtat, ut ipſe ibidem ait.

Pag.554.lin.7.*Idem oppidum apud*] S.Gregorium Magn. Epiſt.12.lib.1.& lib.5.epiſt. 27.

Lin.21.*Ad Sextum*...] VI....

Inter lineas 22.& 23. ..... VIIII.

Linea 24. *Matrini*... VII.

Hoc intervallum male omittitur, quod eſt a Veijs circa diverſorium vulgò *la Storta* dictum Baccanas uſque, & ita exactè convenit tabulæ cum Antonino, ubi Baccanarum nomen negligentia, vel imperitia

ritia Scriptoris excidit.

Lin. 32. XVI. *millia*] Mutat numeros, & veterum intervalla; & distantias ex hodierno usu computat, cùm certissimum sit milliaria nunc multò longiora esse, quàm olim fuerint. Veteres XXI. m. p. computasse ab Vrbe Baccanas, apparet etiam ex tabula Itineraria, ubi spatium VIIII. m. p. a Veiis Baccanas usque ponitur, quamvis nomen ipsum vitio Scriptoris sit omissum. Nam à Baccanis Sutrium per *Monterose* etiam nunc XI. milliaria hoc est XII. m. p. antiquorum, tum ex ductu viæ Amerinæ idem probavi supra pag. 528. & 530. Nam isthic a Baccanis Nepe VIIII. ponuntur miliaria, quæ & hodie quadrant.

Pag. 556. lin. 10. In veteri Inscriptione, quæ Sutrij in summo templo & apud Mannucium pag. 52. legitur, COLONIA IVLIA SVTRINA VOCATUR.

Pag. 559. lin. 46. *Eam tabulam falsam &c. ostendam*] Non potes. Nam integræ fidei est.

Lin. 50. *Vicus Matrini &c. hodieque vulgo vocatur Vico*] Falsum hoc. Nam inter Forum Cassij, cuius vestigia extant ad Vetullam & Sutrium, in ipsa via Cassia fuit, ubi nunc diversorium publicum *le*

Capan-

naccie. Et visuntur vestigia aliquot antiquorum ædificiorum. Ex hoc loco divertigium est ex Cassia in Claudiam, & a fide dignissimis accepi ante paucos annos inventas fuisse inscriptiones literis uncialibus, in quibus nomen MATRINIORVM extabat, quas ipse vidi anno 1644. cum illac transirem.

Lin. 55. *Vicus Cimini*] P. Martinus Sassula & L. Matrinius Milvos recensentur inter Pontifices Sutrinæ coloniæ in inscript. apud Aldum manut. ortograph. pag. 52.

Ptolemæi Interpolatores *Vicum Elbij* de suo addidere, quo nomine hunc ipsum vicum ad lacum Ciminum intelligunt, sed illud assumentum Græci Codices ignorant.

Lin. 56. *aliter testatur Tabula itineraria*] quam non intelligis.

Pag. 61 lin. 37. *Sancta Maria de Forcassi*] Hæc verissima est sententia: nam ruinę istic visuntur ad ipsam veterem viam Cassiã.

Lin. 39. *Verum enimvero*] Ignoravit verum ductum viæ Cassiæ, quæ a Baccanis Sutrium tendebat, inde Vetrallam, & deinde ad Aquas passeris, cuius viæ vestigia toto illo tractu passim conspiciuntur. Altera autem via, quæ per montem Rosæ Ronciglionem ducit, atque inde per

Vicum, & per Ciminum montem Viterbum, antiquis videtur incognita fuisse, nisi hanc Ciminam viam fuisse credamus; quamvis veteris viæ nec vola nec vestigium ibi extet. Viterbienses nunc ductum veteris Cassiæ appellant *la Strada vecchia*; item *la Strada della Dogana*. Cimina autem via illa est, quæ ex Cassia ad Sutrium divertit, & per Montem Ciminum sive Foglianum ducens, iterum quatuor aut quinque miliariis post Vicum Matrini in Cassiam redit. Alius quoque ramus ex Cassia ad Vicum Matrini in Ciminum ducit hoc modo.



Pag. 562. lin. 20. *Monte Fiaſcone*] Fallitur: nam duobus m. p. a *Monte Fiaſcone* adhuc veſtigia nomenque ſuperſunt huius oppidi, vulgo *Troſſo* & vicina foſſa *il vado di Troſſo*.

Ideoque nihil apud Plinium mutandum in numero milliarium, qui exactè etiam nunc quadrat.

Lin. 23. *& Erutæ &c.*] Falsum.

Pag. 564. lin. 17. QATTERNO &c.] Inserta est parieti Curiæ civitatis, sed literæ quamvis elegantissimæ fucum ostendunt; nam E. æqualibus cruribus antiqui semper pingunt, at lapis hic suppositicius medio cruре brevissimo format; idemque νεοτερισμὸς in reliquis literis manifestè apparet.

Lin. 37. *aliam repertam esse.*] Hæc quoque Tabula eodem loco conspicitur, sed confectam esse ab Annio litteræ ostendunt, & sculptura duorum illorum capitum omnino recens est, quamvis auctor antiquitatem utramque imitari conatus fuerit.

Lin. 56. *Prædicti quoque edicti*] De huius edicti veritate nihil omnino dubitandum, nam literæ veræ καὶ γνησίως sunt Longobardicæ, & planè tales quales in optimis & antiquissimis Longobardicis Codicibus MSS. visuntur. Et in Viterbiensium Archivio eius edicti memoria extat CCC. annorum ante natum Annium neque illud humi effossum, ut cœtera Annij figmenta, sed turri majoris Ecclesię per aliquot sęcula insertum fuit, atque inde in curiam translatum.

Pag.

Pag. 565. lin. 30. *Inter Claudiam Aureliamque vias*] Iuxta Claudiam ipſam : nam paulo ſupra opidulum viæ veteris veſtigia maxima ſuperſunt, ex qua paulò poſt duo propagantur rami, quorum alter dextrorſum tendit Anguillariam, alter ſiniſtrorſum Cære, & inde ad Aureliam, ut videtur.

Pag. 566. lin. 1. CLVSIVM] Hic eſt verus ductus viæ Caſſiæ Vulſiniis ad Palliam Fl. ſive ad Pontem Iulium, inde Cluſium.

Pag. 568. lin. 54. *Vmbro fl.*] Vmbronem Fl. fruſtrà hic inſerit Cluverius non perſpecta mente Tabulæ itinerariæ, quæ ductui fluminis ſuo more hoc nomen adſcripſit, quod ad itineris ductum hoc loco non pertinet.

Pag. 569. lin. 1.] Senæ nomen nunc vulgò pluralis Senarum nomine efferunt. Id Celſus Cittadinus cœpiſſe ſcribit circa annum Chriſti 1170. cum ſuburbia S. Martini, & Camuliæ pomærio includerentur.

Vulgo Siena dictum] Sed ex hiſtoriarum ſilentio colligi non poteſt Senam ante Iulium aut Auguſtum Cæſarem non fuiſſe, ſedtum primum Coloniam Romanam accepiſſe cum cognomento IVLIAE. Nam

belli ciuilis tempore iam fuisse oppidum, direptumque a Pompeio testatur Appianus lib. 1. Civil.

Lin. 3. *haud dubiè*] Id confirmat cum Pisarum & Arretij vicinarum coloniarum cognomen, cum quibus uno eodemque tempore Senam quoque deductam existimo; tum Seviratus Augustalis ibidem quoque in Augusti honorem institutus, cuius mentio extat in veteri Inscriptione isthic reperta.

Lin. 6. *Et item Tacitus &c.*] Adde Iulium Nipsum de limitibus agrorum.

Lin. 11. *Nomen huius vrbis Senia.*] Senia oppidum erat Dalmatiæ ad mare Adriaticum, & de hac Celsus quoque Cittadinus hunc locum Taciti accipit, in notis quibusdam mss. quas legi Senæ, eaque re largiter in patriam peccat, neque enim Senia colonia P.R. fuit.

Lin. 31. *Vocabulo monte Pulciano*] Cum via Cassia per planitiem ducat iuxta Clanin Fl. ubi nunc quoque vestigia eius passim visuntur, quamvis maxima pars ob Clanis inundationes obtecta sit. Certum est Novas sive Statuas non fuisse, ubi nunc est Mons Politianus, sed in dicta planitie; unde columnam illam miliariam quoque in ipsum oppidum translatam ipsi Politiani

mihi perquirenti, affirmarunt. Statuæ autem illæ Antonini sive Novæ Tabulæ Peutingerianæ, si modò unus idemque locus est, eo loco fuere, vbi via quæ Sena Perusium ducit Cassiam intersecat haud procul eis pontem Valiani, ut sequens ille ad Græcos haud procul *Foiano* iuxta pontem *Granaioli*, qua itidem transit via, quæ Sena Cortonam ducit. Ita quoque tertius ad Ioglandem, qua via Sena Arretium ducens eandem Cassiam intersecat. Nam circa hunc locum veteris Cassiæ vestigia in suis prædiis se deprehendisse mihi testatus est Illustrissimus Thomas Salviatus Arretinus Episcopus.

Lin. 23. *ad Inscriptionem*] Hic lapis Sexto miliari ultra Clusium stetit.

Lin. 51. *Ad Sextum* XVI.] Leg. VI.

Pag. 570. lin. 8. *hodie numerantur* L.] Ex lapide miliario pag. superiori prolato apparet Romanos LXXVIII. m. p. numerasse a Novis Florentiam.

Lin. 9. *Ad Vmbronem usque amnem*] Error est manifestus, quem notavi ad finem pag. 568. Nam via Cassia non transit Vmbronem fluvium.

Linea 22. *inter Vmbronem & fluvium*] Leg. inter Clusium & Florentiam.

Lin. 34. Ἀ'κκλία] Hanc scripturam ego

prætulerim, quia cum Tabula Peutingeriana maximè convenit.

Lin. 39. *Ad fineis*] Hic locus incidit in nobile oppidum S. Ioannis, ubi nunc quoque confinium est Episcopi Arretini & Fesulani.

Lin. 55. *ad* XIIII. *millia*] Vt nunc quidem numerant, sed Tabulæ intervallum incidit potiùs in Figinas oppidum.

Pag. 571. *Ad Græcos &c.*] Hæc loca fuere in ipso ductu viæ Cassiæ, quæ Clusio. Florentiam ducebat, de quibus dixi ad pag. 569.

Lin. 6. XXV. *tantum numerantur millia*] Sed longa. [*Tabula vero eo spacio habet* XXXI.] Sed iusta & Romana.

Lin. 29. *At Plinio*] Assentior iis, qui colonos nomine tantum non re & loco distinctos fuisse existimant. Putoque nomen integrum Coloniæ Arretinæ olim fuisse COLONIA FIDENS IVLIA. ARRETIVM, sicut Pisana OBSEQVENS IVLIA cognominabatur. Leonardus Arretinus Cives sive Colonos in VETERES & NOVOS distinctos fuisse docet ex veteri lapide, qui ibidem ad S. Mariam in gradibus extat, adducto iam olim ab Herm. Barbaro DECVRIONES ARRETINORVM VETERVM.

Pag. 576. lin. 6. *Perusinus Scrib &c. per a &*

sine

ſine eo] Ita Heſychius Ἔννοι, οἱ Περσσινοὶ ἄρχοντες.

Pag. 578. lin. 53. *καθὼ* &c.] Neſcio quomodo hic tranſitus de iugo ſupra Florentiolam accipi poſſit, ut vult Cluverius.

Pag. 580. lin. 13. *Etruſci campi*] *la Valle d'Arno di Sopra*.

Lin. 28. *Superiori amnis parte*] Ea de re dubium nullum eſt, & tranſitus ille & patrum & noſtra memoria celebratus fuit Borbonij & Parmenſis Ducis in eccleſiaſticam ditionem irruptione. Ille autem a Bedeſis Sapiſque fluminum fontibus ſupra Forum Livij per caſtellum S. Sophiæ in oppoſitam Arni vallem & Caſentinam ditionem perducit, ita omnibus notus, ut mirer Cluverium in perſpicua Livij narratione tenebras ſibi aliiſque offundere, atque adeò infeliciter loci ſaniſſimi correctionem, vel corruptionem potiùs tentare.

Lin. 37. *Inter Arretium*] Hoc tamen diſertè narrat Polybius pag. ſeq.

Lin. 41. *Audacter ego pronunciaverim*] Sane nimis audacter quæ non intelligit mutat.

Lin. 51. *apud ſiniſtram Arni*] Claniſque.

Pag. 581. lin. 37. *cæteros in ditionem hoſtium*] Ergo

Ergo non duo tantùm, ſed plures fuere aditus ex Ciſalpina Gallia in Hetruriam & Vmbriam, non tantùm duo, ut malè ex hi. ſce auctorum locis concludit Cluverius pag. ſequenti.

Pag. 582. lin. 10. *Duos tantùm tranſitus*] Hoc manifeſtè repugnat Polybij verbis pag. ſuper., qui plures alios fuiſſe ſcribit.

Lin. 15. *Hinc etiam*] Inepta ratio: nam longè alia res eſt de viis publicis, quæ per loca plana, & commoda ducuntur, alia de anguſtis illis montium clauſtris.

Lin. 20. *Inde tranſibatur*] Sed hæc non iam Aurelia via erat, quæ continuo tractu per littus Liguſtici maris ducebat Lunam & Genuam, atque inde porro Arelate.

Lin. 21. *Eodem tractu traiiciebatur*] Hoc falſum.

Lin. 54. *Iam circa Cluſium*] Hinc quoque apparet Gallos ad Arni Fontes Apenninum traieciſſe, non autem iuxta Feſulas: nam eo mutato itinere ad Romanos opprimendos profecti ſunt, unde poſteà iter iuxta inferi maris oram tenuerunt.

Pag. 583. *ipſi occulta profectione*] Hinc potius apparet duplici via in Etruriam irrupiſſe, pedites quidem ad Fontes Arni breuio-

niori, ſed difficiliori via, equites longiori, ſed commodiori, quæ etiam nunc Florentia Fauentiam ducit.

Lin. 38. *Certum igitur eſt*] Imò incertiſſimum, vel potius falſum.

Pag. 584. *Thraſymenus ſubit*] Vbi nunc oppidulum *Borgetto*.

Lin. 23. τῇ πλησίον ἀυλῶνι ὁμοίᾳ] Il piano di Cortona.

Pag. 585. lin. 9. *qua hodieque celeberrimum eſt &c.*] Iter a meridionali lacus latere ducit iuxta Caſtilionem. Hoc autem Hannibalis ſtratagema in adverſa lacus parte contigit.

Lin. 10. *lacum inter &c.*] Borghettum.

Lin. 14. *Ipſi oppidulo imminet*] Non puto eum rectè percipere Polybij mentem.

Pag. 587. lin. 49. τῷ Γ' σόμβρωνι] ὄμβρων.

Pag. 588. lin. 11. Ὄμβρων] Optimè.

Lin. 44. Περουσίνη λίμνη] Id certum.

Pag. 589. lin. 32. *Cluſini &c.*] Hæc Plinij verba eodem modo intelligenda puto, ut ſimilem de Arretinis veteribus noviſque locum ſupra pag. 571.

Pag. 590. lin. 25. *Illi erraſſe mihi minime videntur*] Imò errarunt.

Lin. 39. *etiam ad mille paſſus*] Vix quinquaginta paſſibus diſtat a fluminis ripa.

Pag.

Pag. 592. lin. 35. *Viterbum fuiſſe voluit*] Et legitur in Curia Viterbienſi Inſcriptio Græca ab Annio reperta, uel potiùs confi-cta, ubi fabula de Iaſio & Dardano Corithi filiis eorumque aduentu in iſta Italiæ loca adeo inſulsè & barbarè refertur, ut Timoni alicui riſum excuteret impudens ſanè hominis commentum.

Lin. 37. *nunc Cornetum.*] Sic in vita S. Guillelmi Aquitanici Coritum pro Corneto legitur. Sed Cornieti mentio extat in edicto Deſiderij Regis, qui oppidum illud à ſe exædificatum vel reſtitutum teſtatur.

* *
*

ITINERARIA ANTIQVA PER HETRV-RIAM EX ITINERARIO ANTONINI.

Iter Fauentia Lucam M. P. C. XX. *sic:*

Fauentia
In Caſtellum m. p. XXV.
Anneianum m. p. XXV.
Florentiam m. p. XX.
Piſtorium m. p. XXV.
Lucam m. p. XXV.

Iter a Luca Romam per Clodiam (Sc. Caſſiam) m. p. CCXXXVIII. *ſic.*

Piſtorium m. p. XXV.
Florentiam m. p. XXV.
Ad Fines ſeu Caſas Cæſarianas m. p. XXV.
Arretium m. p. XXV.
Ad Statuas m. p. XXV.
Cluſium m. p. XII.
Vulſinios m. p. XXX.
Forum Caſſij m. p. XXVIII.
Sutrium. m. p. XI.
Baccanas, m. p. XII.
Romam. m. p. XXI.

Item a Roma Forum Clodij m. p. XXXII.

Via Flaminia.

Ab Vrbe Roſtratam villam m. p. XXIIII.

Ocri-

Ocricolos. civ. m.p.xxv. ms.xxi.
Narniam m. p. xii.
etcæt.

Et alibi.

Roma Ocricolos m. p. xlvii.
Narniam. m. p. xii.
etcæt.

Via Aurelia per Tuſciam.

Lorium m. p. xii.
Ad Turres m. p. x.
Pyrgos m. p. xii.
Caſtrum novum m. p. viii.
Centumcellas m. p. v.
Martam m. p. x.
Forum Aurelij m. p. xiiii.
Coſſam m. p. xxv.
Ad lacum Aprilem m. p. xxii.
Salebronem m. p. xii.
Manliana m. p. viiii.
Populonium m. p. xii.
Vada Volaterrana m. p. xxv.
Ad Herculem m. p. xviii.
Piſas m. p. xii.
Papiriana m. p. xi.
Lunam m. p. xii.
etc.

Aliter

Aliter a Roma Coſſam.

Careias m. p. XV.
Aquas Apollinares m. p. XVIIII.
Tarquinios m. p. XII.
Coſſam m. p. XV.

Item a Roma per portum Centumcellas.
m p. LXVIIII. *ſic:*

In portum m. p. XVIIII.
Fregenas m. p. IX.
Altium m. p. IX.
Ad Turres m. p. IV.
Pyrgos m. p. XII.
Caſtrum novum m. p. VIII.
Centumcellas m. p. VIII. lege V.

Ex Abbate Stadenſi pag. 184.

Orbete XII. Mons Flaſcum. VIII. Viterbium XVI. Sutrium XVI. Caſtellum S. Petri VIII. Roma.

Abbas Vrſpergenſis pag. 303. *Et in vico, quem Caſtrum Sancti Petri nuncupant, permanſit, Radicofino a Frederico Primo extructum.* Ibidem pagina 307.

Ex Itinerario Hieroſolymitano
Via Flaminia.

Rubras, mutatio m. p. IX.

Ad

Ad Viceſimum mutatio m. p. XI.
Aquaviva mutatio m. p. XII.
Vtricolo Civitas m. p. XII.
Narniæ Civitas m. p. XII. &c.

Itinerarium Maritimum oræ Etruſcæ.

A portu Auguſti Pyrgos poſit. mill. paſſ. XXXVIII.
A Pyrgis Panapionem poſit. m. p. III.
Caſtrum novum poſit. m. p. VII.
Centumcellas poſit. m. p. V.
Algas poſitio m. p. III.
Rapinium poſit. m. p. III.
Graviſcas poſit. m. p. VI.
Maltanum poſit. m. p. III.
Quintianum poſit. m. p. III.
Regas poſit. m. p. VI.
Arnine Fl. poſit. m. p. IIII.
Portum Herculis. m. p. XXV.
in Cetarias Domitianas m. p. III.
Almina Fl. poſit. m. p. IX.
Lacus Aprile poſit. m. p. XVIII.
in Alma Fl. poſit. m. p. XVIII.
Scabros portus m. p. VI.
Faleſiam portus. m. p. XVIII.
Populonium portus m. p. XII.
Vada portus m. p. XXX.
Portum Piſanum m. p. XVIII.

Piſas fluvius m. p. VIIII.
Lunam Fl. Macra. m. p. XXX.

Pag. 595. lin. 11. *Marcianus*] Scymnus Chius.

Pag. 601. lin. 27. *Borgo di S. Sepolcro.*] Id falſum eſſe ibidem oſtendi. Nam veſtigia eius villæ maxima extant ſupra Tifernum.

Pag. 602. lin. 30.] Lapis Foroſempronienſis oſtendit portam eius civitatis, quæ Fanum & ſuperi maris oram ſpectat, olim Portam Gallicam appellatam fuiſſe, ſcilicet a vicinis Gallis Senonibus.

In fine pag..] Inſcriptio reperta ad 1. lapidem extra Forum Sempronij, & translata ad aulam Epiſcopalem.

LOCVM. SEPVLTVRÆ. DONAVIT.
G. VALGIVS. FVSCVS. CON-
LEGIO. IVMENTARIORVM
PORTÆ. GALLICÆ.
POSTERISQVE. EORVM. OMNIVM.
ET. VXORIBVS. CONCVBINISQ.

Pag. 603. in fine.] Sozomenus hiſt. Eccl. lib. 9. cap. 7. ait Ariminum diſtare Rauenna ccx. ſtadijs. Idemque affirmat Sozomenum ſecutus Nicephorus lib. 13. cap. 35. Sed rectiùs Tabula Itineraria ponit m. p. XXXVI. quæ ſunt ſtadia CCLXX.

Pag. 604. lin. 4. *Olympiadum ἀνάγρ.*

Scriptor] Est Iosephi Scaligeri collectio.

Pag.605. lin. 13.] Inter Ariminum, & Pisaurum vicus interiacet, vulgò *la Catholica* dictus, quem nomen illud retinuisse censeo, quòd tempore Conciliabuli Ariminensis Catholicæ partis Episcopi suam Ecclesiam, & communionem ab Arrianorum factione separatam habuerint.

Pag.606.lin.36.] In Codice Theodosiano lib.2.tom.9.lex.5.scripta ad Valentinianum Consularem Piceni dicitur allegata Flavia Fenestri, ubi haud dubio legendum: Julia Fanestri, & de hac Colonia intelligendum. Nam ridicula est expositio Gutherij de Off.D.Aug. pag.178., qui Flaviam Fenestri cuiusdam coniugem intelligit sic dictam, ut Liviam Augusti. Alij etiam fuere Fanestres in Vmbria a Fano Martis inter Narniam & Tuder, de quo infra pag. 638. notavi.

Pag.608.lin.39. τὰς διχιλίους] Ex superiori illa supputatione CLXXVIII. m.p. hoc loco legendum foret χιλίους ἡ Πενταχοσίους ita numerus quadraret.

Pag.609.lin.8. *Senogallia.*] Samnites in aliis editionibus ms. meus Frentauilla. Vnde sine dubio legendum Frentani. Illi enim post Picenum ab Aterno Fl. incipiunt, ut mox ipse Cluverius scribit, atque ita non

non opus est transpositione, & supplemento Cluverij contra omnium veterum codicum fidem.

Lin. 26. *Transitur illa*] hic locus interposita distinctione sanissimus est. [*Item quid hoc.*] Nescio quis in hoc scirpo nodus.

Lin. 30. *Hinc illa.*] ms. Et in illa. Vnde lego: Et hinc, vel & inde.

Lin. 34. *Ab eo Frentani*] legendum ex ms. Ab eo Frentani maritima habent. Aterni fluminis ostia, urbes B.

Pag. 611. lin. 55. *Rocca di Fiumesino*] Hoc verissimum. Nam hoc loco via, quæ Æsin ducit, divertit.

Pag. 613. lin. 56. *Vnde Polybio.*] Polyb. Pag. 107. Cluverius versionem potius Casauboni hic secutus videtur, quam ipsum Polybium. Neque enim dubitandum, quin de Camertibus Camerini incolis eo loco loquatur Polybius, eorumque regione, quam Galli & Samnites simul invaserant. Idque confirmat Sentinatium memoria, quæ proximè subijcitur. Quem locum pag. seq. producit Cluverius.

Pag. 614 in fine.] In veteri lapide Æsi. CVRAT. RP. ATTIDIAT. In antiqua inscriptione, quæ Æsi extabat. CVRATOR. REIP. PITVL. & in alia.

CVRATORI. REIP. FVLGINAT. ORDO. PITVL.

Pag. 615. Πεζῇ γὰρ Πεζέσης] Hic locus malè distinctus Narsetis iter dubium incertumque reddit. Nam sensus Procopij hic est; Narsetem relicta ad lævam via Flaminia aliud instituisse iter. Illud verò non aliud fuisse existimo, quam quod nunc etiam Arimino per mediterranea Aqualangiam & Cantianum ducit per Callemo oppidum, atque inde per Luceolos ad Busta Gallorum in summo Apennino pervenit. Omnium verò istorum locorum situ rectè considerato, vix puto dubitandum quin locus pugnæ circa Sugillum aut Fossatum fuerit. Atque inde fortassis *Fossati* nomen remansit. Græci enim eo iam sæculo fossatum vocabant locum castris munitum. Et hoc C. stadiorum intervallum a Tadinis manifestè convincit, sive 7. millia passuum, quæ itineraria inter Tadinas & Heluillum ponunt. Tum stadia illa 84. a loco pugnæ ad Caprarias, quò fugit Totila victus.

Lin. 18. Οὗ Τυσκίαν ἀμείψας] Intelligo Tusciam Suburbicariam, & eam Hetruriæ partem, quæ Vmbriæ vicina est, in qua Perusia, quæ vicinæ Vmbriæ nomen dedit, vt rectè Cluverius postea p. 617.

Lin. 42. in Margine] *Busta Gallorum*.

Pag.

Pag. 617. lin. 2. *Candiani*] Sic & Bernardinus Baldus in defensione Procopij.

Lin. 15. *Tusciam*] Quia Tuscia & Vmbria sub eodem Correctore.

Lin. 21. *Taginæ igitur vicus*] D. Gregor. Mag. parte 2. lib. 7. ep. 87. Ecclesiam Tadinatem destitutam Episcopo suo, Episcopo Eugubino, utpote viciniori commendat. Et seq. epist. 88. Scribit Clero, ordini, & plebi consistenti Tadinas. Existimo omnino eundem locum esse Taginas Procopij & Tadinas Gregorij M. Et cum aliquot vetustissimos mss. Cod. D. Greg. inspexerim, neque illi quidquam varient, fortè apud Procopium vnius literæ error irrepsit. Et hi sine dubio sunt Tadinates Plinij lib. 3. cap. 14. pro quibus ipse nescio quorum exemplarium fide Tardinates substituit. Et inde Tardinum oppidum fingit, quod ipse castellum Todinum esse existimat. Considerandum quoque an non in Hierosolymitano Itinerario pro Ptanias legend. C. Tadinas, nunc *Gualdo*, quamvis Gualdum non sit in ipsis vestigijs Tadinarum, sed in proximo colle situm. Tadinæ autem in planicie sub Gualdo fuerunt intervallo M. circiter passuum. Alluebat autem Tadinas fluviolus *Rasina*, & via Flaminia per eam ducebat, quæ ex vi-

co *Gaisana* rectà eò tendit, & posteà per planiciem sub Fossato pergit Suillum. Abest autem a Gualdo 2. circiter m. pass. vel sane MD. haud procul a veteris Flaminiæ ductu vicus *Capraia*, ubi mortuus est Totila, qui olim ad Capras dictus locus.

Lin.22. *Caprias opido*] vicus etiam hodie *Capraia* dicitur.

Lin.30. C. *Ptanias*] leg. C. Tadinas.

Lin.33. *Ad Calem* VII.] XII.

Lin.37. *Fan fortunæ* XII.] XVI.

Lin.44. *Calem*] Callis, sic ubique legendum hoc nomen existimo, uti in Antonini Itinerario extat, cui etiam recens appellatio *Cagli* adstipulatur. Fuit autem iã olim primis Ecclesiæ temporibus Civitas Episcopalis: nam in actis Concilij Ariminensis apud S. Hilarium commemoratur Græcianus Episcopus a Calle, qui primus aut præcipuus Arrianorum dolos persensit, ijsque se opposuit.

Lin. 49. *Corruptum est in* X.] Male mutat potius in Tabula Peutingeriana VII. mutandum in XII.

Pag.618. lin. 6. *Ad Calem*] Ad Callem legendum, quod etiam nunc oppidum est Episcopale in ipsa via Flaminia.

Lin.25. *Et alias multas*] Idem paulo post in vita Bonifatij V. ubi Eleutherij cædem nar-

narrat, Castrum Luceolis vocat.

Lin.29. *Locum qui ante dictus sit &c.*] Non video cur unus idemque locus ponendus. Nam illud ad Ensem, diversorium indicare videtur, cum Luceoli Castri nomine appelletur.

Lin.47. *Saltara.*] Hic vicus longius extra viam Flaminiam iacet. Octavus lapis incidit exacte in locum S. Antonij dictum, & in diversorium *della Cerqua* sive Quercus. Sed rectiùs in S. Antonium quadrat, ubi divertigium ex Flaminia deflectit.

Pag. 620. lin. 7. *in dextera Senæ*] Suasa vtramque fluminis ripam occupat, quæ pontibus 2. coniungebantur sub *Mirabello* & *Castellione*. Eius situm, figuram, vestigia, & antiquitates egregiè descripsit Vincentius Maria Cimarellus lib. 2. Hist. Sen. cap.5.

Linea 12. *hæc referunt verba.*] CONLEG. CENTONAR. SVASANORVM.

Lin. 27. SVASEORVM.] SVASANOR. Seb. Maccius ms.

Lin.28.*ubi nunc opidum &c.*] Hoc falsum: nam maxima eius vestigia visuntur ad ripam Misæ fl. sub monte novo, ubi ingens quotidie rerum antiquarum eruitur copia. Vide historiam Gallorum Senonum Vincentij Mariæ Cimarelli lib.2. cap.4.

Lin. 52. *Caſtel Durante*] Supra Caſtellum Durantis antiqui opidi inſignia extant veſtigia, quod neſcio quo auctore Aleriam appellatum tradunt, niſi forte famæ incerta traditione permoveantur, cum nulla eius apud antiquos mentio extet. Ego Cluverio facilè acceſſerim, ut Vrbinum Metaurenſe hoc loco fuiſſe credam. De antiquitatibus & ruinis eius oppidi vide Vincentium Mariam Cimarellum hiſtoria Gallorum Senonum lib. 2. cap. 2.

Sed ex vetuſto lapide, qui Durante in villa montis S. Petri Metaurenſis apud Maccios extat, & a Sebaſtiano Maccio lib. 1. de portu Piſaurenſi cap. 15. exhibetur, manifeſte apparet hoc loco olim municipium fuiſſe CASTRVM RIPENSE dictum. Eum enim poſuerunt MVNICIP. CAST. RIP. POSSESORES ET INCOLAE.

Pag. 621. lin. 55. *Auctor Tabulæ.*] Tabula illa multis alijs locis confuſa eſt, non vitio auctoris, ſed pictoris ſive ſcriptoris, qui ut fit, aut imperitia, aut oſcitantia aberrant ſæpius ab exemplarium fide, & quæ vno loco poni debebant, alio poſuit.

Pag. 622. lin. 5. *ubi nunc conſpicitur, &c.*] Macerata opidum haud dubiè crevit ex macerijs & parietinis Petini; non tamen eodem plane loco ſita eſt. Nam Petini veſti-

ſtigia in Perſenæ montis levi faſtigio conſpiciuntur, ex cuius ruinis Macerata ad vicini montis radices ædificata fuit. Vide Vincentij Mariæ Cimarelli hiſt. Gallor. Senon. lib.2. cap.1.

Lin. 13. VIRVNO] VIRONO Aldus edidit.

Lin.14.] Seſtinum celebre fuiſſe municipium teſtantur aliquot præclaræ inſcriptiones, quæ in Seb. Maccij tomo 2. pag. 222. extant.

Inter lin.48.& 49.] Inter montem Feretrum & Sarſinam ad ſiniſtram Arimini amnis ripam Caſtellum eſt Sicchianum; inde haud procul in loco vici olim dicto repertus eſt lapis antiquus,unde olim Viciũ Titienſem iſthic fuiſſe apparet, vt ex Seb. Maccij Tom.2. Inſcriptionum antiquarum didici, quas mihi legendas dedit Alexander VII. Pontifex doctiſſimus. Lapis ita habet.

C. CORNELIVS. FAVOR. BALINEVM. VICANORVM. TITIENSIVM. FOROCORNELIENSIVM. VETVSTATE. CONLAPSVM. PECVNIA. SVA. RESTITVIT. AGENTE CVRAM. L. EGNATIO FELICISSIMO.

Pag.624. lin.15.] Ex veteri lapide appareret etiam plurali numero TIFERINA TIBERINA. dictum fuiſſe.Lapis quem dixi in oppidulo Montone, quod VII. vel VIII.m.p. Ti-

Tiferno distat, parieti prope portam inser. tus legitur.

D. M.

C. IVLIO C.F. CLV. PROCVLO TIFERNIS TIBERI. NIS. MIL. COH. VII. PR. 7. NEPOTIS V. A. XXXVI. MIL.A. XVI. TESTAMENTO FIERI IVSSIT. CVRAVIT. FIERI, C. IVLIVS. BARBARVS. LIB. PATRONO BE. NEMERENTI.

Lin.26. *mille passus.*] Vix centum.

Lin. 50. IGVVINI.] Cornel. Sisenna hist. lib. 4. apud Nonium v. *apisci*. *Itaque postero die legatos Iguvium redeuntes apiscitur*. Idem v. *proïcere*. *Tum postquam apud Iguvinos ac Perusinos eius facti mentionem proiecit*.

Pag. 626. lin. 31.] Rectiùs omnino ad Ptolemæi mentem ab alijs Tuficum oppidum ponitur trans Apenninum ad lævam Cæsani amnis ripam, paululum sub Pergula opidulo, ubi nunc castellum S. Viti: eo enim loco ingentes antiquæ civitatis ruinæ conspiciuntur, & omnino eò referendum apparet ex Frontino de colonijs, ubi inter Civitates Vmbriæ Piceno vicinas ponitur. Nam ager eius eadem lege continebatur, qua & ager Atteiatis. Vnde perspicitur non procul ab Attegio abfuisse, quod magis eo quem dixi loco convenit.

nit. Sed verum Tufici ſitum poſtea mihi indicavit v. cl. Franciſcus Stellutius. Extant enim veſtigia eius clariſſima inter Matelicam & Fabrianum prope Attidium 2. m.p. circiter intervallo, ubi & lapides aliquot veteres effoſſi Tufici nomen præferunt.

Pag.627. lin. 36. *Cœnobium*] Adhuc oppidum eſt, fuitque olim civitas Epiſcopalis, ut apparet ex actis martyrij S. Chryſopolyti Vettonienſis Epiſcopi.

Pag.628. lin.1. *barbaris ex ſcriptoribus*] Ità nunc vulgo *Spello* & forte ſic antiqui etiã, qui Spaniam pro Hiſpania dicebant, Sauriani, pro Iſauriani, Spalenſis pro Hiſpalenſis & alia.

Lin.40.] Sic etiam apud Hygenum de limitib. pag.172. *colonia Iulia Hiſpellum*.

Lin.42. CLX. *Stadijs*] m.p.21.

In ſubſcriptionibus act.4. ſextæ Syndo Florus Epiſcopus φολγίνης ſive Eccleſiæ Fulginatis, ut habet vetus verſio.

Lin.50. *. PATRONO] delend.

Præfecturã & municipium vocavit Cicero in orat. pro L. Vareno, teſte Priſciano. Sic in veteri Inſcriptione Municipes & incolæ. Et in alijs mentio decurionum. Vide Fabij Pontani libellum de antiquitatibus Fulginiæ.

Pag.

Pag.629. lin.19. *Olympiadum*] Auctor eſt Ios. Scaliger, qui ex Phlegonte hauſit.

Lin.47. *Idem & Prop. &c. lib.* v.] Id fruſtra negant vicini Hiſpellates alijque ineptiſſimis ſane argumentis ducti.

Pag. 630. lin. 24. *Hinc in omnibus antiq.*] Sed Mevanienſes quoque a Mevania vocabantur, ut videre eſt apud Greg. Mag. lib.7. part.2. epiſt.75. ubi Mevanienſis Eccleſia Paſtore deſtituta Spoletino Epiſcopo commendatur. Quamvis iſthic vocem iam paulùm corrupta Vivanienſis ſcribatur tam in editis quam mss. exemplaribus.

Lin.38. *Foro flamini* XVI.] legendum VI. nam id ſpatium accuratiſſima Flaminiæ viæ dimenſio exhibet, & ſic Antoninus.

Lin. vlt. *Ex eo colligitur &c.*] Quin potius contrarium oſtendit, ſcilicet alteram illam lectionem præferendam. Sanè in antiquis donationibus Monaſterij Farſenſis Camillianum neſcio quis locus prope Nuceriam commemoratur.

Pag. 631. lin. 25. *numeri milliarium*] Rectius ex mente itinerariorum conſtituitur eo loco, ubi nunc Caſtellum S. Ioannis *pro Fiamma* 2. paulo amplius miliaria a Fulgineo Nuceriam verſus. Nam iſthic veſtigia eius extare teſtatur Fabius Pontanus

nus lib. de antiq. Fulginiæ, & magna ibi vetuſtatis monumenta extant, & eruuntur quotidie & hic viarum divertigium.

Lin. 34. *clare adparet &c.* Falſum hoc.

Lin. 38. *quæ civitatem ſignificat*] Rectiſſimè: fuit enim civitas Epiſcopalis. Vnde in tertia ſynodo ſub Symmacho legitur ſubſcriptio Bonifatij Epiſcopi Foroflaminienſis. Et in act. 4. ſextæ ſynodi, Decentij Epiſcopi τῆς ἁγίας ἐκκλησίας Φοροφλαμινίου. Vnde apparet non ita temerè quidvis pro libitu mutandum in antiquorum ſcriptis.

Lin. 39 *C. Ptanias*] C. Tadinas ibi legendum. Nam via flaminia ducebat per Tadinas, nonper Caprarias.

Lin. 53 *ubi prædictus pons.*] Inanis hæc coniectura. Pons ille antiqui operis adhuc nomen retinet in itinere, quod Ocriculis Narniam ducit ſub caſtello *Borgeria*, diſtat autem Ocriculis v m.p. Narnia xv. Verba Aurelij victoris commoda explicatione adiuvanda ſunt. Indicat enim de loco cædis Æmiliani duplicem fuiſſe famam, alteram quidem de Spoleto, alteram de ponte ſanguinario. Inde non contentus ſitum particularem eius Otriculum inter Narniamque indicaſſe, ut oſtendat quantum diſtet uterque locus, quantumque pons ille abſit Spoletio, addit eum media re-

regione inter Spoletium urbemque posi-tum esse. Quod tamen ὁλοχαιρὸς accipien-dum. Est enim aliquanto propior Spole-tio quàm Romæ.

Pag. 632. lin. 6. *Trevi.*] Ita vetus Chro-nicum oppidi Gualdi, quo vix ullum me-lius ex medio sæculo supereſt, Trebiam appellat civitatem Lucanam Trivienſem, quasi lucus Triviæ olim appellata fuerit.

Lin. 10. *Sacraria* VIII.)VII. ut plurimum sunt enim Cannæ Romanæ 4450. quæ fa-ciunt 6. mil. p. cum $\frac{3}{4}$. ferme. Sed & cœ-teri numeri contrahendi. Nam a sacra-rijs ad divertigium viæ Trebienſis 2. m. p. sunt cum $\frac{1}{2}$. inde porro Fulginium 4. m. p. minus centum circiter.

Lin. 14. *Multæ aquæ emanant*] Vulgo *le vene di Piscignano*.

Lin. 37. *via Salaria &c.*] Ergo intelligen-da hæc verba de Trebula Mutuſca, quæ haud procul a via Salaria diſſita eſt, vulgo nunc *Montelione della Sabina*, vt infra no-tavi.

Lin. 31. AD SACRARIA.] Propter tria sa-craria Chriſtiana, quæ adhuc extant. De quibus infra pag. 702.

Pag. 634. lin. 20. *. PRO &c.] Ita Siſenna apud Nonnium v. *Iuſſo*. *Tudertibus Senatus consulto & populi iuſſo dat civitatem*,

Pag.

Pag. 635. lin. 6. *Hæc noſtra*] Interamna Vmbriæ in veteri lapide legitur.

Lin. 9.] In veteri inſcriptione CIVES. INTERAMNAE CIVITATIS. Et ſic apud Gregor. Mag. lib. 7. par. 2. epiſt. 73. ubi Conſtantio Narnienſi Eccleſiæ Interamnanæ viſitationem mandat, quamvis vulgò peſſimè Terracinenſis edatur. Sed ego in optimis membranis Vatic. biblioth. Teramnanæ diſertim ſcriptum legi.

Lin. 32. *incertus auctor*] Ioſeph Scaliger.

Lin. 52. *Interamnæ* IX.] Scribend. 6. ut in Tabula. Sunt enim a Narnienſi porta ad portam Interamnij cannæ Romanæ 3760. quæ ſunt 5. m.p. $\frac{2}{3}$

Lin. 54. *Adtine recine* XI.] VI.

Lin. 55. *Fano fugitiui* II.] V. [*Fano fugitiui* X.] V.

Ego totum hoc iter ſic conſtituerim. Ad tres Tabernas m. p. 3. Fuerunt autem circa eum locum, ubi circa principium anguſtiarum ſive Stretturæ diverſorium *della Caſtagnina*, cum alijs tabernis nunc habetur uſque ad diverſorium *la Strettura*. Tertia ferme milliarij parte dictum diverſorium Caſtagninæ. Et fortè idem locus intelligitur ab auctore Tabulæ, ubi male XI. pro III. ſcriptum eſt. Dictum enim diverſorium Caſtagninæ medio dumtaxat

mi-

miliari distat ultra pontem confinij. Inde tria sunt mil. pass. ad diversorium *della Dogana* ubi divertigium viæ Nursinæ & Vissensis quam Vrbanus VIII. Pont. max. restituit. ut inscriptio isthic posita testatur. Inde duo sunt m. p. ad diversorium Strictvræ, & tria alia millia p. ad iugum montis, quod vulgo *Summa* dicitur, habetque fanum S. Leonardi cum aliquot tabernis. Itaque locum illum ad fines ad divertigium illud viarum, in summo autem iugo Fanum illud fugitivi fuisse existimo. Inde porro VII. sunt m.p. Spoletium ut quidem Hierosolymitanum itinerarium scribit, vel potius, ut Tabula Augustana v. Vnde in Hierosol. itinerario præcedenti loco a Tribus Tabernis ad Fanum fugitivi ex Tabula v. pro x. restituendum existimo.

Pag. 639. lin. 5. *Hinc ad duo mil.* [Fuit in iugo montis loco, qui vulgo *Summa* dicitur, ubi nunc fanum S. Leonardi extat.

Lin. 8. *Ponte confino*] Et vsitatiori nomine Ponte Spoletino.

Lin. 14. *Narnienses.*] Et Narniatenses, ut habet vetus inscriptio apud P. Ligorium.

Lin. 35. *falsum igitur est*] Cùm certum sit Augustum sub ipsa civitate fluvium Narem ponte magnificentissimo iunxisse,

cuius

cuius nunc magna vestigia supersunt, haud dubiè suburbia ab altera pontis parte protendebantur, quæ Strabo pro urbis parte accepisse videtur.

Lin. 39. Σαυιτῶν] Σαβινῶν leg. forte Dionysius eodem loco iunxerat res eodem tempore in Samnitibus, & Vmbris gestas, ut mox sequens lapis Capitolinus.

Pag. 637. lin. 34. *Liuivs lib.* XXIII.] Huc pertinent antiquæ inscriptiones apud P. Ligorium, ubi mentio fit. COL. NARN. [Item ORDO. NARNIENSIVM. [Item S.P.Q. NARNIATENS.

Pag. 638. lin. 9.] Gentile Carsularum est Carsulanus apud Plin. Epist. lib..... ubi Carsulanum prædium commemorat. *Quantum*, inquit, *copiarum in Ocriculano, in Narniensi, in Carsulano, in Perusino tuo.*

Lin. 28. *diserte ostendit Tacitus &c.*] Et vestigia ruinarum.

Lin. 39. *Ergo Carsulæ* X.] Vtrumque falsum. Nam Narnia Mævaniam XXX. sunt m. p. iustissima, sive cannæ Romanæ 19905. a Narnia autem ad diversorium Carsulanum, quod in ipsis ruderibus extructum est, sunt m. pass. paulo minus IX. Inde alia sunt quinque ad Vicum Martis. Hinc porro XVI. Mævaniam.

Lin. 45. *Ad martis* XVII.] XIIII. legend.

Ita enim accurata dimenſione compertum. Fuitque locus hic ferme ſub villa S. Fauſtini. Vnde poſtea XVI. iuſta ſunt m.p. Mævaniam uſque.

A Fano Martis incolæ olim dicti Faneſtres, ut videre eſt apud Hyginum de limitibus.

Lin. 55.]Oppidum Epiſcopale deinceps fuiſſe exiſtimant, cui S. Brictius Epiſcopus Martanus præfuerit: Vide Donnolæ Apolog. cap.39.& 37. Martyrologium Rom.9. Iulij S. Brictij Epiſcopi memoriam ponit Martulæ. Ex actis autem S. Brixij, quæ manuſcriptæ legi in veteri Codice Lateranenſi,Martula mons potius quam civitas fuiſſe videtur, in cuius verticem ab Angelo perductus ſcribitur; *unde ipſe cæpit prædicare verbum Domini omnibus regionibus Submontana Martulanæ, ut aiunt acta*. Et paulo poſt. *Eſt de Chriſtianis illis alius ſeductor abſconſus in civitate Martulaua, qui docuit omnes Submontana doctrinam Chriſti ſui*. Locus autem, ubi S.Brictius oratorium habebat, vocabatur Salluſtrianus in ijſdem actis, quæ VI. miliarijs Spoleto eum abfuiſſe ſcribunt, dicitur ibidem oratorium extruxiſſe in nomine B. Mariæ, in locum, qui dicitur M..rianu.n, ubi fortè Martanum legendum.

Ca-

Caſtrum Carſularum vocatur in actis SS. XI. fratrum Brictij & aliorum, quæ extant in ms. Lateranenſi verba ſunt. *Brictius cum alijs fratibus ſuis venit in partem Valeriæ in urbem Spoletinam; Proculus verò relictus in Colonia, quæ Narnia dicitur. Superiacet Caſtrum Carſulanum, in quo erat vir ſanctiſſimus Voluſianus Epiſcopus; cum eo Proculus multis annis bonæ conuerſationis ſpiritualiter egit vitam.*

Pag. 639. lin. 1. *ipſe compluribus*] Nihil tale ibidem extare affirmavit mihi Fed. Cæſius Dux Aquæ Spartæ huius loci Dominus.

Lin. 4. *Ipſum etiam vocabulum*] Fallitur. Neque enim locus iſte in via Flaminia antiqua ſitus eſt. Sed Carſularum ruinæ adhuc priſco nomine notæ viſuntur in prædicta via inter Sangeminum & Acquam Spartam: ubi veſtigia amphitheatri adhuc conſpiciuntur. Et arcus Traiani Imperatoris inſignis ſtructuræ. Diſtat locus ille 2. $\frac{1}{2}$ mill. paſſ. ab Aqua Sparta & 2. $\frac{1}{2}$ a Sangemino.

Lin. 30. *Sic ordino*] Peſſimè ſanè; neque enim divertigium hoc Interamnio deflectit, ſed Narnia. Tum verò quia Carſulæ oppidum præclarum inter Narniam iacebat & Mævaniam. Quis credat Tabulam

neglecto oppido obſcurum poſuiſſe vicum? Itaque omnino ſic ſtatuo intermedio ſpatio ad flexum lineæ Carſulanum nomen cum numero intervalli excidiſſe.

Lin. 36. *a via Flaminia &c.*) Immo eſt in ipſa veteri via Flaminia. Vnde poſtea diverticulum longius & impeditus ductum per montes Spoletinos. & ſorte hæc una ex vijs Traianis, quarum tres antiquæ Noſtro tempore tractu commemorant, inſcriptiones hoc Vrbanus VIII. Pontifex Max. veterem Flaminiam a Fulginio per Mevaniam & Carſulas Narniam uſque reſtituere voluit, & ad veſtigia omnia perquirenda architectos & Structores miſit, quorum ego accuratiſſima dimenſione per Cannas Romanas uſus ſum. indeque verorum intervallorum numeros conſtitui. Tum & alia Tabula ſatis accurata a Fed. Cæſio Aquæ Spartæ Duce edita in ijſdem intervallis conſtituentis uſus ſum. Porro ex hac via Flaminia aliud divertigium ducit Tuder, quam viam Vlpianam appellat Princes Cæſius in ſua Tabula, forte & hæc una ex Traianis fuit.

Lin. 49. *Todino]* Hoc quoque falſum, ut oſtendi ſuperius pag. 637. neque enim Tardinates, ſed *Tadinates* a Plinio vocantur, neque primitivum opidi nomen

Tar-

Tardinum, ſed Tadinæ, ut ex Greg. M. oſtendi.

Pag. 640. lin. 41. *Hoc ſitu, non in dicto colle*] Hoc veriſſimum argumentum, quo accedit & illud, quod Eccleſia vetus Cathedralis S. Victori dicata, non in recentiori oppido in colle, ſed in veteris municipij veſtigijs extet. Appellatur autem vulgò *Ciuità Docria*. Eſtque nunc forum, ſive Emporium celebre, quo oleum ex omnibus circumvicinis locis defertur, & Romanis propolis venditur; vulgoque dicitur *Il Porto*.

Pag. 651. lin. 45. *Neſcio ex quo auctore*] Sine dubio ex Plutarcho ſupra adducto.

Pag. 655. lin. 36. *Milliaria circa urbem*] Inanis coniectura, & quæ Cluverio multorum errorum cauſam præbuit.

Pag. 656. lin. 48. *Monte Ritondo*] fuit ultra Montem Rotundum.

Pag. 657. lin. 11. *Auctor Olympiadum*] Nihil probat. Nam hæc collectio eſt I. Scaligeri congeſta ex varijs Græcis Latiniſque Scriptoribus.

Pag. 658. lin. 29. *Rio di moſſo*] Alia fuit propinquior urbi.

Lin. 51. lib. XLI. *memoratus.*] Et Feoſt. *Lucaria*, inquit, *in luco colebant Romani, qui permagnus inter viam Salariam & Tiberim*

fuit, pro eo quod victi a Gallis fugientes è prælio ibi se occultauerunt; ubi hodiè *la macchia di S. Giouanni*.

Pag. 660. lin. 35. *ad Ficulensem viam*] Ita in Epist. 7. Innocentij I. PP. pro vna eademque ponitur Nomentana sive Felicien sis parochia. Vbi haud dubie Ficulensis olim scriptum fuit, quod Librariorum ignorantia corrupit.

Pag. 661. lin. 9. *tu quoque vicina Floræ*] tu quoque proxima Floræ.

Lin. 43. *incertum est*] quia fuit ante Romam, & forte in Martialis tempore desertum.

Lin. 49. *Turrem vergatam*] Potius crediderim fuisse Corniculos montes tres illos editos colles, in quibus nunc oppidula S. Angeli & Monticelli conspiciuntur. Et Corniculum fortè ipsum S. Angeli oppidulum nunc est.

Pag. 622. lin. 45. in marg.] *Salaria nuova Verum errant*] Confundunt Collinam & Collatinam portam.

Lin. 49. *Agro Tusculano*] argo Lucullano.

Pag. 663. *propinqua fuit Esquilinæ*] vel potiùs eadem. Nam via Collatina ad v. ab Vrbe lapidem ex Prænestina deflectit, & ab eo divertigio porro sunt 3. m. p. usque

ad

ad fontes Aquæ Virginis, vulgo *fonte Salonæ*. Iuxta quem ipſa Collatina via tranſit, quæ tribus ad huc milliarijs porrigitur paulo ultra Oſæ & Anienis confluentem, quo loco Collatiam fuiſſe exiſtimo. Idcirco Liuius rectè eam Sabinis tribuit. Strabonis locus nihil probat. Nam diſtantia illa 3. vel 4. milliarium non tam ad Collatiam, quam ad duo illa poſteriora opida Antemnas & Fidenas referri debet. Viam Collatinam vetus Tabula agri Romani egregie conſpiciendam exhibet, cum qua convenit Lucas Pætus diſſertatione illa erudita de Aquæ Virginis reſtitutione, quam ipſe Summorum Pontificum iuſſu perducendam curavit.

Pag. 664. lin. 8. *Cruſtumio prior*] Et M. Cato origin. lib. 1. apud Priſcianum lib. 6. Antemna veterior eſt quàm Roma.

Lin. 51. *variaſſe primam ſyllabam*] Non puto. Nam in antiquis lapidibus, ubi celebris memoria ſacerdotij Cæninenſis, conſtanter per æ ſcribitur. Habentur apud Gruterum.

Pag. 665. *Cæninà ductor ab arce*] *S. Angelo* vel *monticelli*. Nam edito loco fuiſſe hinc apparet.

Lin. 30. Τὸ δ' Ἀρκαῖον] Hinc non male quis coniecerit ſitum Cameriæ in Palom-

baram convenire.

Pag. 667. lin 10. *Nomentum* XII.] Sed longissima. Nam &c.

Lin. 22. *Lamentanum*] Diversum est a Nomentum, nam hoc *Lamentana Vecchia* vulgo appellant.

Lin. 52. *Numentum*.] Municipium Romanum fuisse constant ex veteri inscriptione, quæ hodie præ foribus Monasterij S. Angeli extra Nomentanum novum legitur.

CN. MVNATIVS. M. F. PAL.

Vbi inter alia Curator viæ NOMENTANAM. Patronus eiusdem municipl. Fuit deinde civitas Episcopalis. Nam actioni 4. sextæ Synodi subscripsit Paulus Episcopus Νομεντε & D. Gregorius Sabinensem Ecclesiam commendavit Gratioso Episcopo Nomentano. Et lib. 4. epist. 44. Gratianus civitatis Nomentanæ Romanæ Synodo subscripsit. Benedictus Nomenti Episcopus interfuit Concilio Romano sub Zacharia Papa anno Christi 745.

Pag. 668. lin. 14. *Fidenis*] v.

Lin. 25. *Apud Antoninum*] Nimis temerè corrigit numeros Antonini, ex quibus apparet in Tabula Puetinger. excidisse numerum v. vel IV. inter Romam & Fidenas. Sane Cluverius non satis exactum cogni-

tio-

tionem vel rationem habuit milliarium antiquorum, Distat nunc Monte Rotondo Roma cannis 9876. hoc est 15. m. p. per rectam lineam, quod accuratissimis instrumentibus obseruatum fuit. Tum ex multis locis probari potest nihil hoc numero mutandum. Primùm disertissimo Dionysij testimonio, quem frustra cum se ipso pugnare existimat. Neque enim Dionysius priori loco distantiam Ereti ab vrbe Roma, sed locum pugnæ circa Eretum describit, qui ab vrbe Roma, via scilicet Salaria aberat m. p. XIV. hoc est cis Eretum IV. V. milliaribus; deinde in actis S. Victorini Cutiliæ lacus ad LX. lapidem ab vrbe ponitur, quod exactè cum Antonini & Dionysij numeris convenit, Nam ab urbe Reate sunt m. p. XLVIII. vel XLIX. inde alia IX. ad Cutiliæ aquas, ut rectè ponit Tabula. Nam hoc loco in Antonino male XVIII. pro VIII. vel VIIII. legitur. Idem probat locus alter, qui paulò post sequitur ad Centesimum dictus. Vnde perspicitur hoc loco nihil mutandum.

Pag. 669. lin. 50. *antiqui cuiusdam oppidi*] Hæc Curium vestigia esse existimat Marianus Victorius ex antiquis Inscriptionibus ibidem repertis. Sed certissimum est Cures fuisse eodem loco, ubi nunc oppidum

Co-

Coreſe, ſive Curenſe, locus autem ille diutus recentior eſt. Vulgo *Orimami* dictus.

Pag.670.lin.11.*Sabini & Tiburtini*] Hinc apparet fundum illum ſeu villam adeò propinquam fuiſſe Tiburi, ut dubitaretur an ad Sabinos, aut Tiburtinos pertineret.

Pag. 671. lin.43. *ob nominis ſimilitudinem*] In antiquis donationibus Monaſterij Farfenſis vocatur Mons Aliperti, & hanc veram eſſe vocis *Libretti* originem nemo dubitaverit.

Pag.672 lin.38.*poſt Fanum putre Vacunæ.*] *Rocca giovane* locus nunc dicitur. Namiſthic Veſpaſianus Imperator Victoriæ Templum vetuſtate collapſum reſtituit, ut teſtatur vetus lapis ibidem repertus.

Pag. 673. CVRENSES] Inde Curenſe Caſtrum, & Fluvius Curenſis, qui nunc *Correſe*, in antiquis donationibus Monaſterij Farfenſis ante mille & amplius annos. Neque enim dubium eſt, quin hæc antiquorum Curium ſint veſtigia.

Pag. 674. lin. 41. *Modium &c. Fabidium*] Medium fidium.

Pag. 675. lin. 45. *Imperatoris ſtatua*] Inſcriptio teſtatur ſacrum fuiſſe ἀνάθημα. Ea ſic habet. LARIBVS D. D. Marmor ornatum eſt frondium florumque corollis.

Lin.

Lin.46. *Antiquarum eſſe*] Imo Fori novi reliquias eſſe teſtatur vetus inſcriptio, quæ ibidem ſub altari quodam in Eccleſia S. Euthymij extat. D. N. M. ANTONII. GORDI. PII. F. AVG. FORONOVARI I. DEVOTI. NVMINI MAIESTATIQ. EORVM.

S. Anthimi Eccleſia cum Monaſterio etiam nunc in Curenſi territorio veſtigia maxima cum nomine ſervat. Bedæ & Adonis Martyrologia diſtinctius locum ſignant via Salaria milliario XXII. quod intervallum exactè congruit, & inde irrefragabiliter evincitur *Correſe* veteres fuiſſe Cures.

Pag. 676. lin. 2. *Aſpra*] Saluator Maſſonius dialogo de origine ciuitatis Aquilæ Caſperulam oppidum prope Forulos fuiſſe exiſtimat, cuius veſtigia nunc *Creſpida* dicuntur 2. m. p. a Forulis, quæ nunc *Cività Thomaſſa*. Cuius ego ſententiam omnino probo. Nam Silius omnino hunc locorum ordinem ſervat.

Lin. 43. *Alij Victoriam*.] Huius ædem vetuſtate collapſam Veſpaſianus reſtituit in pago, qui nunc *Rocca giovane*, quod ego putre vacunæ Templum Horatio dictum exiſtimo. Nam Digentia vicus, qui nunc *Licenza* proxima inde ſequitur.

Pag. 678. lin. 23. *Villa Siccata.*] Quid ſi ve-

velit hæc vox, non ſatis perſpicio. Puto legendum Velia. Nam totus ille ager Reatinus ſiccatus eſt emiſſo flumine.

Lin. 36. *In exitu paludis*.] Ita ad hunc hodierno tempore, unde neceſſum eſt ſubinde emiſſorium repurgari, quod factum fuit anno 1597. iuſſu Clementis VIII. & ſanè monſtroſæ figuræ Saxa in oſtijs illis concreta viſuntur vulgo *Tartari* vocantur.

Lin. 45. *Reatina palus*.] Imo ipſe lacus Velinus: de quo nemo dubitabit, qui oſtia Velini amnis proximi ſub lacum in Narem decidentis viderit, & quanta tufi copia in ijs ſubnaſcatur obſervarit.

Pag. 679. lin. 11. *Minimè intelligere*] intellexit haud dubie Cicero in genere omnia illa amœna loca ad Velinum lacum ſic Eloria Tempe in Sicilia dicebantur loca amœna ad Elorum fl. nec aliter ſtatuet qui loca illa inſpexerit.

Lin. 30. *Villa Siccata*] Huius villæ maxima rudera & veſtigia apparent vulgo *le grotte di S. Nicolò* dicta; imminent lacui, qui vulgo Ripa ſubtilis dicitur poſita in cliuocollis, unde amœniſſimus in Roſeam & omnes agri Reatini lacus, quos ego ſimul VII. aquas olim dictos exiſtimo, proſpectus patet. Alteram autem Appij villam

lam fuisse puto ad intimum recessum Velini lacus a Pedeluco Reate pergentibus ad dexteram haud procul a colle, quem *Corigliano* vocant: sed hanc villam rusticam omnino fuisse apparet, nec magni momenti, si quis vestigia eius accuratè consideret.

Pag. 680. lin. 20. *apud ipsum Velinum lacum*] Circa lacum Reatinum, sive S. Susannæ, & hodie quoque priscum nomen retinent, nam *le Rose* vulgo campi adiacentes fertilissimi vocantur. Velinus autem sive Pedelucensis lacus undique montibus cingitur, quos densæ Silvæ occupant. *Rose* autem ij propriè dicuntur campi, qui absque ulla stercoratione sua sponte quotannis in fructus exuberant.

Lin. 42. *Sed propter incommodum*.] Marianus Victorius alijque docti Reatini locum nunc vulgo *Palazzo* vocari aiunt in colle, cui munimentum illud imminet, vulgo *il fonte di Rieti* dictum. Distat autem a Reate bis mille quingentis circiter passuum millibus.

Pag. 681. lin. 37. *prope viam Quintiam*] via Quintia est ipsa Salaria, ut ex veteri lapide didici.

Lin. 47. *Maruvium*] *Morro vecchio*.

Lin. 53. *Ab oppido*] Aprædicta urbe sci-

ſcilicet Reate. Nam tribus ferme p. m. a Riete verſus civitatem Ducalem, eſt collis, qui etiam nunc vocatur *Monte de Leſta*. In eo ſitum fuit opidum, & viſuntur adhuc rudera & veſtigia antiquorum ædificiorum. Huc recta fert via ab Amiterno per Forulos, inde ſuperato Apennino per vallem *del Corno*, & ſic per Vallem Veini Liſtam uſque, quo itinere Hannibalem profectum ſcribit cum Romam peteret.

Pag. 682. lin. 34. *Ager quippe Reatinus*] Ignorat Diœceſeos Reatinæ, hoc eſt veterum Sabinorum, & Aboriginum terminos.

Lin. 46. *milliarius clivus*] Hic ſine dubio eſt clius ille, ubi lapis miliarius etiam nunc extat, vno ferme miliari ſupra diverſorium *d'Ornaro* VIII. m. p. cis Reate. Nam deinde via ſemper per planiciem ducit vallis Reatinæ, ut vocant.

Pag. 683. *Santa Suſanna*] Ego per VII. aquas intelligendos exiſtimo omnes etiam vicinos lacus. Lacum ſcilicet longum cum duobus aut tribus parvulis annexis, & altero illo maiori, qui *Ripa ſubtilis* vulgo vocatur.

Lin. 13. *Coritus mons*] Marianus Victorius Coritum montem explicat montem Corneum inter Interocreum & Aquilam,

ſub

ſub quo Corſulam olim fuiſſe exiſtimat. Sed ibi Corno neſcio quis locus eſt in valle, vnde valli nomen. Sed Corneus mons vulgo *M. Como* dicitur maximum illud iugum montis quod eſt inter Reate & Leoneſſam, unde *Corno* fl. oritur, qui Caſſiam alluit. Sed non puto Aborigines trans illud iugum habitaſſe, neque ſpatia locorum quatrant in Cluverij coniecturam, Nam a Reate Leoneſſam ſunt octo m. p. Sed quæ revera XII. & amplius conficiunt. A Leoneſſa porrò uſque ad Civitatem Caſſiæ VI. milliaria per aſperrimos montes, ſi Mariani Victorij coniecturam ſequamur pro *Iuria* ſeu *Iunia* via legendum *Salaria*. Nam illa Reate Interocreum & inde porrò Amiternum ducebat, & Corſula incidet plane in eumdem locum cum Cutilijs, quod mihi non fit veriſimile. Ego dum Dionyſij mentem diligentius veſtigo, & ordinem ab eo in locis circa Reate enumerandis obſeruatum conſidero, exiſtimo Iuniam illam viam iuxta ſiniſtram Velini ripam Interamnum verſus duxiſſe, & Corſulam fuiſſe eo loco ubi nunc *Contigliano*, Coretum vero moutem magnum illud montis iugum eſſe, quod dictis locis a tergo imminet, & Vallem Velini a Sibinis diſtinguit.

His

His locis proximè adiacet Reatina palus, in qua Issa insula olim fuit. Ad cuius intimum recessum cum Maruvium ponat Dionysius, considerandum annon situs eius rectius in *Muro vecchio* quadret, quàm in Morro, ut vult Cluverius, qui hoc saltem rectè iudicat, Issam & Corsulam vicina fuisse loca.

Lin. 27. MVTVSCA] & MVTVESCA, ut habet vetus Inscriptio.

Lin. 43. Tum verò in vita S. Concordij disertim sic scriptum legitur sup. pag. 632. nam ille locus huc transferendus. Ita in actis S. Victoriæ in Civitate Tibulana legitur pro Tribulana. Vnde Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, male Thoranam facit, quam longè peius deinde in Picenum ex æquicolis transfert.

Lin. 46. *Apud Trebiam*] Trebulam alia exemplaria.

Lin. 56. *Monte Leone*] Fallitur æquivocatione nominis. Neque enim apud hunc montem Leonis, qui est inter Reate & Cassiam hæc monumenta extant, sed in alio opidulo eiusdem nominis prope Podium S. Laurentij. quod ab Reate versus Austrum dissitum est non longe extra viam Salariam. Hoc vulgo *Montelione della Sabina* alterum *Montelione della Lioness̃a* vocatur.

In

In priori illo loco multæ veteres inſcriptiones ſeruantur Trebvlanorvm. Statianus fundus in regione Trebulana commemoratur à Damaſo in Vitis Pontif. Videndum utrum ſit Stazzanum. D. Aldhelmus de laudibus Virginit. cap. 26. *Ducta eſt itaque B. Victoria in Tribulano territorio, vt ibidem exiliata famis copia, & cibi inopia tangeretur. Ea tempeſtate contigit, ut uniuerſi municipes, quorum municipatus in Tribulano municipio fuerat, virus & flatum ſquamoſi draconis non ferentes ſpreto oppido vagabundis mentibus paſſim diſpergerentur.*

Pag. 684. lin. 12. *Sed nec Veſbula*] Hæc loca ego Scandrigliam, Nerulam, Montorium, & Canem Mortuum interpretor rationem intervallorum ſecutus.

Lin. 18. Κεραύνιοι] Certiſſimum eſt à Dionyſio intelligi Ianuarium montem cum toto illo tractu ſupra montem Libretum, Nerulam, & Scantriliam vulgò *Pelecchia* dicitur.

Lin. 27. *Batia*] Malè hæc confundit: nam Batia, & Tiora tantùm ſitæ erant ad eam viam, quæ à Reate ducebat in Latium per Roccam Sinibaldi ſub *Caſtel vecchio*, ubi Toræ veſtigia inde Carſeolos, atque ita porro in Latium.

Lin. 35. *fuit Liſta Amiternum*] Non

intellexit mentem Dionysij, qui Listam XXIIII. stadijs Reate abfuisse scribit, & nomen ac vestigia etiam nunc servat *Monte de Lesta*, inter Reate, & Civitatem Ducalem medio ferme intervallo.

Lin. 39. *A Lista*] non percepit mentem Dionysij.

Lin. 52. *In civitate Thora.*] Thoræ, sive Thoranæ civitatis vestigia certa & indubitata extant ad Thoranum fl. (qui & ipse sine dubio nomen ab ea accipit) è regione Castel vecchij & Antuni paulo supra *Collepiccolo*, ubi Ecclesia celebris S. Anatoliæ magna omnium vicinorum populorum religione colitur; quamvis corpus S. Virginis pridem inde ad Sublacense monasterium translatum fuerit. In Ecclesia columnarum & inscriptionum vestigia visuntur, & ager sub Ecclesia ad flumen usque ruderibus longe lateque oppletus cernitur. Distat autem Thora siue Torana ciuitas Trebula Metusca m. p. VII. circiter: Reate autem XIII. vel XIV. circiter. Locum lustravi oculis 1645. die 13. Maij.

Pag. 685. lin. 30. *perperam in Sabinorum, &c.*] Distinguenda tempora vetustissima Italiæ à citerioribus. Nam & Martyrologium Romanum 24. Iulij Vestinis tribuit;

quem

quem ad locum vide eruditè differentem Baronium. Sanè Avia Amiterno & Furconio proxima Sabinis tribuenda foret; sed omnino dicendum Auctores Sabinorum nomen latius accipere, ubi eos ultra Apenninum extendunt. Ipse quoque Ouidius infra p. 755. Pelignos à Sabinis ortos testatur. Sed quod de Martyrologij loco notavi minus ponderis habere postea deprehendi. Nam vetustissimi Codices Martyrologiorum Lucensis & Sereniſſimę Reginę longe aliter isthic legunt. *In Amiternina civitate milliario* LXXXIII. *ab Vrbe Romana Via Salaria Natalis S. Victorini Martyris*; unde pessimo & insulso errore nobis LXXXIII. illos milites substituerunt, sublata Sancti Victorini memoria. Intervallum autem LXXXIII. m. p. accuratè cum Itinerarijs convenit, quæ Roma Interocreum vsque LXV. m. p. numerant: Inde porro XVIII. m. p. erant Amiternum per Forulos & Fisternas.

Lin. 34. *Id vocabulum sumpserunt, &c.*] Hoc Varronis testimonium ostendit linguam ijs fuisse communem.

Pag. 686. lin. 12.] Saluat. Marinius dialogo de origine Aquilæ p. 21.

Lin. 21. *Trans Apenninum*] Est quidem & Supernate latere Apennini Ager Amiter-

ninus, sed Monte Maiello ab oriente æstiuo præcingitur, qui Apenninum ita excedit, vt si summa montium cacumina sequamur, cis Apenninum esse videatur.

Lin. 36. *Forconio*.] *S. Feli* dicitur, ab Ecclesia S. Felicis Martyris, quæ in ruinis eius civitatis extat.

Lin. 46. *Quamquam præfractè, &c.*] rectè.

Lin. 47. *Sub Vestinorum nomine, &c.*] Vide Salvatorem Mussonium dialogo de origine Aquilæ pag. 20.

Lin. 50. *Interocrea*] Interocrea haud dubie dicta, quod inter montium angustias sita est. Nam Ocrim montem significare Festus docet, & ex eo Scaliger ad Varronem. Huc quoque pertinet nomen quod paulo post sequitur in Tabula Itineraria, *Ferocri*, ab eadem. ut videtur, origine deductum: neq; temerè mutandum. In antiquissimis privilegijs monasterij Farfensis permultæ extant donationes eidem monasterio factæ in Territorio Furconensi, ubi inter alia hæc verba: *Item ad vicum* (puto Forulos) *modios* VII. Et *in Ocre, petias* III. *primam ad campum Lillum, ubi Ecclesia S. Pamphili*, &c. qui locus paulo infra Aquilam ad dextram Aterni ripam eo nomine adhuc extat.

Pag. 687. lin. 3. *Cutilias* XVIII.] Legendum VIII. vel VIIII. ut in Tabula, quamvis hoc tempore vix VI. eò numerentur milliaria. Et acta S. Victorini ms. Cotilias ad Lx. lapidem viæ Salariæ ponunt. Et ita numeri sequentes ad C. exactè quadrant. Ab Interocrio gentile INTEROCRINVS. Hinc apud D. Gregorium M. sub finem lib. 1. dialog. Interocrinavallis, quam ipse Interocrinam rectius dici putabat, ubi de Severo Sacerdote narratio extat. Ita in privilegijs antiquissimis Monasterij Farsensis Curtis Interocrina.

Lin. 30. ἡ δὲ νῆσός ἐστι, &c.] Insula fluctuans.

Pag. 688. lin. 4. *Apud eum locum*] Hoc tempore Ecclesia ibidem visitur B. Mariæ, quæ vocatur *La Madonna di S. Vittorino*, iuxta ipsam Salariam viam. Et sane magnum & peculiare divinæ providentiæ videtur arcanum, S. Victorinum passum esse ad locum illum, qui olim Victoriæ gentili ritu sacer credebatur. In actis ms. S. Victorini, quæ sunt in Vaticana Bibliotheca Cutiliæ istæ aquæ ponuntur ad Lx. Lapidem viæ Salariæ, quod cum Itinerarijs antiquis satis probè convenit.

Pag. 690. *Vltra Apenninum*] Imò citra Apenninum fuit *Falacrine* circa Civitatem

Regalem, quo loco etiam nunc Vallis Falacrinæ nomen antiquum ſervat, ubi veſtigia Eccleſiæ S. Silveſtri Falacrini. Et in Diplomate Roberti Regis anni 1332. commemoratur hæc vallis inter ea loca ex quorum ruinis civitas Regalis extructa fuerit. Vide Salvatorem Maſſonium Dialogo de origine Vrbis Aquilæ fol. 62. Cœterum Eccleſiæ S. Silveſtri in Phalacrino meminit etiam Lucius PP. III. in Bulla ſua de confinijs Eccleſiæ Reatinæ. Et vetus Index Parœciarum eius diœceſeos, quem ex Archivio eius Eccleſiæ legendum habui, Sub eo loco nunc extat diverſorium vulgò *il Cardinale* dictum.

Lin. eadem. *Vltra*] Falsa hæc. Eſt ad caput Velini cis Apenninum.

Lin. 10. *Niſi ſuſpicari liceat*] Hoc mihi non fit veriſimile.

Lin. 15. *Ecrius*] Sed Ocra mons eſt, quod & in Interocreo agnoſcimus; itaque Ecri in Ocri mutare malim.

Lin. 20. dicitur *Cività reale*] Falsum hoc. Fuit eo loco ubi nunc S. *Croce* 2. m. p. ſupra *Bacugno*.

Lin. 52. *Aveia nunc eſt*] Falsum. Nam vicionum fuit, non idem.

Pag. 691. lin. 12. *Hinc Amiternum, &c.*] Hoc iter notat Tabula Peutingeriana,

Mar-

Marrubio Albam, & inde porrò Aviam & Amiternum.

Lin. 30. *Forenſeis*] In veteri Inſcriptione apud Salvatorem Maſſonium Dialogo de origine Civitat. Aquilæ pag. 24. VICANI. FORVLANI. appellantur, quod Grammaticorum ſomnia, vt nebulas diſpellit.

Lin. 41. *Acer*,] Ms. Aſper.

Lin. 42. *Forenſis*] Mss. antiquiſſimi à Cl. Viro Nicolao Heinſio collati rectiſſime Curenſis legunt, quod ſequenti verſu confirmatur, ubi Sabinos appellat, quos modo Curenſes à Metropoli dixerat.

Pag. 692. lin. 24. *In margine*] VESPASIAE.

Lin. 26. *In Monte Summo*] Vocatur etiam nunc *Monte Veſpio* locus in territorio oppidi Caſſiæ iuxta confluentes Corni & Turbidonis fl. in cuius ſummo vertice palatium fuiſſe exiſtimant, & videntur veteris viæ veſtigia apparere. Sed ego nullum ædificiorum veſtigium iſthic agnoſcere potui, quamvis intervallum à Suetonio notatum exactiſſime huic loco quadret.

Paulo inferiùs in eadem via Nurſina ad Confluentes Corni, & Naris, locus eſt *Triponzo* vulgo dictus. Huius quoque nomen antiquum eſſe exiſtimo; nam via iſthic

hic per ſaxa antiquo opere exciſa cum hac inſcriptione in ipſa rupe viſitur.

C. POMPONIVS C...
C. OCTAVIVS. CN...
Q
D S. S.

In fine duorum priorum verſuum nihil præter literam F. exeſum vetuſtate deſiderari exiſtimo, quod & veſtigia ipſa, & ſpatij anguſtiæ oſtendunt.

Pag. 693. lin. 4.] Ego Tetricum eſſe exiſtimo horrendum illud adſpectu montis iugum, quod inter Montem Sibyllæ & Aſculum ſuper reliqua Apennini iuga emicat. Neque toto hoc circa Sabinos tractu ulli montium rectius hoc nomen convenit. Adde quod Servius diſertim in Piceno ponit.

Lin. 19. *Altos montes*] Sunt haud dubie montes inter Reate & Lioneſſam paſcuis ovium æſtivis per omnem hanc Italiæ partem celeberrimi.

Lin. 25. *Canterium montem*] Forte hic eſt mons S. Ioannis ex quo Canera fluvius in Velinum defluit per vallem eiuſdem nominis cum fluvio vulgo *Valcanera* dictam.

Lin. 43. *Curenſeis maximè*] Certum eſt Cures fuiſſe ad Curenſem fluvium, qui

nunc

nunc *Correſe*, leviter detorto vocabulo appellatur. Et ipſe locus nunc quoque vocabulum *Coreſe* retinet. Sed Cluverius erat qui Curès, & Forum novum confundit.

Lin. 58. *Nullum certum diſpicere queo ſenum*] Fuit eo loco, ubi nunc eſt Epiſcopium Sabinenſe, ubi maxima eius veſtigia extant; idque teſtatur vetus Inſcriptio, quam ſupra pag. 675. attuli. Fuiſſe Romanum municipium teſtatur alterius Inſcriptionis fragmentum ibidem repertum, quod balnei, piſcinæ, & viæ eò adductæ ex Salaria ſcilicet veteri, meminit.

..... BEIVS . II VIR ITER
..... SVO IN MVNICIPIVM
..... CVNIA SVA ADDVXIT
..... S. IECIT IN PISCINAM
..... MDO EST SALIENDAM
..... EMQVE PROBAVIT
..... OR. SOLI IN QVO BALNEVM EST
..... EMPTORI DE AQVA
..... BALNEO FLVERE AQVAM
..... NEV NE CARERENT
..... MVNICIPES
..... LEBEIVS DEDIT.

Pag. 694. lin. 15. *Liquet*] Aſſentior ijs qui *Tarano* eſſe credunt paulo ſupra Manlianum, vulgo *Magliano*.

De Manlianis prædijs in Sabinis extat men-

mentio apud Damaſum, qui ea à Conſtantino M. Eccleſiæ SS. Petri & Pauli via Oſtienſi donata fuiſſe ſcribit.

Lin. 25. *Apud lævam Farfari*] Planè non conſiderauit ductum viæ Salariæ, in veteris Salariæ ductu ſupereſt adhuc loci nomen S. Mariæ in Vico novo, cuius aliquoties mentio fit in donationibus Farfenſis Monaſterij, ubi circa B. Virginis Eccleſiam parvam cryptæ, fornicis, columnarum fragmenta & alia antiqui oppidi ſive vici veſtigia conſpiciuntur. Locus autem ille ſitus eſt ad quadrivium: Nam via quæ ex Sabinis in Marſos & Æquicolas iuxta Scandriliam ducit, Salariam eo loco interſecat, vicinum huic loco eſt diverſorium Dei Masfacci dictum.

Pag. 695. lin. 55. *At magis proprie*] Vterque propriè locutus. Nam vbi purus limpiduſque ſuis tantum vndis fluit, nullis pluvijs permixtus, album ſive cæruleum colorem præfert, quippe qui Sulphureas Naris & Anienis aquas ſuſcipit; at ubi limo pluvijsque hibernis turbidus intumeſcit, flavum limi colorem exhibet Tiberis; quod nemo Romæ verſatus ignorare poteſt.

Pag. 699. lin. 46. *Oritur Tiberis*] Mons ubi naſcitur vulgo *Falterona* dicitur.

Pag.

Pag. 700. lin. 11. *Nullique fluviorum*] Hinc passim murorum vestigia antiqua visuntur, quorum substructionibus alveus constringebatur.

Lin. 15. *De villa sua apud Tiberim, &c.*] falsum hoc, vt isthic notavi.

Lin. 54. *nondum dispicio.*] Scilicet, quia nulla re insignis, vt Nar, Clitumnus, vel Metaurus.

Pag. 701. lin. 9. *Turia deducit*] Tutia, in mss. legi testatur Ful. Vrsinus in notis ad Historicos Latinos, idque præfert vulgato.

Pag. 702. lin. 29. *Christianæ religionis vsum*] Templum sanè antiquissimum, quod adhuc extat. Altare cum signo ☧ & tres inscriptiones vetustissimas Christianas habet. Opus sanè admirandum, & religiosa veneratione suspiciendum. Inscriptio ad latus dextrum ✝. SANCTVS DEVS PROFETARVM QVI FECIT REDEMPTIONEM. In fronte ✝. SANCTVS DEVS ANGELORVM QVI FECIT RESVRRECTIONEM. Ad latus sinistrum. ✝. SANCTVS DEVS APOSTOLORVM QVI FECIT ASCENSIONEM. Subtus autem duo alia sunt fana, sive sacraria, alterum titulo Sancti Angeli, alterum Baptismi, siue Baptisterij, vulgò *il Battesimo* appellatum. Hæc quoque

que eiuſdem antiquitatis ſunt cum priore, vt oſtendunt fragmenta quædam vetuſta parietibus inſerta. Fama eſt inter accolas hic primitivos Vmbriæ Chriſtianos Baptiſmatis fonte ablutos fuiſſe. Nec dubium eſt, quin Tabulæ Auguſtanæ auctor tria hæc Sacraria Chriſtianorum ſuo tempore iam agnoverit, ut multa alia primæ Chriſtianitatis exempla in ea notantur Ideòque de Iovis Clitumni fano explicari non poſſunt. Nam fontes Clitumni ad quos fanum, hoc fuiſſe teſtatur Plinius, longiùs hinc remoti ſunt ad diuerſorium Venarum, ut vulgò vocant.



S. D. Profetarum.

S. D. Angelorum.

S. D. Apostolorum.

Pag. 704. lin. 48. *Inde lapidicinæ*] Haud quaquam existimo hinc dictas, neque n. Pallia circa vrbem est, vt Rubra, Fidenæ, Alba: potius Albienses legerem, nã circa Albiam fluvium magna nunc quoque tophi copia exciditur, neque alio ferè nunc Romæ vtuntur Architecti.

Lin. 50. *Amiterninæ*] Forte Eretinæ, nam ad Eretum quoque lapicidinæ sunt saxi durioris, qui proxime ad Tiburtinum accedit. Certissimum est Amiternum nihil ad hunc locum facere.

Pag. 706. lin. 13. *Fontesque Velini, &c.*] Forte respexit ad scaturiginem Velini, qui nascitur in Valle Falacrina aliquot conspicuis fontibus, & vulgo ab accolis vocantur *le Fonti*. Supra fontes est Ecclesia *S. Mariæ de Fonte Velino*.

Lin. 26. *Turano*] Ego rectiùs saltum interpretor. Nam Turanus partim per Æquos, partim per Sabinos fluit. Saltus autem per Marsos & Æquicolas, neque similitudini nominis temere credendum, cum Turanus à civitate Torana, quam mediam perlabebatur, nomen acceperit, vt Curensis à Curibus, & alij.

Pag. 708. lin. 35.] Ouid. in Ibin. v. 221.

Hæc est in fastis cui dat gravis Allia nomen.

Pag. 709. l. 14. XIIII. numeret *m.p.* Fallitur,

litur, nam in Tabula omittitur numerus V. m.p. inter Romam & Fidenas, quod Cluverius minime obſervavit. Atque ita Tabulæ cum Antonino optime convenit; & ſane XIV. aut XV. milliaria eſſe diligenti obſervatione expertus ſum.

Lin. 22. *quam inter Tiberim.*] Hic quoque errat, quod Salariam viam per planiciem Tiberi vicinam ſtratam fuiſſe exiſtimat, cum per ipſos proximos colles ducta fuerit vetus Salaria, ubi nunc veſtigia eius clariſſima extant.

Lin. 23. à *Cruſtumino*] ex hoc loco clariſſime apparet *Rio moſſo* nõ eſſe Alliam, cùm ex Livij loco ſuprà adducto appareat Alliam ex Cruſtuminis montibus defluere, adeoq; per Cruſtuminum agrum in Tiberim ferri. Atque Cruſtuminus ager citra XIII. milliare eſt: Ergo nec Allia poteſt eſſe *Rio moſſo*, qui duobus & amplius paſſuum millibus ultra Montem Rotundum fluit. Ego conſideratis locorum intervallis Alliam eſſe puto rivulum, qui inter prædium S. Columbæ & S. Ioannis paulum ultra Marciglianum præalto alveo defluit in Tiberim. Nam hic rivus quinque aut ſex paſs. mil. diſtat à Fidenis ſive Caſtello Giubileo. Fidenæ autem V. ab Vrbe paſſuum millibus abſunt, quæ in vni-

uer-

verſum XI. mil. paſs. conficiunt.

Pag. 711. lin. 24. *licet* VII. *vulgo*, &c.] Antiqua Itineraria IX. m. p. eo computant, & quidem rectiſſime, ut ibidem nòtavi.

Lin. 42. è *Veientano*] leg. è Baccanenſi lacu per Veientanum agrum.

Lin. 47. *Teverone*] Puto hoc nomen obtinuiſſe non à Tiberi, ſed à Tibure civitate quam alluit. Nam in antiquis Inſtrumentis ante DCCC. & DCCCC. annos Tiburtinus fluvius ſemper vocatur. Sed in alijs Tiberis fluvius abſolutè vocatur, & fluvius Tiberinus. Ita Ioannes PP. VIII. epiſt. 30. *Sarraceni fluvium, qui à Tiburtina urbe Romam decurrit, furtim tranſeunt.* Et epiſt. 32. *Sed & Tiberinum fluvium, qui olim Albula dicebatur iuxta Sabinorum confinia pertranſierunt.*

Pag. 713. Miſſo n. ſl. *repeti ex Lacu*] Huius aquæductus veſtigia viſuntur nunc ſub ipſo Sublaqueo, vocaturque vulgò *il buſo della Chartiera*. Deinde ſub Xenodochio D. Antonij, atque inde ſemper iuxta ſiniſtram fluminis ripam tendit. Altitudo eius hoc tempore XX. pedes ipſum fluminis alveum ſuperat; unde de lacus altitudine conijcere licet. Lacus autem illi tres haud naturales, ſed artificiales

ciales fuere ; primus quidem ſub Monaſterio S. Scholaſticæ, cuius os anguſtiſſimum XVIII. circiter vel XX. pedum muro valido clauſum fuit ; inde aqua defluebat in ſecundum lacum, qui mox primum excipiebat, cuius os paulo fuiſſe laxius videtur . Tertius deinde ſub ipſo opidulo Sublacenſi fuit, ubi etiã nunc magna Anienis pars muro conſtringitur ad varia molarũ officia. Huic imminet Eccleſia S. Laurentij à Nurſio Patritio ſub Damaſo Papa extructa, quæ *ad Aquas altas* dicebatur, ut antiqua donationum inſtrumenta Sublacenſis Monaſterij teſtantur . Lacus autem everſi fuere ingenti fluminis exundatione anno 1305. d. 20. Februarij .

Lin. 34. *Primum per ſaxoſos* .] Imo à Fontibus uſque ad molas Sublacenſium continuo per ſaxoſos montes voluitur rauco murmure & fragore ſaxis illiſus . Inde iam per culta agrorum mitior labitur.

Lin. 40. *Mox ſupra hunc, &c.*] Male hos fontes ad Simbrina ſtagna ſeu lacus refert, qui olim aquæductibus incluſi Romam perducebantur . Sunt enim hi fontes Aquæ Auguſtæ, Marciæ, & Claudiæ ; & Auguſta quidem etiam nunc nomen retinet, vulgo *l' Auſta*. Inde DCC. paſſi-

bus distat fons Marciæ, vulgo *La forma della Mola sotto S. Marcello*. Inde ad fontem Curtium sunt M. ferè passus, vulgo *l'Acqua Serena*, Inde ad Fontem Cæruleum, vulgo *Lacum S. Luciæ* dictum. D. passus. Circa hos fontes etiam nunc manifesta vestigia Romani operis, & arcuum atq; aquæductuum vestigia apparent. Si hæc conferantur cum Frõtini verbis, quę infra ad pag. 784. adscripta habes, facile erit dispicere Valeriæ & Sublacensis viæ ductum. Vide & pag. 764.

Pag. 714. lin. 14. *Simbriuio*] *La Montagna della Ceruara*.

Lin. 20. *qui ex editioribus collibus*] Intelligit haud dubie vterque fontes Claudiæ aquæ, quæ VI. m. p. infra Sublaqueum visuntur, & Celsus forte etiam Augustæ & Marciæ fontes vicinos Claudiæ intellexit. Nam quod Cluverius de lacu seu stagno Simbruino supra Sublaqueum hæc accipit, fallitur omnino, Lacus enim isti artificio & opere humano, non ipsius naturæ ingenio facti erant, neque ulli in ijs, vel iuxta eos nascuntur fontes memoratu digni. Ex hisce igitur authorum locis constat Simbruinos montes dictos fuisse, qui Sublaqueo à tergo imminent, in quibus Ceruara vicus nunc positus est. Colles autem Simbruinos intelligit Tacitus eos, qui

ad

ad radices dictorum montium iuxta Sublacenſem viam porriguntur, in quibus Auguſta ſita eſt: nam ex imis horum collium radicibus aquarum iſtarum fontes naſcuntur, quas Marcius, Auguſtus, & Claudius Romam perduxerunt.

Lin. 51. *Fluit autem*] Tres fluvij hos agros perfluunt. Primus à Poli, & S. Gregorio defluens, vulgo *Aqua nera*.

Secundus à Gallicano defluens paulo infra Corcollum Tiberim influit.

Tertius omnium maximus vulgo nunc *Oſa* dictus, qui iuxta Prænestinam viam, & Lacum Burranum ſiue Sanctæ Praxedis defluit ad Caſtellum S. Iuliani, atque paulo ſupra fontem Salonium Tiberim ingreditur. Hunc poſtremum Vereſin eſſe puto.

Lin. 55. *Puſillo tamen infra*] leg. *ſupra*.

Pag. 716. lin. 5. *Albulæ huic aquæ nomen*] Id teſtatur vetus inſcriptio Romæ nuper reperta.

AQVIS. ALBVLIS.
SANCTISSIMIS.
VLPIA. ATHENAIS.
C. LVPII. AVG.
LIB. AB EPISTV
LIS. VXOR
LIBENS
D.D.

Extat apud Cardinalem Barberinum.

Pag. 717. l. 29. *Quia erat in Tiburtinis, &c.*] Anton. del Re Tiburtinarum antiquitatum auctor Servij hanc sive explicationem, sive errorem secutus Albuneæ fontem supra Castrum *S. Poli* in edito montis iugo ponit, fontem, ut ipse ait, maximum, limpidissimum, & frigidissimum.

Pag. 719. Ad marg. lin. 13.] *Aqua Tepula.*

Lin. 15. *Ad* XI. *milliarium*] Manuscripti X.

Lin. 19. *Millium passuum* XII.] Numerus hic corruptus. Legimus ex mss. II. [alteriusque] Mox lego, alterius aquæ. Iuliæ, Crabræ, & Tepulæ fontes anno 1649. mense Octobri diligenter perquisitos inueni.

Iuliæ fons præcipuus, nunc *Fontana Angelosia* vocatur: orituruque in crypta antiqui operis fornice tecta MCC. circiter passibus supra Cryptam Ferratã ad Crabræ Fluviolum, qui & ipse CC. plus minus passibus supra Iuliæ caput nascitur, & partim suo rivo defluit per vallem Cryptæ Ferratæ, partim in Cisternam sive Castellum derivatus ductu subterraneo in villas hortosq; Tusculanos perducitur. Habet autem Iulia & alias scaturigines, quas Cardina-

lis

lis Farneſius aquæductu collectas ad Monaſterium Cryptæ Ferratenſe perduxit, quãvis non levi errore inſcriptio eius nomine poſita Tepulam vocet. Tepula enim multo inferius in Valle Marciana ſub *Burghetto* paulo ultra molam Ferrariam inſigni fonte emergit, & vulgò *La Pretioſa* dicitur.

Lin. 42. *Nemus fonti circumſitum.*] Vbi nunc ſeptum, ſiue roborarium Columnenſis familiæ feris alendis. Locus etiam nunc religionis ſpeciem præbens, ut & tota vicina Silua, qui olim ſacer ille lucus fuit.

Pag. 721. lin. 2. *Ad Portam Ferentinam*] Potius legendum Φερεντίνης ὕλης in Silva vel luco Ferentino una litera demta.

Pag. 722. lin. 24. *Vt vulgo creditur.*] Res certiſſima & omnium oculis perſpicua in dubium vocanda non eſt: Nam Emiſſorium ad ipſum locum ſub Caſtello Gandulphi extat, & aquæ effluentis copiam piſcatores pro libitu temperant. Lacus autem ille Iuturnæ ante complures annos aqua per ſubterraneum meatum deducta exſiccatus fuit à Cardinali Serra, qui villam eo loci habebat, & ſalubritatem aëris exſiccato lacu locis vicinis reddidit, quod etiam Inſcriptiones Vrbani VIII. Pontificis Max.

ad Caſtellum Gandolfi poſitæ teſtantur.

In Tabula ſequenti loci & Caſtella quamplurima adiuncta ſunt.

Pag. 723. in marg. lin. 23.] *Oliue d' Aſcoli.*

Pag. 725. lin. 56. *Vbi Falacrinæ olim fuerunt*] Falſum.

Pag. 730. lin. 40. NVMANAT] Ex qua incolas NVMANATES dictos fuiſſe apparet.

Lin. 48. *progrediens*,] In ora, Cluana, Potentia, Numana. Κώμαι, &c.

Pag. 731. lin. 12. *ad dextram*] Olim ad dextram ripam fuit, nunc mutato fluvij oſtio eſt ad ſiniſtram.

Qui locus.] Potentinæ civitatis penitus deſolatæ veſtigia apparent ultra dextram fluminis ripam, ubi campi longe lateque lateribus, tegulis & lapidum marmorumque fragmentis oppleti apparent, & nomen ſupereſt in proxima Abbatia, quæ S. Mariæ ad pedem Potentiæ dicitur, ubi veteris pontis arcus lapideus, & veteris ſepulturæ moles latericia conſpicitur. Coloni

loni quoque varia mihi oſtenderunt numiſmata ibidem reperta, tum etiam Muſivi operis pavimenta ſub terra depreſſa indicant. Locus ille mille paulo amplius paſſibus à Recanatenſi portu diſtat.

Lin. 43. *Aſpido Foſſatone*] *La foſſa dell' Aſpio*, e *la ſelua dell' Aſpio* vulgo dicuntur.

Pag. 732. lin. 26. *condiderant*] Gentile ex Truento formatum fuit TRVENTINAS. Ita in geſtis de nomine Acacij à Sirmondo editis pag. 122. Vitalis Epiſcopus Troëntinas ex Picena regione commemoratur. Vnde & hoc apparet iam olim, vel ſane inclinante Imperio Truentum & Troentum promiſcuè pronunciatum fuiſſe, ut & Antonini Itinerarium habet, & Frontini de colonijs liber.

Pag. 733. *Caſtellum Nau. in marg.*] Frontinus Caſtellenſe municipium vocat.

Lin. 28. *Porto di Monte Santo*] Huic potius quadrat, quàm ipſi Monti Santo. Nam qui itineris littorei ductum, & Montis Sancti ſitum conſiderat, facile perſpiciet locum *ſacrata* in portu potius ſeu littore, quàm edito in colle ſitum fuiſſe, qua iter duci non potuit.

Lin. 32. *FLVSOR, &c. Chiento*] Quamvis hoc ex Tabula itineraria manifeſtè conſtet, puto tamen confirmari & hoc ar-

gumento, quod alter fluvius qui ſub *Belforte* paucis ſupra Tolentinum milliaribus in Chientum influit, nunc quoque *Fiaſtra* dicitur, in quo nomine Fluſoris veſtigia apparent. In antiquis inſtrumentis dicitur, *Flaſtra*.

Lin. 42. *Claterna*, mss. *Clierna*.

Pag. 733. *Ab eo Senogallia* [mss. *Ab eo Fentra villa maritima habent ; Aterni fl. oſtia Vrbes B.*. Vnde perſpicue apparet legendum. *Ab eo Fientani maritima habent, At, &c.*

Pag. 735. lin. 55. *legitur Macrinum*] Sic in mss. exemplaribus Ptolem. Vatic. leg. μακρῖνος pro μάξιμος.

Pag. 736. lin. 45. *Antiquæ urbis magna veſtigia*] Oſtio Turdini ad dextram ripam de proximo imminet locus *Cologna* vulgo dictus, nunquid forte in eo veteris coloniæ veſtigium latet?

Pag. 737. *Etiam Cingulo*] Extat nummus, qui huius quoque rei teſtis eſſe poſſet, niſi à falſarijs eſſet ſuppoſitus.

Pag. 738. lin. 20. *deprehendo eſſe idem*,] Idem teſtantur veſtigia & monumenta plurima antiqua, quæ iſthic adhuc extant.

Lin. 49. *Nec oppidi, nec nominis veſtigium*] Ad ſiniſtram ripam Potentiæ amnis VIII. vel VIIII. mil. p. ſub S. Seuerino paulo

ſub

ſub *Montecchio* apparent veſtigia manifeſtiſſima.

Pag. 739. lin. 24. *Hodie non extat*] Sed veſtigia ad dextram Potentiæ fluvij ripam extant duobus vel tribus p. mil. ab oppido Macerata. Oppidani in veteri lapide vocantur RICINIENSES. Extat de antiquitatibus Ricinæ libellus Angelitæ Scaramucciæ, quamvis oppidò ineptus, editus Loreti 1638. quo ſitum eius antiquum & veſtigia ſatis clarè indicat.

Lin. 55. *Meritò aliquis*] Quaſi non potuerit eſſe Conſul ſuffectus.

Pag. 741. lin. 1.] τεῖχος hic eſt Caſtellum munitum vel muro cinctum.

Lin. 32. *Civitàa nuova*] *Monte dell'Olmo* in Pauſularum ruderibus nunc extare affirmauit mihi Camillus Lilius, idemque in Camertiam hiſtoriam ſcripſit pag. 80.

Lin. 38. *Ligorij maximè placet ſententia*] Non probabat Dominus Azolinus Epiſcopus Ripæ, qui locum Cupræ montanæ aliquot mil. paſſ. ſupra Ripa Tranſona abeſſe aiebat, eoque ſubterraneas vias & cuniculos meatuſque occultos à Cupra maritima pertingere mihi affirmabat. Cui viro & Geographię veteris bene perito, & huius loci Epiſcopo fidem libens tribuerim.

Lin.

Lin. 42.] Fuit quoque in Piceno forum novum, & incolæ Foronovani in veteri inſcriptione reperta Romæ 1645.

Lin. 50. Pauſularum mentionem reperi in donatione Monaſterij Claſſenſis facta Azzoni Camaldulenſium Priori per Gualterium Archiepiſcopum anno 1138. his verbis: *In Comitatu Firmano Curtem unam, quæ vocatur Campo Longo, & Caſtrum unum, cuius vocabulum eſt Pauſule, & alterum Caſtrum ubi turris ædificata eſt, & eſt vocabulum Petronij à primo latere fluvius qui vocatur Tenna, à ſecondo Comitatus Camerinenſis; à tertio fluvius Palentinus, à quarto latere littus maris.*

Pag. 742. lin. 14. *At ſitus huius*] Fuit in edito colle ad ſiniſtram ripam Fluſoris fl. è regione Vrbis Salviæ, ubi nunc *Monte Melone*, in antiquis Pollentiæ ruderibus extat. Viſunturque ibidem antiquæ inſcriptiones, quarum unam affert Camillus Lilius hiſt. Camer. p. 78. qui erudite Plinium à Cluverij reprehenſione vindicat, recte enim cum urbe Salaria Pollentinos coniungit, quod ob vicinitatem quaſi unam in civitatem coaluiſſe viderentur.

Lin. 37. *A Falacrino, &c.*] Hoc falſum eſſe ſupra notavi ad pag. 690.

Lin. 42. *In Vmbris fuiſſe*] Hoc abſurdum: loca enim longiori intervallo etiam tabu-

la

la disiuncta sunt.

Lin. 45. *Celebris est*] Vulgo *Aqua santa* dicitur.

Pag. 743. lin. 15. *In agro Pitinate*] Fuit Civitas Episcopalis, ut apparet ex Concilio Romano sub Symmacho, ubi pro Romano Episcopo Ecclesiæ Pitinatium subscripsit Valentinus Amiterninus. Eius vestigia extant III. circiter m.p. ab civitate Aquilana, diciturque *Torre di Pitino*.

Pag. 746. lin. 11. *Interamnates, &c.*] Imo hoc ipso in loco ea distinguitur ab Interamnia Piceni; vocatur enim Interamnia Flaminiæ, quia in via Flaminia sita erat.

Pag. 750. lin. 4. *Avia*] Avia hoc tempore *Città di Bagno* dicitur: Ibi enim maxima veteris oppidi vestigia visuntur, in quibus nonnullæ extant inscriptiones antiquæ, quas Mutius Febonius Transaquæ Abbas descriptas ad me misit, & sic Salvator Massonius Orig. Aquil. pag. 20.

Lin. 16. *Tum ex nominis similitudine*] Ineptum hoc: Nam Aquilæ nomen civitati impositum à Frederico II. Imperatore ab Aquila signo Romani Imperij, ut ex eiusdem Imperatoris literis patet.

De situ autem Aviæ videndus Ferrarius Vit. SS. Italiæ de S. Maximo 19. Octobris,

qui

qui prope Aquilam fuisse scribit, & Campum adhuc *Abiæ* ab incolis vocari, per quem *Abelling* fl. labitur. Ager Averius commemoratur à Frontino in prouincia Valeriæ, ubi male Veios editur.

Lin. 31. *Cognomentum Cismontani*] Quia cis editissimum Vestinorum montium iugum sita est. Vestinorum autem montium meminit Dioscorides, quod primus dispexit Cl. Salmasius ad Solinum. Fuit olim Civitas Episcopalis. Nam Simplicius Papa epist. 2. habet Gaudentium Aufinienſis Ecclesiæ Episcopum.

Lin. 32.] Colonia Peltinorum in Provincia Valeria, ex libro Balbi recensetur in collectione finium regundor pag. 318. Ex quo loco corrigendus Frontinus, ubi male Placentinas Colonia legitur, pro Peltuinas.

Lin. 44. *Cività Aquana*]Civitatis Quanæ mentio extat apud Leonem Ostiensem Chron. Cass. lib. 1. c. 44.

Lin. 51 *Pinnæ*.] Ita Leo Ostiensis lib. 2. Chron. Cassin. c. 28. *apud Pennas*. Cui inde Comitatus Pinnensis, & Furca Pennensis.

Vitruvius lib. 8, c, 3. Pinnam Vestinam appellat, ubi ait: *Est autem Aquæ frigidæ genus nitrosum, uti Pinnæ Vestinæ, Cutiliis, aliisque*

aliisque locis similibus, quod potionibus depurgat, per alvumque transeundo etiam strumarum minuit tumores.

Oppidani Diodoro Siculo in Excerptis lib. 37. Πιννῆται. Vbi ipsorum fidem erga Romanos commemorat, & maximas calamitates, quas ideo perpessi fuere.

Pag. 751. lin. 24.] *Sic Enna. S. Anna. Seuerine S. Seuerina.*

Lin. 41. *Verùm nescio.*] Rectissime Strabo. Nam Vestini utramque Aterni ripam tenebant parte superiore à fontibus usque ad Corfinij & Pelignorum fines. Nam ad sinistram erat Amiternum, ad dexteram Avia & Furconium, quæ Vestinis nullo modo erant adimenda. Vide Baronium ad Martyrolog. 24. Iulij. Vide sup. 685.

Lin. 4. *Ab eo Fientani*] Maritima addendum ex mss.

Lin. 52. *Per Marsos*] Leg. *Marrucinos.*

Civitatem Aternum commemorat Priuilegium Cassinense Bertharij Abbatis circa annum Christi 880. apud Leonem Ostiensem lib. 1. c. 44.

Pag. 752. lin. 53. *Marrucino agro*] Marrucinis tribuenda Theatina Diœcesis, siue Comitatus Theatinus, vt sæpiùs vocatur apud Leonem Ostiensem.

Lin. 56. *Luco.*] *Tocco* rectius meridianum

num limitem poneret immenſum illud Montis Majellæ jugum. Illud enim Marrucinos à Pelignis diuidit. Cujus meminit Leo Oſtienſis lib. 1. Chron. Caſs. cap. 44.

Pag. 753. lin. 27. *Omnis Geographiæ ignari*.] Sanè inſignem injuriam Photio fieri exiſtimo, ſi quis eum pro Grammatico habeat, virum omnium divinarum & humanarum rerum peritiſſimum, & quem nullum eruditionis genus fugit.

Ego verò ipſius Memnonis errorem exiſtimo, qui Marſos, & Mauros confudit. Quales hallucinationes frequentes eſſe ſcimus apud veteres Græcorum Scriptores, ubi res Romanorum in Occidente geſtas attingunt.

Lin. 55. τεαΐέαν] Leg. τεατὲ τὴν τῶ.

Apud Franc. Gotofridum vidi duos nummos antiquos, quorum alter habet caput Herculis, & ab averſa Leonem, vel potiùs Lupum, ut mihi videtur cum clava tranverſa cum inſcriptione TIATI, Alter caput Minervæ galeatum, & ab averſa noctuam cum eadem inſcriptione TIATI. Hos ego nummos ad antiquiſſimam civitatem Teate pertinere exiſtimo, quod ipſe etiam character oſtendit.

Pollitium Πολλίτιον Marrucinorum oppidum

pidum à Romanis expugnatum commemorat Diodorus Siculus. Sed quo ſitu id fuerit in tanto reliquorum auctorum ſilentio dictu haud facile eſt.

Pag. 754. lin. 4. *Nec Marrucinos, &c. Monteis*] Majellam Montem intelligit, qui Peligños à Marrucinis immani dorſo ſeparat.

In Marrucinis quoque eſt Lenta fl. quem Laëntum olim dictum fuiſſe diſcimus ex literis Oſtienſis Chron. Caſs. lib. 1. cap. 44. Eodem quoque capite mentio extat Fori fluminis, qui proximè poſt Laëntum ſequitur.

Lin. 19. *Sulmone Civitas* XXVIIII.] XXIV.

De Interpromio.

INterpromium vicus ſive locus fuit regionis Marrucinorum ad Aternum fluvium, in via Valeria, quæ Corfinio Teate Marrucinum ducebat, ut videre eſt in vetuſtis Itinerarijs Antonini & Tabulæ Auguſtanæ; quamvis nomen non uno modo iſthic ſcribatur. Nam apud Antoninum *Inter Promium* uno loco legitur, alio. *Interbromio*. Tabula autem *Inter primum* habet. Vnde Cluverius *Interpromium*

mium legendum rectè iudicat, quamvis ille situm loci non dispexerit. Ego autem cognitionem eius Lucio Camarræ Teatino viro nobili & docto debeo, qui ex vetustis Martyrum actis sibi exploratum affirmabat, Interpromium olim in dicta via Valeria fuisse ad Aternum sive Pescaram fluviũ, sub oppidulo S. Valentini ultra angustias Populi oppidi. Quod acta hęc S. Valentini planè confirmant, ut dubitare amplius nemo possit. Eiusdem loci mentionem reperi in actis Martyrij S. Comitij, quæ manuscripta habentur in Codice Lateranensi, ubi itidem, ut in Tabula Augustana. *Interprimum*, & paulo post *Interprimium* scribitur. Comitius enim occisus dicitur loco qui dicitur Interprimium, iuxta pontem lapideum. Malè autem in ijsdem actis Catanensiũ Civitas pro Teanensium scribitur.

Pag. 757. lin. 40.] In Margine. *Pons Aterni prope Corfinium.*

Pag. 758. lin. 44 *haud dubium est*] Peperum Sidulfus Balvensis Episcopus ædificavit paulo post annum Christi M.

Lin. 47. *in exiguo hodie monstratur vestigio*] Fallitur. Nam nomen supersest in Valle *Subrequa*, sive *Superequa*, quæ est ad sinistram viæ Valeriæ super Gorianum. In ea valle

valle nunc *Caſtel de heri*, & *Caſtel vecchio Subequo* & *Gagliano* oppidulum conſpicitur. Hæc ab homine ijs in locis nato accepi. Sed in excerptis illis Agrimenſorum pag. 318, in Provincia Valeria commemoratur Colonia Superæquana; unde omnino apparet oppidum hoc nomine olim fuiſſe, quod non aliud fuiſſe exiſtimo, quàm ipſum illud quod dixi *Caſtel vecchio Subequo*: hoc enim huius regionis etiamnum caput eſt.

Pag. 759. lin. 12. *In aliquo vertice*.] Id veriſimum: Eſt enim *Campo di Giove* hodie ſub ſummo Majellæ jugo, ubi duplex eius montis tranſitus, quorum alterum Furcam Cocciæ, alterum Furcam Pallenæ vocant. Vicus autem ille Campus Iovis dictus in planitie ſitus eſt, VI. m. p. à Sulmone diſtans, quæ VII. ſunt m. p. atque iſthic etiam nunc divertigium viarum eſt.

Lin. 24. *Mons ſmeus* ....]

Lin. 35. *Inter oppida, &c.*] Eſt Rajanum vetus, vbi Sulmonenſis via ex Corfinienſi ſeu Valeria deflectit.

Nicates Mons ex Livio addendus, qui nunc vulgo *Monte Majella*.

Pag. 762. lin. 10. *ad oppidum uſque S. Bart.*] Nimium profert fines, Rectiùs ad Vicum Capiſtrellum uſque Marſorum limites, &

olim, & nunc conſtitui puto, cum natura ipſa limitem iſthic poſuerit. Vnde & hoc tempore Marſicanus & Soranus Epiſcopatus hoc limite diſtinguuntur, atq; hoc cum ſequenti Liuij loco optimè convenit.

Lin. 24. *Scopulo inſidens ſublimi.*] Colli rotundo fertiliſſimo, & egregiè culto, ſed ipſum oppidum ſcopulo undique prærupto inſidet in verticem dicti Collis.

Lin. 26. *Scopulo inſidens ſublimi*] Puto vocabulum λεῶς hic accipiendum de magno uſu, quem lacus ille non ſolum Marſis accolis, ſed & reliquis vicinis populis præbebat, ita hodie etiam ipſa Vrbs Roma eo lacu utitur ex quo magna piſcium copia ſingulis ſeptimanis Romam uſque perfertur.

Pag. 763, lin. 22. *Vſque ad montana impleri*] Qui fieri poteſt: cum ab vno latere magnam camporum planitiem obiectam habeat. Sed excreuiſſe proximis aliquot annis ad integrum milliare & amplius accolæ teſtantur.

Lin. 25. *exprimantur*] Leg. *conſtringantur*.

Pag. 764. lin. 7.] Hanc fabulam alio loco habendam exiſtimo, quo occultos amantis Alphei meatus. Nam quisquis loca ipſa inſpexerit, videbit inter Fucinum lacum

&

& originem Marciæ Lirim & Saltum atque Telonum ſive Turanum fluvios medios intercedere. Tolerabilius foret ſi lacum illum quatuor fluminibus ex vicino iugo orientibus Liri, Anieni, Saltui, & Telono aquarum ſcaturiginem ſubminiſtrare quis diceret

Lin. 16. *Idque finibus Tiburtum acciderat*] Rectè Plinius, & Tacitus: Nam Sublaqueum Tiburtino Epiſcopo parebat, antequam vicinum Monaſterium ita excreviſſet, ut Epiſcopi iuriſdictioni eximeretur.

Lin. 31. *Incertum utrum caput intellexerit*] Imo certiſſimum eſt ipſum fontes illos inter Valeriam, & Sublacenſem viam intelexiſſe, de quibus notavi ſupra pag. 713. quod ductus tanta ſit longitudo à fontibus ad Vrbem, ideo fit quod aquæductus non recto itinere tendantur, ſed per obliqua montium latera, qui cuniculis, cryptiſque ſubterraneis perfodiebantur.

Lin. 40. *Viſuntur hodieque*] Confundit Anienem novum cum Marcia, de quo errore notavi ſupra pag. 713.

Lin. 43. XXIIII. m. p.] Imò XXIIX. ſi antiqua ſequamur Itineraria, & Frontini ſupputationem.

Pag. 765. *In margine*] Emiſſorium Fucini lacus.

Lin. 15. *Claudius Fucinum lacum*] Extat & aliud exemplum Dionis ex eodem libro 60. de hoc Emissario in Collectaneis Constantini de Virtut. & Vitijs pag. 678.

Lin. 21. *Nondum satis ego perspicio*] Facile perspexisset si coram vidisset lacum istum, & adjacentem planitiem circa opidulum Avezzanum. Nam fossa 111. m.p. deduci potuisset in vicinum amnem, saltum, qui paulo supra Reate in Velinum influit: Velinus autem in Narem, Nar porro in Tiberim delabitur. Sane ubi locum inspexi, miratus sum cur non potius de hujusmodi fossa agenda, quàm de perfodiendo monte Claudius cogitasset. Sed quantum oculis conijcere licuit, puto Fucinum depressiori esse fundo, quàm sit vicini amnis alveus.

Pag. 766. lin. 41. *Ergo specus*] Hariolatur dubiusque hæret in re certa & clara, quæ etiam nunc integra extat, & ab omnibus visitur, medio loco inter Avezzanum & Lucum, vulgò nunc vocatur *la Grotta di Nerone*. Ipsum verò ostium huius emissorij *la rotta di Santo Padre* dicitur. Exitus verò prope Capistrellum vicum visitur, ubi publica via supra ingentem fornicem lateritij operis ducit ad ipsam ripam Liris fl. & visuntur spiracula seu putei profun-

dissimi

dissimi iuxta viam publicam, qua ab Emissario Capistrellum itur.

Lin. 46. *Egereretur in vertice* [*Fortè verticem*] Nihil mutandum : nam qui aquam egerebant per puteos profundissimos seu spiracula, ut nunc vocant, in vertice montis laborabant. Et sanè admiranda est spiraculorum istorum profunditas, quorum aliquot etiam nunc integra sunt, alia corruerunt, & cuniculos ruderibus saxisque opplerunt, ne aqua effluat.

Lin. 55. *Emissarium, &c. ignoratur*] Imò adhuc visitur cum omnium stupore ; & accolæ omnibus accedentibus monstrant. Hinc apparet quàm facile, quamque graviter quis erret, ubi de ijs pronunciat, quæ ipse minime oculis lustravit. Nam Ostium Pitonij, & Neronis, ut vocant Emissorium, tota lacus diametro distat.

Pag. 767. lin. 12. Ἀλβῆ] Ex situ apud Ptolem. conijcerem potiùs Capellam esse oppidum Albæ proximum in planitie situm.

Lin. 17. *Nomen, &c. in ruinis retinet*] Adhuc hodierno tempore oppidum est satis elegans, & frequens, quod Comitatus titulo Columnenses possident, in quo maxima visuntur variarum antiquitatum monumenta ; unde pristinum Romanæ

Coloniæ ſplendorem ac magnificentiam cognoſcere licet. Inſcriptiones quoque variæ ibidem extant.

Lin. 33. *Romani quondam, &c.*] Verterem potiùs *adverſus Æquanos*, vel *in Æquanorum finibus*, vel *Æquanis continendis*, hæc enim vis eſt vocis ὀπλιχίζειν τινὶ πολίχνιον, quod nunc Italis vulgo *Farli un forte ſu'l naſo*, ò *fabricarli vn forte per biglia*. Neque enim ex hoc Appiani loco concluditur ipſum Albam Furentem in Æquis poſuiſſe, ſed tantum in Æquorum finibus. Et hinc apparet planè eodem ſitu olim fuiſſe Æquos, vel Æquanos, vel Æquicolas, ubi nunc ſunt *Cicoli*. Nam Alba ipſis faucibus vallis Ciculanæ oppoſita eſt; & hoc modo accipiendus eſt Livij locus pag. ſeq. Nam cum primò Albam in Æquis ponere videatur, mox tamen arcem hanc Æquorum finibus impoſitam fuiſſe ſcribit.

Pag. 768. lin. 9. *Cæterùm*] Potius exiſtimem Albam ſic dictam ab Appennini iugis, quæ albo colore aſpicientium oculos repercutientia oppido circumcirca imminent. Tum verò ager omnis circumvicinus candicantibus ſaxis repletus eſt, unde & viæ publicæ, & ædes omnes conſtructæ albi coloris ſpeciem præferunt.

Lin. 19. *Haud procul Anienis dextra ripa*]

Imo

Imo prope Telonum, vel Toranum fluvium. Nam confundit Arſulas, & Carſeolos, ut infra prolixiùs oſtendi.

Lin. 34. *Iiſdem Æquis*] De hoc loco pagina præcedenti; neque enim Albam à Marſis abjudicat.

Lin. 53. *Albanorum Albæ*] Et Albæ Pompeiæ.

Pag. 769. lin. 10. in marg.] *Principum virorum cuſtodia*.

Lin. 42. *Nam quod veſtigia eius*] Certiſſimum eſt civitatem hanc ad orientale latus Ficini lacus fuiſſe, quo loco nunc eſt vicus S. Benedicti. Nam iſthic uſque ad tempora Clementis VIII. Eccleſia Cathedralis Marſorum fuit, & circumquaque viſuntur multa veſtigia antiqui oppidi, & extant aliquot lapides antiqui, qui fidem certam faciunt, in quibus Marruvij nomen legitur. Aquæductus etiam ex Iuvenculo fl. ad Piſcinam oppidum derivatus eò pertingebat.

Lin. 52. Mons Imeus....]

Lin. 55. Alba Fucentia XXIII.]


Corfinium
Statule
Mons Imeus
VII.
Cerfennia
V.
V.
Alba
Scurcula
XIII.
VII.
Raianum
Capella
Tallacoinum
Sulmo
Marrubium

Cerfenniæ veſtigia clariſſima apparent prope collem Armelum, murorum ſc. veſtigia, & aquæductus ſubterraneus maximus ex proximo monte eò perductus. Tum verò Eccleſiæ S. Felicitatis, quam bullæ veteres in Cerſenna commemorant, nunc ad Collem Armelum extat.

Pag. 770. lin. 5. *Caſtel Venere*] Caſtellum Veneris iam olim hoc nomine notum Leoni Oſtienſi lib. 2. Chron. Caſſ. cap. 34. & in Bulla Paſchalis II. hoc nomine appellatur.

Lin. 6. *Cerfennia*] Hoc falſum eſſe appareret ex Valeriæ ductu, & vero ſitu Marruvij. Ego autem Cerfenniam fuiſſe puto, ubi nunc vicus *Li Colli*. Ibi enim incidit via ex Alba Fucente, & Marruvio Corfinium ducens. Inde rectà aſcenditur ad furcam Montis Caruſæ, qui Tabulæ *Mons Imeus*, inde per Gorianum ad Raianum, quod Tabulæ *Statule* dicitur. Vnde porrò VI. m. p. Corfinium. Sed Statule potius fuit caſtellum dirutum in vertice collis ad ipſum divertigium viæ Corfinienſis & Sulmonenſis.

In fine pag.] Lapis repertus prope Teate in agro Ioſephi à Lecto I. C. vno milliari ſub Teate prope fluvium Aternum.

Lin.

Lin. 17. *Civitas Antia*] Antinam antiquiſſimum Romanorum oppidum fuiſſe, veſtigia murorum oſtendunt antiqui operis ex lapidibus quadratis.

TI. CLAVDIVS
CAISAR
AVG. GER. PONT. MAX,
TRIB. POT. VIII. IMP. XVI.
COS. IIII. P. P. CENSOR
HIAM CLAVDIAM HALERIAM
A CERFENNIA. OSTIA. ATERNI
MVNIT IDEMQVE
PONTES FECIT
XLIII.

Numerus ille XLIII. miliaria notat à Cerfennia uſque ad locum illum ſub Teate. Sed intervalla Tabulæ Auguſtanæ, quæ redundant, ita conſtituenda ſunt. Cerfennia Mons Imeus v. Statule v. Corfinio VII. (Sic Antoninus Cerfennia Corfinium XVII. m. p. ponit.) Interpromium XIII. Teate Marrucino XIII. quæ ſimul ſunt m. p. XLIII. & cum intervallis hodiernis exactè conveniunt.

Pag. 771. lin. 9. *Archippe*] Veſtigia etiamnunc extare affirmant Marſi ad ripam lacus inter Tranſaquam, & Ortuciam

tri-

tribus m. p. à Transaqua, 11. m. p. ab Ortucia distantia, quæ nunc corrupte *Arciprete* dicuntur, ea excrescente lacu undis penitus obteguntur.

Lin. 18. CVCVLAM] Est Cucullo in Valle Superequana in confinijs Marsorum & Pelignorum, haud procul via Valeria, & ni fallor hæc Superequana Colonia. Sane oppidum est etiam nunc populosum, & dives, ubi antiquitatum vestigia extant, & varia signa & sigilla reperiuntur; sed Superequanam Coloniam omnino fuisse arbitror, ubi nunc *Castel vecchio subequo*, vel *subrequo*.

Pag. 773. lin. 28. *Aequiculis in Italia*] ita adhuc eodem malo laborant Ciculani, qui habitant Pescham Rocchionum & vicina loca.

Pag. 774. lin. 43. *Aequos populationibus*] Ita nunc vulgo ob furta & latrocinia male audiunt incolæ Pilij, Serronis & vicinorum locorum; quamvis hi Hermicis veriùs tribuuntur. Ciculi autem etiãnunc vetus ingenium moresque pristinos obtinent.

Lin. 51. *Sanè, vt montosa*] Puto recte definiri agrum Æquorum, ut complectatur Vallis Toranæ partem superiorem, vulgo planitiem Carseolorum dictam, tum

partem

partem ſuperiorem Vallis circa Anienem fluvium uſque ad Ferratam,& latera montium, quæ Anieni imminent à ſeptentrione. Tum totam illam vallem Ciculorum circa fl. Saltum.

Marianus Victorius Epiſcopus Reatinus lib. 3. de Antiquitatibus Reatinis Æquicolorum nomen Cicolum regio hodie retinet, ibidem ait Æquicolos tenuiſſe eam regionem, in qua nunc Taliacotium, Nerula, Mons Librettus, Scantrilia, cæterorumque adjacentium montium oras. Sed Taliacotium Marſis, Nerula & Mons Librettus Sabinis haud dubiè tribui debent. Cicoli autem in antiquis donationibus Monaſterij Farfenſis ſemper Eciculi, & regio ipſa Eciculana vocatur, ita ut dubitare non liceat, quin hi veteres Æquiculi fuerint.

Pag. 775. lin. 2. *Marrubium quod, &c. Morrea*] Id falsum eſſe ſupra notavi.

Lin. 10. *Sabinis quidem ab meridie Æquiculi*] Imo etiam ab oriente Sabinis prætenduntur, præſertim illi parti, quæ hoc tempore nomen illud retinet.

Ideoque haud diſcedendum à verbis Ptolemæi.

Lin. 12. *Seſe cuneabant in agrum uſque Tuſcul.*] Hoc ſine dubio falsum; etenim quam-

quamvis incursionibus agrum Latinum infestum habuerint, loca etiam nonnulla in eo occupata munierint, & adversus Romanos defenderint, ipsam tamen eorum regionem eò vsque protendi posse non concesserim.

Lin. 29. *Hostem in sua sede*] Quia faucibus Algidi occupatis sedem belli isthic fixerant.

Lin. 31. *Arsuli & Subiaco*] Falsum hoc; Nam Arsula in Valle Sublacensi diversa est à Carseolis.

Lin. 36. *Limite esq; regionibus* Potius Æquis ex agro Latino ejectis, & intra suos fines reductis.

Lin. 40. *Æquorumque nomen.*] Hoc verissimum. Limites tamen Latinorum, & Æquorum potius continuo montium jugo juxta Anienem porrecto, quàm ipso flumine distinguendi: cum etiam hodie montes illi Romanam ditionem ab Æquis Marsisque dispescant.

Lin. 51. *Latina fecit oppida*] Non ob situm, sed quia Coloniæ & municipia Romanorum erant.

Pa. 776. lin. 2. *Sed video pleroſque, &c.*] Tagliacozzium in Marsis quidem est, sed in ipsis Æquicolorum finibus. Nam à Tagliacozzo juxta Saltum & Toranum fluvios

fluvios ad Velinum usque extenduntur. Æquicolæ.

Ad lin, 42. in Marg.] *Æquorum oppida* XLI.

Lin. 48. *Æquorum fineis*] Potiùs contrario modo concludendum, agrum non adeò angustum fuisse, qui oppida XL. habuerit.

Lin. 49. ALGIDVM] Algidum sine dubio Latinorum fuit, non Æquorum, quamvis hi vi occupatum pro belli sede aliquamdiu id habuerint. Et ipse Livius exercitus eò missos scribit, vt in alienum solum. Algidum vero commodissimo est situ ad claustra agri Latini inter varios montium tractus, unde excursio quaquaversum patebat.

Pag. 777. lin. 11. *Vt qui in suo solo*] Quod vi occupatum possidebant, vel saltem de Volscis intelligendum, qui Æquis erant conjuncti.

Lin. 12. (*Scribe, in Lavicanum agrum*)] Non opus esse videtur hac mutatione sine fide mss. codicum. Nam ex Algido non minori facultate in Lanuvinum, quàm Lavicanum agrum excurrere poterant.

Lin. 13. *Vulgo Zagaruolo*] *La Colonna*, vt alibi ostensum;

Lin. 55. *Ab Vrbe duodecimo*] Legendum haud

haud dubie *duodeviceſimo*.

Ita Procopius pag. ſeq. Stad. CXX. quæ ſunt m. p. XVII. Sed & Cluverius pag. ſeq. Eutropij numerum corruptum eſſe agnoſcit.

Pag. 778. lin. 9. *Stadia* CXX. *in Algidone*] Sed Algidum abeſt ab urbe verſus Orientem hibernum. Vnde vel Procopium erraſſe, vel verba eius ab librarijs corrupta fuiſſe neceſſum eſt, & pro δύονται. legendum ἀναπέλλονται.

Lin. 24. *In altiora loca*] Via aſcendit uſque ad diverſorium Molaræ, & paulò ulteriùs inde deſcenditur ad anguſtias Algidi, & rectè Strabo κατῆσιν.

Lin. 25. *In qua via poſt* IIII. *mil.*] Non ſatis rectè hæc explicat. Tuſculo in Latina via proximum eſt diverſorium vulgo *L' Oſteria del fico* dictum. Inde IV. ſunt m. p. ad diverſorium Molaræ. Inde III. vel potiùs IV. ad diverſorium Algidi, vulgo *L' Oſteria dell' Aglio*; cui proxime deinde imminet arctus montium tranſitus, vulgo *La Caua dell' Aglio* dictus. Locus ad invadendum agrum Romanum commodiſſimus, juxta quem veteris oppiduli veſtigia monſtrantur, in cujus ruinis caſtellum poſteà extructum fuit, quod earumdem anguſtiarum clauſtra cohiberet, quod cùm la-

latronibus receptaculum præberet, à Sixto V. Papa dirutum fuiſſe perhibent. Cæterùm ego haudquaquam exiſtimo Æquanorum fuiſſe Algidum, ſed Volſcorum, quamvis Æqui locum illum ut bello Romanis inferendo, eorumque agro invadendo commodiſſimum occupaſſe & communicaſſe exiſtimem, ut hæc ipſis belli ſedes eſſet, vt ſuperius annotavi.

Lin. 27. *Iuxta ad lævam*.] Ad dextram Roma eunti etiamnunc ſilva eſt, ſed arx Algidi fuit ad lævam.

Lin. 36. ALGIDENSES.] In inſcriptione Sutrina apud Manutium Ortograph. pag. 52. Algidienſis.

Lin. 49. *Gelido prominet Algido*. Aſſentior ijs, qui in editiſſimo Algidi jugo, ubi Ariani caſtri veſtigia ſuperſunt, aram Dianæ olim fuiſſe exiſtimant; & ab ara Dianæ Ariani nomen derivatum putant.

Lin. 11. *Magnarum, &c. fuiſſe ſilvam*] Vt & hodie.

Pag. 779. lin. 19. *Straboni ac Plinio Tuſculanus*] Certe Straboni accuratiſſimo Scriptori injuriam facit, qui adeò bene & accurate viæ Latinæ ductum deſcribit, ut nihil fieri poſſit melius. Nam diſtincti ſunt omnino montes Tuſculanus, Albanus, & Algidus, ut locorum illorum peritus

tus facile ipso sensu dijudicat. Nam ubi Roma via Latina proficiscēris ad Algidum, Tusculanos montes ad sinistram habes, Albanum montem à dextris, inde obversō tractu Algidus occurrit, quem vallis, flumenque cum Molendino à Tusculanis collibus distinguit sub ipso diuersorio Algidi. Ab Albano autem monte alia vallis, quæ ab eodem diversorio meridiem versus protenditur. Inde frondosus ille Mons Algidus, ubi angustias ejus, quam Cavam vocant, transieris, ad dextrū Latinæ viæ latus porrigitur, usque ad vallem, quæ inter Algidum, & Montem Fortinum Velitras usque, & in Appiam sese aperit. Nec puto rectiùs Plinij verba de Tusculani collis silva ad Algidum trahi: cùm etiam nunc opacæ & densissimæ sint Silvæ in eo Tusculani montis latere, quod Septentrionibus obversum agrum Romanum Gabinum & Lavicanum respicit.

Lin. 27. *Hujus Tusculani agri*.] Frustra Cluverius Cornē collem in Algidum transfert, cum plurimi in agro Tusculano sint colles nemorosi. Neque me movet quod Dianæ Lucus ille fuerit, cujus item nemus & templum erat in Algido; cùm pluribus in locis, luciſque ejusdem religionis idem Numen coli potuerit.

Lin. 43. *Quippe cur huc*] Quaſi non ſub ipſo Algido Latina & Lavicana viæ coirent, quarum hæc ſub Columna ducit. Sed Columnam olim Lavicum fuiſſe certum eſt. Itaque hic nihil ex nominum ſimilitudine divinandum.

Lin. 47. *Qui Corne Collis*] Sed hic nullæ ſilvæ in Tuſculanis montibus.

Pag. 780. lin. 3. *Aruæ Labici*] Hinc quoque apparet Labicum fuiſſe ſub Tuſculo & Algido, ubi nunc *la Collonna*.

Lin. 18. *Corvio oppidum*] Corbionem eo ſitu fuiſſe exiſtimo ubi nunc *Rocca Priora*.

Lin. 46. ὅπι πόλιν Βιεϛῶνα] An Verrugó? de qua ſupra pag. 774.

Pag. 781. lin. 17. *Occupaſſe caſtellum*] munitiſſimum.

Lin. 30. *Poſtridie prima luce ad Corbionem.*] Ex omnibus hiſce locis certo affirmare auſim Corbionem fuiſſe, ubi nunc *Rocca Priora*. Virtonem autem vel Hortanam poſuerim, ubi nunc *Monte Fortino*. Hæc enim aptiſſima ſunt circa Algidum præſidia.

Pag. 782. lin. 14. Λίφλον] An eſt Ἄφίλον, quod Latinis Affile?

Lin. 50. *Excurſiones inde*] Ex hoc loco apparet Bolam fuiſſe, ubi nunc eſt *Poli* oppidum.

Pag.

Pag. 783. lin. 8. *Zagaruolo* .] Sed ~~falsò~~. Nam Lavici fuere ubi nunc *la Colonna* extat.

Lin. 20. *Tiberi* ....] IIII.

Lin. 23. *Carsulis*] Hoc iter male confusum. Nam Valeria & Sublacensis via omnino distinctæ erant, vt ex Frontino discimus.

Lin. 31. *Via Tiburtina*] Anastasius Bibliothecarius in vita Symmachi PP. viam Tiburtinam etiam ad vicum Variæ extendit, ubi Ecclesiam S. Petri in fundo Paniciano ab eodem Pontifice dedicatam scribit via Tiburtina ad XXVII. miliare. Cuius Ecclesiæ vestigia etiam hodie mille circiter passibus cis vicum Variæ conspiciuntur, ubi *S. Pietro Vecchio* dicitur.

Lin. 42. In Οὐαλερία] Errat omninò qui Variam cum civitate Valeriæ confundit.

Lin. 44. *De civitate Valeria* .] Puto barbarum scriptorem viam aut provinciam pro civitate accepisse, sed certum est civitatem Valeriam vel Valeriæ hic intelligi Marruvium caput Marsorum, cuius ruinæ adhuc nomen & Monasterium Sancti Benedicti retinent. Estque idem hoc Monasterium quod Benedictum IV. in domo paterna extruxisse scribit Anastasius. Insi-

gnes isthic inscriptiones extant, quæ MARRVBII civitatis Marsorum meminerunt.

Lin. 56. ---- *nam dicere certam*] ducere vivam in mss. legitur.

Pag. 784. lin. 1. *Transibat Carseolos*] Carseolorum situm & vestigia diu perquisita inveni & perspexi anno 1645. 12. Maij. In vmbilico planitei Carseolanæ ad lævam viæ Valeriæ Roma euntibus, uno circiter milliario ultra diversorium *del Caualiere* in colle leniter edito visuntur ruinæ, & vestigia huius nobilissimæ Coloniæ, quæ vulgo *Cività Carentia* nunc dicitur : à parte occidentali, ubi *Porta Romana* fuit, apparet mæniorum pars antiqui operis. A septentrionali latere apparent murorum, turrium ac substructionum vestigia ex ima valle subrecta. Ad ortum in colle paulo editiore veteris Ecclesiæ ruinæ apparent. Ad meridiem collis leniter in viam Valeriam descendens laterum ac cæmentorum reliquijs oppletus cernitur. A parte septentrionali aquæductus insignis reliquiæ apparent, quo riuus aquæ limpidissimæ prope *Valle in Freddo* scaturiens eò perducebatur. Distat à Cellis, quibus nunc Carsoli nomen datum m. p. 3. ab Arsula autem m. p. 4. vel potiùs v. quod intervallum exactè cum Itinerarijs convenit. Fuit

enim

enim hæc civitas ad Lapidem XLII. vel XLIII. hæc oculata fide mihi comperta. Ex his explicanda quæ aliorum relatione accepta inferiùs adnotavi.

Lin. 13. *Hodie oppidum est, &c. Arsule*] Falsum: neque enim Arsule in Marsis, sed in Æquicolis: Carseoli autem etiam nunc in Marsis visuntur ab adverso montis latere, unde nunc *le Celle Carsoli vulgò* dicuntur. Inde planities Vallis Toranæ *il piano di Carsoli*; eoque publica via per Arsulas ducit: Nam sic in antiquis donationibus vocatur is locus. Carseoli autem in trifinio territorij Tiburtini, Reatini & Marsicani siti erant, ut antiquæ donationis instrumentum docet. Meminit etiam horum D. Gregorius Magnus, qui Sabinis illos annumerat. Idem lib. 2. ep. 60. Carseolani patrimonij meminit, ubi Cardiolanum nunc editur, in mss. Vatic. Cartiolanum legitur.

Lin. 38. LAMINAE] Puto rectiùs locari ad Valeriæ & Sublacensis viæ divertigium Ferratæ circiter Rubianum, eo enim quinque sunt milliaria. Inde alia S. Arsulas, ubi lapis extat XXXVIII. unde porro IV. sunt m. p. Carseolos. Viæ autem Valeriæ vestigia apparent paulo ultra dictum divertigium sub Rubiano, scilicet pons anti-

qui operis, quem vulgo Stratonicum appellant inter 36. & 37. lapidem ejuſdem viæ.

Lin. 39. *Cantalupo*] Sunt duo tantum m. p. vel ut ſummum III. fuit autem hic locus ad primum divertigium viæ Valeriæ & Sublacenſis, ubi nunc diverſorium *la ferrata*,

Lin. 40. *SVBLAQVEVM villa*] Miror cur Sublaqueum villam tantum appellet, non oppidum : nam oppidum fuiſſe certiſſimum eſt, etiam ante tempora Neronis, cujus villa Sublacenſis dicta fuit ab oppido ; nam oppidum ſub lacubus poſitum eſt, villa autem ſuperiori lacui appoſita loco editiore, ut Sublacenſis niſi à vicino oppido appellari non poſſit.

Lin. 50. *Iuſsit*] Idem Frontinus lib. I. de aquæductibus : *Concipitur Martia via Valeria ad milliarium* XXXIII. *diverticulo euntibus ab Urbe Roma dextrorſus millium paſſuum* III. *villa Sublacenſi* (in via Sublacenſi, & ſic mss.) *atque ſub Nerone Principe primum ſtrata ad milliarium* XXVIII. *ſiniſtrorſus intra ſpatium paſſuum ducentorum finita ſubſtructionibus pene ſtatim ſtagnino colore præviridi*. Mox. *Idem Auguſtus in ſupplementum Martiæ, aliam aquã eiuſdem bonitatis opere ſubterraneo perduxit uſque ad Martiæ rivum, quæ ab inventore appel-*

pellatur Augusta. Nascitur ultra fontem Martiæ, cujus ductus donec Martiæ accedat efficit passus DCCC. Mox idem Frontinus: *Claudia concipitur via Sublacensi ad milliarium* XXXVIII. *diverticulo sinistrorsus intra passus CCC. ex fontibus duobus amplissimis & speciosis, Cærulo, qui à similitudine appellatus est, & Curtio. Accipit & eum fontem, qui vocatur Albudinus.* Paulo post: *Anio novus Sublacensi via ad miliarium* LXII. (veteri editione XLII.) (& hoc verissimum) *in suo rivo excipitur ex flumine, quod cum terras cultas circum se habeat soli pinguis, & inde ripas solutiores turbulentum fluit.* Iungitur ei rivus Herculaneus oriens eadem via ad milliarium XLIII. e regione Fontium Claudiæ trans flumen viamque natura purissimus: sed mixtus gratiam sui splendoris amittit.

Pag. 785. lin. 16. *SVBLATIVM*] In medij sæculi donationibus & instrumentis Sublacianus & Sublacianensis gentile sæpiùs legitur.

Lin. 19. *Mons Carbonarius*] Montis Carbonarij mentio habetur in Actis S. Cæsidij hodie dicitur *Monte Labrone* supra Transaquam.

Lin. 21. *Iter id inter Carseolos*] Quinimo confusa est via Valeria & Sublacensis, & loca ab se invicem divulsa, ut supra

pag. 783. oſtendi.

Lin. 29. *TREBANI*] Et ſic in donatione Rimanni facta Sublacenſi Monaſterio anno 1053. *Caſtellum quod vocatur Trebana*] In alia, anno 979. *Territorium Trebanenſe*.

Linea 32. *Oritur Anio*] Fontes Anienis uno miliari paulo ampliùs ſupra Trebam viſuntur: Nam iſthic fluvius naſcitur fonte maximo, vulgo *Pertuſo* dicto. Sed excipit ſtatim rivum aquæ, qui longiùs à *Fellettino* deſcendit quaſi III. p. m. plus minus.

Lin. 33. *Docti viri legere malunt Auguſtam*] ſic omnes mss. Codices Frontini legunt.

Lin, 43. *Treblis XI.*] Scribe XX. vel XXI, nam hodie XVII. m, p. numerant Trebani, qui hoc itinere, ut rectiſſimo Romam petunt. Sequens iter, quo Treba Carſeolos ducitur, plane falsum eſt. Neque enim ulla iſthuc via eſt, niſi quæ per Sublaçum & Cervariam tranſit XX. miliaribus, ut minimum, & qui loca ipſa inſpexerit, non facilè credat Romanos iſthac iter tenuiſſe. Puto lineam hanc potiùs conjungendam cum Marrubio, ubi interruptus conſpicitur itineris ductus: atque ità intervalla rectiùs quadrant, ſi tamen Marrubium eo loco ſitum eſſet, ubi Cluverius ponit.

Lin.

Lin. 47. *Ideoque credibile*] Imo certissimum est. Eadem, ni fallor, in libello de Colonijs S. Iulij Frontini Trebula appellatur. *Trebula*; inquit, *municipium oppidum. Ager populo non debetur: limitibus Augusteis inter nominibus est assignatus*. Nam municipium fuisse testantur antiquæ inscriptiones isthic repertæ, tum maxima antiquæ magnificentiæ vestigia, templorum, murorum, columnarum, cryptarum, & fornicum. Sane in duabus inscriptionibus Decurionum fit mentio, ut dubitare non liceat quin de hisce accipienda sint verba Livij lib. x. *Arpinatibus, Trebulanisque civitas data L. Genucio. Ser. Cornelio Cos.* hoc est anno V. C. CCCCL. sive ante Christum natum CCCI. In alia inscriptione quæ ibidem in area publica visitur. A. TITIVS. L. F. M. VERGILIVS. M. F. CENS. D. S. S. Tum vero Episcopatus dignitatem aliquandiu obtinuit, qui postea Anagnino conjunctus fuit. Attamen hæc Frontini & Livij loca potiùs de Trebula Mutusca accipienda judico, de qua superiùs suo loco ad pag. 683.

Pag. 785. in fine.] Damasus Carseolano in agro Lavinam Massam reponit.

EX

EX LIBRO TERTIO.

Pag. 820. lin. 37. *Gallicano*] Falsum.
Lin. 42. *Osteria*] *dell' Algido*.

Pag. 864. lin. 37. *Capenam*] Cœlimontana emittebat viam Campanam. Exibat à porta Latina. Malè intellexit locum Strabonis, qui extat infra pag. 947.

Lin. 38. *Divi Laurentij*] Hæc omnino perturbata sunt: Nam Porta Nævia sine dubio est *Porta Maggiore*, vnde Lavicana & Prænestina incipiunt. Tiburtina autem via exibat *Porta Esquiliana*, quæ vulgo Porta S. Laurentij; ut Viminali sive D. Agnetis Nomentana.

Pag. 859. lin. 23. *Grammaticum esse puto nugamentum*] Nimis quam temere locum hunc elevare conatur, cùm etiam hac die lucus ille ad Salariam viam prope Allianum fluvium extet paulo supra Marcilianum vetus sive Crustumium. Sed Cluverius Alliæ situm, verumque cladis Romanæ locum ignorabat.

Pag. 871, lin. 12. *Auctor Olympiadum*] Est Iosephus Scaliger.

Pag, 872. lin. 25. *Veterum murorum*] Et aquæductuum.

Pag. 874. *Ergo &c.*] Ita adhuc hodier-

no

no tempore ſiniſtrum oſtium minime ſubiri poteſt, ſed dextrum tantum, quod vulgo *Fiumicino* vocant; ideoque portum immenſo ſumptu & opere ad hoc oſtium priſci Cæſares conſtruxerunt: & nunc in ejuſdem oſtij conſervatione multum laborant ſummi Pontifices.

Pag. 877. *Hic Scholiaſta erravit*] Horatius ſine dubio intellexit portum Ravennatium ab Auguſto extructum ad tutelam Claſſis ſuperi maris, de quo lib. 1. pag. 305. Neq; portus Oſtienſis expoſitus eſt Aquilonibus, ſed Auſtro potiùs, ut ex regionum & locorum ſitu apparet. Portus autem Ravennas directe oppoſitus eſt Septentrioni.

Lin. 55. *Pharum*] Rufus Feſtus Avienus in Prooemio Operis Aratæi ad Flavianum Myrmeicum.

Sic tua cuncta ratis plenis ſecet æquora velis
Spumanti cum longa trahit veſtigia ſulco:
Romuleique Phari fauces illæſa relinquat.

Pag. 878. lin. 7. *Romani portus, &c.*] Hic locus nil probat, & alter neceſſitate carminis, vel poëtica licentia exculari poteſt.

Pag.

Pag. 881. lin. 54. Ἐ'ςι &c.] Sic Livius pag. præcedenti.

Pag. 882. lin. 3. ὡς χάραξ] Dionyſius Halicarn. pag. 880. χάραγμα ab Æneà extructam Trojam dictam fuiſſe teſtatur. Neſcio an ejus locum reſpexerit & detruncarit Stephanus.

Lin. 16. *Ipſe*] ipſum [*Etruſcus*] Etruſcum.

Lin. 40. *Conſtitutum eſt*] Eſt haud dubiè *Porcigliano*.

Lin. 48. *Ab Antio, &c.*] Id ex Straboniis loco non colligitur, quin potiùs uſus loquendi contrarium probat; ſcilicet inter Lavinium & Antium fuiſſe Laurentum, quod omnino veriſſimum eſt.

Lin. 54. *Laurento* XVI.] XIX. edit Pariſienſ. X. Surit.

Ex hoc intervallo omnino videtur colligi Laurentum eſſe *S. Lorenzo*: nam medio itinere ſitum eſt inter Oſtiam & Antium. Tum Lavinium VI. mil. paſs. exacte abeſt ab eo loco, & quod certiſſimum eſt argumentum via Laurentina huc defert, & in maritimam illam ſeu littoralem incidit.

Lin. 55. *Lavinio*] Antiquiſſima editio Pariſienſis Suritæ legit Lanuvio, & ſic conſtanter omnes ms. quos Surita contulit.

Pag.

Pag. 883. lin. 3. *Quæ longius dissita*] Id falsum; nam directo itinere per viam Appiam veterem Tarracina Romam sunt LXIII. vel LXV. mil. pass. per anfractus littoris multo plura. Sane hic ex Plinij auctoritate LX. supputantur. Sed de his infra.

Lin. 17. *Haud dubie hic, &c.*] Fortè Patrica, quæ Laurentinæ viæ imminet.

Lin 20. *Milliario x.*] Hæc fulcra sunt, quibus opinionem semel conceptam sustentare nititur.

Lin. 24. *Media inter, &c.*] Hæc est ipsa Laurentina via, quæ ex Ostiensi paulo ultra secundum lapidem lævorsum deflectit, transit per locum vulgo *Decimo* dictum, qui haud dubiè olim decimus lapis fuit in dicta via Laurentina; ut ex intervallo nunc apparet. Inde inter *Porcigliano* & *Capocotta* versus mare procurrit per *Campo Selva*, ut vocant, cujus ductu verus situs Laurenti pervestigandus. Locus ille ad XII. fuit haud dubiè *Castel Romano*, vel haud procul inde dissitus. Decimi quarti lapidis meminit Plinius lib. 2. ep. 17. vnde in villam suam deflectebat. Fuit is haud procul à *Porcigliano*.

Lin. 29. *Qui perperam*] Hæc omnia ipse perperam suæ δόξῃ accommodat.

Lin.

Lin. 31. VI. *aut* VII. *millia*] Ita Lauren. tum exactè incideret in Paternum, ſed omnino certiſſimum eſt Paternum olim Plinij Iunioris villam fuiſſe, quam ipſe elegantiſſime & copioſe deſcribit lib. 2. ep. 17. Ipſe Cluverius hæc loca planè non inſpexit.

Pag. 885. lin. 53. *Eſt via*] Plin. lib. 2. epiſt. 17. in deſcriptione villæ ſuæ.

Pag. 887. lin. 28. *LAVROLAVINIVM.*] Fortè quod tum duo oppida in vnum contracta eſſent, & ſic ipſe pag. ſequenti judicat. Sed aliter Servius infra pag. 899. Vel quod Lavinium in agro Laurente, Nam ex ſequenti loco Servij, vel potiùs Catonis apparet LauroLavinij nomen de ſolo Lavinio accipiendum.

Lin. 36. *Lavinium conſtat* VIII.] Leg. IIII.

Pag. 888. lin. 14. *Et Cività Indovina*] Delend.

Lin. 16. *Suſpicari hinc licet*,] Optimè.

Pag. 890. lin. 41. *Intelligit Campaniam ſui ſæculi*] Quæ nunc vulgo *Campagna di Roma*. Sic in Actis Concilij Romani ſub Agathone ſubſcribit Placentius Epiſcopus Veliternus provinciæ Campaniæ. Hinc in multis antiquis donationibus & inſtrumentis medij ſæculi Territorium

Cam-

Campaninum pro Latio legitur.

Pag. 893. lin. 40. *Lavinium oppidum*] Ex hiſce locis omnibus certo apparet Lavinium olim fuiſſe in eo colle, qui nunc vulgo *Monte di Levano* MIO. paſs. ſupra Patricam.

Pag. 894. lin. 43. *Conſpicitur fanum, &c.*] Imo paulo ſuperius ubi veteris appellationis veſtigia ſuperſunt in *Monte de Levano*. Nam S. Petronellæ fanum ipſi Numicij fonti appoſitum haud dubiè olim Annæ Perennæ templum fuit.

Pag. 895. lin. 19. *Ardea*] Et adhuc ad utramque amnis ripam ſilvæ extant, qua ſe in mare exonerat.

Pag. 897. lin. 32. *Sacellum Divæ Petronillæ*] Fuit in colle vicino, qui vulgo *Monte di Levano* dicitur, ut iam ante monui.

Lin. 47. *Nam intervallum CL.*] Atque hoc manifeſtum eſt ſignum corruptæ vocis, & omnibus in mss. Græcis vel leviter verſatis notum eſt ϛ. ſeu v. facile cum v. vel υ. confundi. Itaque nollem tam ſupinum errorem in ipſum Appianum temerè conferri.

Pag. 898. lin. 35.] καὶ τὰς ἱερωσύνας] Hinc intelligendæ Inſcriptiones ſupra pag. 888. de Sacerdotibus Laurent. Lavin.

Pag. 899. lin. 31. *Fanum Veneris*] De hoc

hoc puto accipiendum locum Solini pag. 897. ſub finem.

Lin. 36. *Neglectaque tellus*] Puto Herculaneum deſtructum intelligi.

Pag. 900. lin- 7. *Heic ſane ſuſpicari licebat*] Mihi non ſit vero ſimile.

Lin. 35. *Vides ergo, &c.*] Reliquum oræ maritimæ, inf. pag. 986.

Pag. 901. lin. vlt. *At unus hoc tradit Livius*] Nulla prorſus inter auctores diſſentio. Nam Livius intelligit totum illud montis jugum editiſſimum, quod vulgo *Monte Cavo* dicitur. Cæteri Auctores intelligunt pedem ſeu tractum inferiorem montis, in cujus dorſo porrecto Alba condita fuit, inter Caſtellum Gandolfi ſcilicet & Eccleſiam Capucinorum.

Pag. 902. lin. 25. *Apud Montem*] Ad montem.

Lin. 35. *Ad orientalem lacus ripam.*] Quinimo ad meridionalem in longo illo dorſo, quod ſupra Caſtellum Gandolfi porrigitur; in quo poſtea Domitiani villa maxima fuit. In cujus ruderibus nunc viſuntur duo Franciſcanorum Monaſteria, & Præfecti Vrbis villa.

Lin. 39. *Sub Albano monte*] Sic Dionyſ. Halicarn. Περὶ ὄρεα. & alius multò clarior infra pag. 906. ὄρος ὑψηλὸν, ὃ τῆς Ἀλβανῶν

ὑφηφίου πόλεως.

Lin. 45. Ἀλβανὸν οἶνον] Albanum vinum.

Pag. 903. lin. 24. *Veſtæ Templum, &c.*] Et Domitiani Imperatoris villa in ruderibus extructa fuit, cujus nunc veſtigia maxima in toto illo jugo viſuntur, in quibus Excellentiſſimi Principis Præfecti horti extructi.

Pag. 904. lin. 13. *Conſedit*] Conſediſſe.

Pag. 905. lin. 28. *E lacu perrupto dorſo, quo ab*] Meridie, & [*Occidente, &c.*

Lin. 37. *Albanæ aquæ.*] Sic vetus Inſcriptio, quæ Marini in hortis Illuſtriſſimi Domini Ioannis Columnæ viſitur, AD. RIVOM. AQVÆ. ALBANÆ. Nam vallis inter Tuſculum, & Albanum montem Albana vocabatur, ut infra pag. 912.

Lin. 46. *Inciſuræ tenue quoddam veſtigium*] Quinimò emiſſorij maximi, & plane ſtupendi operis veſtigia viſuntur ad partem Meridionalem ſub ruderibus villæ Domitiani, in quibus nunc eſt Cœnobium Franciſcanorum, opus ſane, ſi quod aliud, ſpectatu & admiratione dignum; ob cuniculum per montis viſcera ad M.D. paſſus actum, quo aqua ad Molendini continuum uſum emittitur, tum etiam ob ſubſtructiones elegantiſſimas ex lapide quadrato Albanenſi in formam caſtelli ſive ciſternæ

cum arcu Dorici operis. Haud procul à dicto emiſſorio verſus Septentrionem viſuntur cryptæ ingentes fornicibus muriſq; lateritijs ſuffultæ cum aliquot labris, è vivo ſaxo exciſis, quibus perennes frigidarum aquarum fontes colliguntur. Totus locus templi ſive fani ſpeciem præ ſe ferre videtur, quem Nymphis conſecratum fuiſſe exiſtimo. Cingitur mole lapidea ex ingentibus ſaxis quadratis, quæ ad CCC. paſſus integra fere adhuc ſub undis conſpicitur: pars etiam ſuper undas eminet; eò præſertim loco ubi ima collis ejus in quo arx Caſtelli Gandulfi extructa eſt crepido promontorioli in ſpeciem longius in lacum excurrit, ubi veteris villæ, ſive ædificij veſtigia maxima detecta, & multa antiquitatis monumenta effoſſa inſpexi anno MDCXXXV. præſertim duas elegantiſſimas Nympharũ ſtatuas, quę fontis uſum præſtiterunt. Vt taceam tabulas ſecti marmoris & capitella columnarum, quæ in ijsdem ruderibus conſpiciuntur. Puto autem partem fuiſſe & hanc magnæ illius villæ Domitiani Cæſaris, quæ in ſuperiori Albani collis iſthmo extructa lacui hac parte imminebat.

Pag. 906. lin. 24. ἐν Ἰταλίᾳ τόπῳ] An potiùs λόφῳ? Sed nil temere mutarim.

Pag.

Pag. 907. lin. 34. *In ſummo id fuiſſe montis iugo.*] Idemque apparet ex veſtigijs antiquitatum. Nam via antiqua ſilicibus ſtrata uſque ad ſummum jugum perducit, In quo veteris templi veſtigia apparent, tum ciſternæ ex viuo ſaxo exciſæ. Quinimo tota planities ſupremumque jugum montis muro ex prægrandibus quadratis lapidibus cinctum fuiſſe ex veſtigijs maximis apparet.

Lin. 46. *Cicero diſtinguit, &c.*] Optimè.

Pag. 908. *Arcem Albanam.*] Fuit haud dubiè arx in tumulo eminentiori, ubi nunc Caſtellum Gandulfi. Quo loco olim Regiam Albanorum fuiſſe colligo ex Auctore de Origin. Gent. Rom. ex Aufidij Epitome. Vbi Tremulum Silvium terræ motu ſimulque cum eo Regiam in Albanum lacũ prolapſum refert: nam ſub hac arce margo lacus admodum eſt præceps.

Lin. 22. *Forum Populi.*] Puto fuiſſe eo in loco, ubi nunc *Rocca di Papa*. Nam in ſummo monte locus opidulo non fuit. Sed Cluverius forum Populi ſive Popilij ex Falerno in Albanum montem transfert, ex male diſtincto maleque intellecto loco Plinij. Ibi enim legendum: *Fabienſes in Monte Albano, Foropopilienſes ex Falerno*. De hoc Foro Popilij notavi ad pag. 1182.

Lin. 34. *Forenſis habet*] Fortè Curenſis habet.

Lin. 40. *Cur minùs rectè*] Imò rectiſſimè.

In Margine : *Domus Conſulum in Albano monte*] Hæc domus eo loco fuit, ubi nunc palatiolum extat, quod & loci vicinitas, ſituſque oſtendit, tum inter alia antiquitatum monumenta, faſces Conſulares vivo lapidi inciſi prope ipſum Monaſteriũ Franciſcanorum, circa quod cryptæ, nymphæa, fontes, & aquæductus mirabili opere exciſi ſpectantur.

Pag. 909. lin. 1. *Opidum*] Epiſcopale [*euaſit*.

Pag. 910. lin. 4. *Aricia* III.] Scrib. VI.

Lin. 5. *Sub Lanubio* ...] Scrib. III.

Lin. 7. *Tres Tabernas* ...] Scrib. VII. [*Tribus Tabernis* XVII.] Scrib. X.

Lin. 12. *Hodieque* XII.] Sed ſunt XIII. m. p. Romana cum dimidio. Ariciam autem ſunt XV. m. p. iuſtiſſima.

Pag. 911. lin. 37. *Quaque iter eſt, &c.*] Intelligit viam illam antiquam ſilicibus ſtratam elegantiſſimi maximeque ſolidi operis, quæ ex Alba ſupra Palatiolum ad ſummum montis jugum commodiſſimo aſcenſu perducit. Cuius viæ pars magna apparet paulo ultra templum, hortumque

Cap-

Cappucinorum, in ea via quam Vrbanus VIII. P.M. ex Caſtello Gandulfi ad Aricinum nemus, *La Faiola* vulgo dictum aperuit. Principium ſumebat hæc via ex Appia ad Albanum oppidum, ut ex ductu, veſtigijsque apparet.

Lin. 55. *Viam intelligit Latinam*] Ego contra ſentio Tuſculanam, & Albanam viam intelligi. Nam Tuſculanæ viæ veſtigia maxima apparent ſub Fraſcati, tum ſuperius in monte Tuſculano, ubi Tuſculum antiquum nonnulli fuiſſe exiſtimant. Albanæ viæ etiam veſtigia extant, uſque ad ſummum jugum montis, in quo Templum Iovis Latiaris fuit. Tum alia tranſverſa Alba Tuſculum perducit, cujus veſtigia paſſim apparent. Tum maximè in via Latina paulo ſub Crypta Ferrata. Vide & Dionyſij Halicarn. locum infra pag. 946. Via autem Tuſculana deflectit ex Latina ad X. ubi villa Cenciorum *Le Morene*.

Pag. 912. lin. 4. *Albana*.] In Margine; *Albana vallis*.

Lin. 6. *In Albanam vallem*] Hinc appareret abſurdam eſſe opinionem eorum, qui *Grotta Ferrata*, ſeu Cryptam Ferratam Tuſculanum Ciceronis interpretantur, quod ad dextrum viæ Latinæ latus ſub Albano

monte, non in Tuſculano ſitum eſt.

Hinc Aqua ad Marinum defluens, RIVVS ARVAE ALBANAE dicitur in veteri inſcriptione ſup. pag. 905.

Pag. 913. *Vulgo il Coliſeo*] Viſuntur ibidem inſanæ ſubſtructiones, porticus, fornices; Vnde apparet villam fuiſſe longè maximam, in cujus ruderibus nunc extructum eſt Monaſterium Franciſcanorum, tum Excellentiſſimi Præfecti Vrbis villa cum horto. Et complectebatur hæc villa Domitij totum illud dorſum montis, in quo olim Alba longa fuit.

Lin. 34. *Prædium heic*] Saltem aquam ad irrigandum prædium, haud dubiè ex villa Domitiani derivatam.

Pag. 914. lin. 34. ὁ Ἄλβας τῶν Γαλλῶν μητροπόλεως] Hic locus nequaquam intelligendus eſt de Alba ſeu Albano propè Romam, ſed de Alba Pompeia Liguriæ: nam eo tempore Italiæ nomine proprie vocábantur provinciæ quæ Præfecto Prætorio Italiæ parebant, & hoc nomine diſtinguebantur à cœteris, quæ ſub Præfecto Vrbis erant, quod alijs multis exemplis ex D. Athanaſio alijsque Concilijs Eccleſiaſticis allatis eruditiſſimè probavit Iacobus Sirmondus lib. de Suburbicarijs.

Lin.

Lin. 45. *Albanum*.] Immò iam ante hæc tempora Gregorij M. epiſt. xi. lib. 3. extat Ordini & plebi conſiſtenti in Albano ſcripta, qua ſe hominem bonum Epiſcopũ ipſis ordinaſſe ſcribit. Et eod. lib. cap. 39. Andreas Albanenſis Epiſcopus ſubſcripſit. Et lib. 4. epiſt. 44. Homobonus Epiſcopus Albanenſis ſubſcripſit.

Pag. 915. lin. 15. *Pedanij errorem*] Leviſſimus ſane error: nam prædia illa & villæ proxima erant ipſi Albæ. Quod & ipſe pag. 918. teſtatur.

Lin. 22. Ἀλβανὸν οἶνον] Albanum vinum.

Lin. 48. *Non ejuſdem bonitatis*] Ergo ſterilem nunc & effetam naturam credis? Non ego.

Lin. 53. *ſup. lib. cap. x.*] Pag. 719.

Lin. 54. *dictum eſt*] Anno Chriſti 1632. cùm Illuſtriſſimus D. Ioannes Columna Patriarcha Conſtantinop. hortos ſtrueret, & villam amœniſſimam ſub Marino, repertus fuit lapis antiquus, quo Decuriones municipij locum honoris cauſa dederunt M. Iulio Silani L. Monimo extra portam Medianam, &c. ex qua Inſcriptione colligitur certo municipium fuiſſe eo loco, ubi nunc Marinum, quod Iulij Frontini Cerete Marianum fuiſſe credunt.

Pag. 916. lin. 29. *Ad 40. ab Vrbe ſtadium*] hoc eſt v. mil. paſſ.

Pag. 917. lin. ult. *Iam antea dixi* XII.] XIII. cum dimidio eſſe accurata dimenſione mihi compertiſſimum eſt. Vnde ipſius oppidi longitudo, & reliquum viæ Ariciam uſque alterum milliare cum dimidio XV. iuſta milliaria Romana efficiunt.

Pag. 918. lin. 4. *Corrupta ſunt*] Ego omnino exiſtimo Bovillas fuiſſe eo loco, ubi nunc eſt diverſorium *Li Fratocchi* dictum, ubi Appia via ex planitie agri Romani in collem Albanum aſcendere incipit. Hic paſſim ædificiorum antiquorum veſtigia ad utrumque viæ latus conſpiciuntur. Inde vno miliari verſus Romam tumuli ingentes ſepulchrorum extant, quorum uni turris rotunda inædificata cernitur. Exit hinc divertigium viæ veteris verſus viam Latinam; vnde colligo hunc locum eſſe Itinerarij Hieroſolymitani ad IX. m.

Confirmat hanc meam ſententiam, quod ad dictum diverſorium *Fratocchi* divertigium veteris viæ ſilicibus ſtratæ ex Ardeatina incidit, quam ego à prædio Falconiano Barberinæ familiæ continuo ductu huc uſque pertingere obſervavi.

Lin. 24. *Circa Albæ Longæ rudera*] Totum hoc

hoc latus montis repletum fuit olim villis prædijsque ſumtuoſiſſimis; ut ex veſtigijs apparet, & ex tribus quatuorve divertigijs ex Appia recta huc tendentibus, quorum veſtigia obſervare licet in via illa umbroſa, quæ ex Caſtello Gandolfi Albanum ducit, quam vulgo Galeriam ſive Xiſtum vocant.

Lin. 28. *Bonæ Deæ ſacellum*] Puto veſtigia huius ſacelli extare medio circiter milliari ultra dictum diverſorium *Li Fratocchi*, ubi primum aſcenſus incipit clivi Albani.

Pag. 919. lin. 10. *Vicellenſes*] Leg. Lavicanos.

Lin. 27. *Adverſos magna vi. &c.*] Hæc Bovillis viæ convenire poſſe exiſtimo; & hoc ipſe Cluverius obſervavit: nam Bovillæ in planitie ſitæ fuerunt.

Pag. 920. lin. 27. *Cardo.*] Leg. Carbo.

Lin. 33. *CLX. Stadia*] Strabo. haud dubiè ſcripſerat ἑκατὸν .... nam ſtadia cxx. exactiſſimè xv. mil. paſſ. conficiunt.

Lin. 41. πρὸς τὸ Νέμος] Cum ipſam Ariciam xv. m. p. Roma diſtare conſtet, minùs recte Philoſtratus Nemus xv. m. p. Roma abeſſe ſcribit, diſtat enim 111. p. m. Aricia oppidulum Nemi. Itaque locus hic de ipſa Aricia intelligendus. Si autem po-

posterioris ævi more VIII. stadia cum dimidio singula milliaria computes, erunt m. p. XVI. quem Itineraria, & mox Lucanus refert.

Lin. 46. *Millia haud amplius* XIII.] Malè creditur conjecturæ & opinioni vulgi.

Pag. 921. lin. 41. *SCYTHICAE*] Sive LVCVS DIANIVS, ut Cato lib. 2. Originum eum vocavit apud Priscian. lib. 14. Locus insignis, quem infra pag. 931. annotavi. Vnde apparet LVCVM Dianæ distingui à toto nemore Aricino.

Pag. 922. initio;

Virgil. Æneid. VII.

Contremuit nemus, & sylvæ intonuere profundæ.
Audijt & Triviæ longe lacus.

Vbi Servius: Nemus locus haud longe ab Aricia, in quo lacus est, qui speculum Dianæ dicitur, & Triviæ lacus, hic est qui Dianæ speculum dicitur. Sed, quod pace Grammatici illius dictum velim, satis ineptè & contra Poëtę mentem Nemus in quo Iulus venabatur ex littore in mediterranea transfert, indeque opidum hoc nobis extruit, vel potiùs cum Nemorensi opiduló confundit, cum Poëta posteriori versu Triviæ lacum longe ab isto Nemore abfuisse clarè ostendat.

Lin.

Lin. 20. καὶ μίαν] λίαν.

Lin. 25. ὄρος] Leg. Νέμορ. Error ex præcedentis vocis ultima litera natus, quæ primam huius absorpsit. Et sic rectè Cluverius pag. seq.

Lin. 39. εἰς Τ Λανούβιον] Multo minùs hæc correctio ferenda, quàm prior illa Casauboni. Neque enim Appia via Lanuvium tendit, sed sub Lanuvio ducit, ita-ut nomen Lanuvij nullo modo hic inferciri possit. Strabò Τ Ἀρτεμίσιον Νέμορ. manifestè distinguit ab eiusdem Aricinæ Dianæ templo. Erat enim lucus ille Dianius pars non exigua Aricini nemoris. Hic lucus ad sinistram imminet ex Aricia ad fanum Dianæ ascendentibus. Itaque simpliciter legerem τοῖς ἐξ Ἀρ. ἀναβαίνουσιν εἰς Τ δ Ἀρτεμίνης (vel potiùs Ἀρτέμιδος) ἱερόν. Intelligit autem amœnissimam illam silvam, quæ in summo colle adhuc extat, ubi per Virbij clivum ascenderis, per quam silvuam etiam nunc vetus Appia ducit, in quo magna sepulchrorum aliorumque ædificiorum conspexi vestigia. Vel legerem: δ ἐξ Ἀρτείας ἀναβαινούσης ut apud ipsam viam referatur; quod præcedentibus rectiùs respondet verbis, posterius illud ἔστι δ' Ἀρτέμιδος Τ ἱερὸν omnino probo: nam etiamnum via silicibus strata supereſt,

quæ

quæ ab Aricia ad templum illud ducebat.

Pag. 923. lin. 13. *Velitras*] Velitræ ſub Algidi radicibus ſitæ ſunt, qui mons ab Albano omnino diſtinctus.

Lin. 30. *Nemorenſis ab unda*] Et Vetus inſcriptio ibidem reperta.

Lin. 47. καὶ μία ὑλλη] ἡ λία ὑλλη.

Lin. 50. *Ergo fanum*] Fuit omnino, quod facile cognoviſſet Cluverius, ſi de proximo inſpexiſſet veſtigia Templi, quæ ſtupenda ſane etiam nunc in imo fundo extant ad ſeptentrionalem lacus partem, ubi nunc nobiles Frajapani huius loci Domini hortum habent, & ſtatuas, aliaque antiquitatis monumenta erui curant.

Pag. 925. lin. 43. *Divum Capitolinum*] Leg. Clivum Capitol.

Pag. 926. lin. 18. *In inſulam*] Sic paſſim auctores inſulas vocant peninſulas, ut ad Stephanum notavi.

Pag. 931. lin. 11. *Ab Aricia*] Ad nemus lacumque Dianæ aſcendentibus.

Lin. 16. *Dignus, Aricinos, &c.*] Huius clivi mentio extat apud Valerium Max. lib. 8. cap. 3. *Quidam*, inquit, *furti damnatus eſt, quod equo, cujus uſus illi uſque Ariciam commodatus fuerat, ulteriore eius municipij clivo vectus eſſet.*

Lin. 19. *Sive à primis Latinis*] Cato lib. 2.

Orig.

Originum ex Prisc. libro 14. *Lucum Dianium in nemore Aricino Ægerius Lesbius Tusculanus dedicavit . Dictator Latinus* . Hi populi communiter Tusculanus , Aricinus, Lanuvinus, Laurens , Coranus , Tiburtinus, Pometinus, Ardeatis, Rutilus. Locus sane insignis .

Lin. ultima *Vti molas*] quatuor aut quinque .

Pag. 932. lin. 22 *Adquæ ita vetus*] Fuit ad lævam partem Appiæ paulo ultra primum ab Vrbe miliare fons etiam nunc conspicuus, vulgo *La Caffarella* dictus, quod ad familiam Romanam eius nominis pertineat cum adjacentibus pratis . Aquam huius fontis omnium Romæ saluberrimã habitam fuisse ex Vitruvio apparet lib. 8. cap. 3. principio . Sunt etiam nonnulli fontes calidi , ex quibus profluit aqua sapore optimo, quæ in potione ita est suavis, ut nec Fontanalis ab Camænis , nec Martia Saliens desideretur .

Pag. 935. lin. 45. *Tribus Tabernis* XVII.] Leg. VIII.

Lin. 46.....] Appi foro .

Pag. 936. *Vltra eam sita est*] Imminet eidem .

Pag. 940. lin. 17. Λαβινίῳ] Legendum sine dubio Λαβίνῳ .

Lin.

Lin. 25. *Ficana*] Fuit ergo Ficana in colle illo qui mil. paſſ. ultra diverſorium malæ fidei ſitus, magna antiquorum ædificiorum veſtigia ſervat, unde recta poſtmodum via per ſilvam Oſtienſem protenditur Oſtiam uſque duobus circiter paſſuũ millibus.

Pag. 941. lin. 1,] Ad marginem. CANENS *locus*.

Lin. 26.] In margine. *Tuſculum oppidum*.

Lin. 54. *Plantis atque, &c.*] Hortis ſive villis.

Lin. 55. *Tuſculum habet collem*.] Situm eſt in colle, &c. Nam ex hoc loco maxime apparet Tuſculum planè eodem in loco fuiſſe, ubi nunc eſt Fraſcati, non autem in ſummo montis jugo, ubi rudera & veſtigia maximorum ædificiorum conſpiciuntur, ubi vulgo vetus Tuſculum fuiſſe creditur. Quam opinionem Cluverius pag. ſequenti etiam amplectitur. Sed ſi locum ipſum propius inſpexiſſet, aliter ſanè iudicaſſet. Nam ego diligenti perluſtratione comperi villam priuatam eo loco fuiſſe, non oppidum. Tum ſitus ipſe repugnat: nam locus ille quamvis & Romam, & vallem Albanam proſpiciat, magis tamen in hanc partem vergit, ubi ingentium for-

fornicum ſubſtructiones viſuntur. Romam verſus extat theatrum, ſed & illud privatum potius quàm publicum, ut ex magnitudine apparet. Tum verò diſtantia & intervallum repugnat. Nam veſtigia illa non XII. ſed XV. ut minimum vel XVI. m. p. abſunt ab Vrbe Roma. Tum Strabonis deſcriptioni ſitus ille repugnat, quippe cui ex proximo cacumen montis ſaxoſum & aſpectu horridum imminet. Neque vero aquarum copia huic loco convenit, ſed ipſi oppido Freſcati. Vnde facilè apparet hunc levem & popularem eſſe errorem, non veram & probabilem ſententiam.

Pag. 942. lin. 7. *L'Oſteria*] *Del Algido*.

Lin. 21. *Quæ ſuper*] Leg. quæ per [*tendit ad.*] Leg. deſcendit ad, &c.

Pag. 944. lin. 18. *Debellat*] Funditus tandem Tuſculum antiquum diruit & exſcidit Henricus . . . . . Imperator anno Chriſti, ut teſtatur.

Pag. 946. lin. 12. *Ad Prænestinam, &c.*] Lavicanam viam cum Prænestina confundit, nam quæ ſub Colonna tranſit, non Prænestina, ſed Lavicana eſt via. Error inde natus quod Cluverius ipſe, ut nunc vulgò omnes faciunt, Prænestæ Romam petens ex Prænestina in Lavicanam divertit. Lacus autem ille Regillus ad XIV. fer-

ferme lapidem ipſi viæ Lavicanæ de pro-
ximo imminet ad ſiniſtram Roma eunti-
bus Lavicum hoc eſt ad Columnam. Nam
id Lavicum olim fuiſſe pag. ſeq. oſtendi.
Sed in hoc quoque fallitur, quod exiguum
illum lacum, qui ſub Columna tumulis
amphitheatri in ſpeciem includitur, cum
lacu S. Praxedis confundit. Cum iſte
Lavicanam viam proxime attingat; alter
autem ille S. Praxedis ſitus ſit ad Præne-
ſtinam viam ſiniſtrorſum Roma euntibus
Prænesſte. Sed lacus ille S. Praxedis, ſive,
ut nunc vocant *Il Lago di Caſtiglione*, non
in Tuſculano, ſed in Gabino agro haud
dubiè erat. Vnde rectiùs quis lacum illum
parvum ſub Columna Regillum exiſtimet.
Et lacus ille S. Praxedis in antiquis mo-
numentis Chriſtianorum Lacus Gabinus,
& Lacus Burranus appellatur.

Lin. 15. *Eſt Lacus*] Non vidit lacum
Cauæ ſive Algidi ad ſiniſtram viæ Latinæ
Roma euntibus, quamvis ille non natura,
ſed arte factus ad uſum molarum; nequa
lacum Sancti Iuliani poſt Algidum mon-
tem.

Lin. 52. *Via hæc Tuſculana, &c.*] Imo
divertigium. Vide ſupra pag. 911. quod
& ipſe agnoſcit.

Lin. 55. *Sed itinere*] Inter Latinam &

Lavicanam fuit via Campana ; ſed hæc à poſterioribus ſemper confunditur cum Latina, quamvis adhuc hodierno tempore diverſæ ſint : nam Latina à Porta ejuſdem nominis incipiebat, ducebatque in Latium, Campana ab Eſquilina porta ducebat in campos Suburbicarios, vel forte quod in Campaniam duceret. Adv. lapidem viæ Campanæ fuit lucus Deæ Diæ, cujus meminit vetus Inſcriptio apud Gutherium de iure Manium pag. 19.

Pag. 947. lin. 3. *Ad Quintanas XV.*] *L'Hoſteria della Collonna.*

Lin. 4. *Ad Statuas* III.] *S. Ceſale.*

Lin. 5. *Ad Pactas* VII.] *Li Quadri.*

Lin. 6. *Ad Birium . V.*] *S. Hilario.*

Lin. 7. *Compito Anagnino X. L'Hoſteria d'Anagni.*

Lin. 13. *Ad Decimum X.....*] Ad Decimum X.

Lin. 14. III.] Ad Pictas XVI. leg. nam à Pictis ad Bivium quinque millia paſſuum ſunt exactiſſima.

Lin. 15. *Ad Pictas XVII.*] XIIII. leg. XIII. Nam à Burghetto ad diverſorium *del Fico* I. eſt miliare. Inde IV. ad diverſorium Molaræ. Inde IV. ad Cavam Algidi. Inde 2. ½ ad diverſorium de *mezza Selva* : inde I. ½ ad conjunctionem La-

tinæ & Lavicanæ vulgo *li Quadri*. Ibi enim Pictas iſtas Tabernas fuiſſe certum eſt.

Lin. 28. *Incipit*] Hoc certiſſimum, ſed incipit in ipſa vrbe Roma ſub thermis Antonini, bivium illud hoc tempore eſt ad Eccleſiam S. Cæſarij, ubi olim templum Romuli & Remi.

Lin. 33. *Procedit ad CXX. ſtadia*] mil. paſſ. xv.

Lin. 34. *Hoc eſt Tuſculum, &c.*] Ex hoc Strabonis loco, & ex itineris ductu, nemo ſanæ mentis dubitare poterit quin Labicum nunc ſit *la Colonna*, quod ad xv. lapidem viæ Lavicanæ proximè à dextris imminet. Supra quod deinde Tuſculum ad 3. vel 4. m. p. recedit.

Lin. 34. *Zagaruolo*] Error inde doctis viris, & ipſi Cluverio oritur, quod hoc tempore Prænestina & Lavicana via ferme confundantur. Nam qui Prænestè Romam hoc tempore petunt, ubi Prænestina via proceſſerunt ad m.p. duo circiter, relicta Prænestina, inde divertigio in Lavicanam tranſeunt ad miliarium decimum octavum ad diverſorium vulgo dictum *S. Ceſale*. *Zagaruolo* autem ad ſiniſtram Lavicanæ viæ ſitum eſt, quod eſt manifeſtè contra Strabonis mentem.

Pag. 948. lin. 29. *Nunc Zagaruolum*]

Co-

Columnam.

Lin. 48. *Prænestini quoque v. tantum millia*] VIII. si veterum Itinerariorum rationem sequamur.

Pag. 949. lin. 30. *Cognominari potuisset*] Certissimum est fuisse eo loco ubi nunc diversorium publicum sub oppidulo Columna sive veterum Labicis.

Lin. 33. *In diverticulo, &c.*] Locus ille est in via quæ ab Algido Valmontonem ducit III. m. p. cis dictum oppidum, vulgo *li quadri dictus*. Nam dicto loco vetus Labicanæ ductus conspicitur, qui à Columna veniens Anagniam pergit. Apparent ibidem magna veterum ædificiorum vestigia, quos vulgus Labicos fuisse existimat, & ex ejus loci ruinis Valmontonem constructum aiunt ante annos paulo amplius CCCC. Conspicitur ibidem diverticulum alterius viæ veteris, quod ex Latina huc in Lavicanam producitur.

Lin. 52. τὸ παρ' αὐτὰς τάχος] Intelligit Castrum Prætorium, quod est prope Esquilinam portam.

Pag. 950. Paulo ultra bivium iuxta viam Lavicanam fuit villa magna, cujus maxima restant vestigia, quæ nomen priscum etiam hodie retinent. Hanc Pompeij Magni villam fuisse existimant. Ana-

gniæ in Cathedrali Eccleſia duæ extan tabulæ marmoreæ L. Septimij Severi,& M Aurelij Antonini Impp. quæ ipſos viam quæ ducit in Villam Magnam, ſilice ſua pecunia ſtraviſſe teſtatur. Manucc. pag 370.

Lin. 9. *Pictas*.] A Pictis pag. præceden ti obſeruatis, via deinde recta tendit ver ſus Valmontonem, & paſſim ejus ductu conſpicitur. Verum non tranſit ipſum op pidum, ſed ad dextram per colles proxi mos tranſit, ubi ad Eccleſiam D. Ioann. Baptiſtæ columna miliaris extat literis fer mè exeſis, quem ego XXVII. ab Vrbe lapi dem fuiſſe exiſtimo. Inde porrò tendit per S. Mariam in Silice, Monaſterium di rutum, & deſcendit in Vallem S. Hilarij ubi juxta Cryptas ſive Cœmiterium anti quum D. Hilarij Latina via in Lavicanam incidit. Hic igitur locus olim celeberri mus ad Bivium dictus fuit.

Lin. 15. *Me ignorare lubens fateor*] Ob magnam devotionem Chriſtianorum erga illum locum.

Lin. 22. *Il Borghetto*] Intervallum repu gnat. Decimus lapis haud dubiè fuit, ubi nunc *Morene* ſive *Caſale de Cenci* : Nam iſthic via Tuſculana ex Latina divertit, & veſtigia apparent ædificiorum antiquorum

paulò

paulò vltra diverſorium vulgò dictum *L'Oſteria del Caſaletto*. Conjungitur quoque eodem loco viæ Latinæ divertigium ex Appia ad lapidem divertens.

Lin. 24. *Aquæ Crabræ*.] Fuit haud dubiè ubi nunc *Burghetto*, ubi viæ duæ Tuſculo venientes Latinam interſecant. Huic loco ſilva annoſa à tergo imminet, quæ eſt inter Cryptam Ferratam & Tuſculum, quæ feris concludendis commoditatem præbet; & paſſim maximorũ ædificiorum veſtigia apparent, vulgo *li Centroni* dicuntur.

Pag. 953. lin. 1. *Et quaſi cervice, &c.*] Non loquitur de vrbe tantum, ſed univerſo colle cuniculis perforato. Nam nuper admodum ingentes reperti fuere aquæductus ad montis latus per ſubterraneos meatus exciſi vivo ſaxo.

Lin. 2. delend. Vrbs [*quo alij*] Leg. quorum alij.

Pag. 954. lin. 28. *Terentinum*] Leg. Ferentinum.

Lin. 35. *Iamdudum adeò interijt*.] Fuit civitas Epiſcopalis circa annum Chriſti 745. Nam Concilio Romano ſub Zacharia Papa interfuit Nicetas Gabiorum Epiſcopus cum alijs agri ſuburbicarij Epiſcopis: Vide Tom. 1. Concilior. Gallic.

pag. 551. & pag. 557. Vbi *Nicetas Episcopus Ecclesiæ Gabinatis* :& in Pontigonensi Synodo *Leo Episcopus Gabinensis Ioann. VIII. PP. nepos.* Vide Concil. Gallic. Tom. 3. p. 436.

Lin. 46. *Situm opidi quod attinet* ; Rectiùs sanè si Prænestinæ viæ ductum spectes.

Lin. ead. *Veteres Lavicos, &c.*] Puto sui oblitum esse ; nam paulo ante docere conatus est Lavicum esse Zagarolam, sed falsò : infra autem pag. 966. Gallicanum olim Pedum fuisse existimat.

Lin. 51. *Algidum, &c.*] Hic sine dubio ipsum montem intelligit, per cujus clausuram ascenditur in vallem, quæ Tusculanos Albanosque montes interjacet.

Lin. 52. *L'Osteria*] *La caua dell' Allio.*

Lin. ult. *Nec descendere, &c.*] Non bene inspexit horum locorum situm.

Pag. 955. lin. 2. *Ad octavum lapidem, &c.*] Cornel. Tacitus Annal. lib. 15. Saxum Gabinum laudat, tanquam igni impervium.

Pag. 956. lin. 16. *L'Osteria del Finocchio*] Fallitur : nam diversorium hoc in Lavicana via est ad x. lapidem ab vrbe, non ad Prænestinam, in Prænestina est *L'Osteria del Pantano*.

Lin. 18. *Gabiorum*] Fallitur omnino, est divertigium ex Lavicana ad x. circiter

la-

lapidem. Cluverius planè non obſervauit ductum veteris Lavicanæ, quæ poſt diverſorium Fœniculi Tuſculum verſus tranſit, pergitque rectà ad Columnam.

Pag. 957. lin. 32. *Nunc equidem*] Ergo paululum extra viam Prænestinam ſita erat vrbs Gabij, & quidem, quantum ego exiſtimo, luſtratis diligenter & conſideratis omnibus circa Prænestinam viam locis, fuere Gabij haud longe à diverſorio Pantani ſive Paludis, circa Oſam ſcilicet fluvium in ijs collibus, ubi nunc Caſtelli D. Iuliani rudera conſpiciuntur, ad ſiniſtram viæ Prænestinæ Roma euntibus Prænesſte.

Pag. 961. lin. 26. *Vrbs ea Latio, &c.*] Tum verò ſitus ipſe hoc indicat & veſtigia antiquitatis.

Pag. 962. lin. 1. *Empulium opidum* In margine] Fortè *Poli*.

Lin. 4. *Cœteraque opida*] Fortè Æſula legendum: conſulend. Cod. mss.

Lin. 15. *Ad dextram*] Imò ad ſiniſtram fuiſſe ex veſtigijs colligitur.

Pag. 964. *Aqua Marcia*] Non bene intellexit locum Frontini.

Pag. 965. lin. 15.] In margine Pedvm *oppidum*.

Lin. 17 *Pedani*] Vt in faſtis Capitoli-

nis ſuprà pag. 939. & ſic.

Lin. 40. *Inter Lavicos*] Hic ſitus omnino Zagaruolo convenire videtur.

Pag. 966. lin. 29.] In margine SCAPTIA *oppidum*.

Pag. 967. lin. 52.] In margine *Prata Decij*.

Lin. 54.] Tiburi ab oriente imminet Afflianus mons, vulgo nunc *Monte S. Angelo* dictus, ad cujus radices Aquæ Claudiæ ductus porrigebatur rivo ſubterraneo, ut teſtatur vetus Inſcriptio ibidem reperta in veſtigijs ædis Bonæ Deæ, quam dirutam L. Paſquidius Feſtus reſtituit. Lapis ille ſic habet:

BONAE DEAE. SANCTISSIMAE. CAELESTI.
L. PASQVIDIVS FESTVS. REDEMPTOR.
OPERVM. CAESAR. PVBLICORVM. AEDEM.
DIRVTAM. REFECIT. QVOD ADIVTORIO.
RIVOM AQVAE. CLAVDIAE. AVGVSTAE.
SVB. MONTE. AFFLIANO CONSVMAVIT.
IMP. DOMIT. CAESAR AVG. GERM. COS.
V. NON. IVL.

Repertus fuit hic lapis in Valle Fiaccia ſive Arcenſi teſte Antonio del Re Antiquit. Tiburt. p. 22.

Affliano monti deinde Vultvilla mons longo jugo conjungitur, ille ſcilicet qui

vico

vico Sancti Gregorij, Casæ Corbulæ, & Polo opidulo ab oriente æstivo imminet, in cujus summo & confragoso jugo *Guadagnolo* pagus conspicitur, sub quo celeberrimum B. Virginis templum Mentorellæ corrupto nomine appellatum. Nam Vultvillam eum montem non solum vetustissima S. Gregorij Magni Pontificis donatio Sublacensis Monasterij vocat: sed & antiquissima inscriptio id nomen præfert, quæ in Polensi Palatio asservatur, & Ecclesiam illam à S. Silvestro consecratam docet.

Lin. 11. *In latere montis*] Fortè *S. Gregorio*.

Lin. 28. *Circa lavicos, &c.*] Videtur *Monte Fortino*, ad quod propius accedit nomen Virtonis Dionysij.

Pag. 969. lin. 10.] In margine TOLERIA *oppidum*.

Lin. 16. *Inde in Latinam viam, &c.*] Divertigio scilicet ex Appia in Latinam viam per vallem illam, quæ inter Algidum montem est, & oppositum ab Oriente montis tractum, in quo *Rocca de Massimi*, & *Signia* civitas. Vbi etiam nunc viæ veteris vestigia silicibus strata.

Pag. 977 lin. 46. *Sulfurati dicuntur*.] An nunc *Sulfuratella* ad viam Ardeatinam?

Pag.

Pag. 978. lin. 1. *S. Anaſtaſiæ*] Leg. S. Anaſtaſij . Vix puto ; nam S. Anaſtaſij fanum ſitum eſt in devio colle inter denſiſſimas ſilvas. Potiùs exiſtimem eo loco fuiſſe, ubi nunc Turris S. Laurentij , ubi veſtigia antiquitatum viſuntur, & arcus aliquot aquæductus veteris locus ille ὄνυξιν victum præſtat univerſo Ardeatium agro.

Pag. 981. lin. 28. lib. 2. cap. 4. *Indicatum eſt*] Sed falso omnino argumento ibidem oſtendi. Nam in Marruvij ſitu fallitur.

Lin. 30. *Satis igitur , &c.*] Hernici tenuere totum illum montium tractum, qui inter planitiem Latinæ viæ , & vallem Anienis à Præneste ad Lirin vſque porrigitur , in quo nunc ſunt vici & oppida *Civitella , Ponza , Afile , Rocca di S. Stefano , Olevano , Roiate , Piglio , Serrone , Auto , Anticoli , Guercino , Torre , Fomone* , & in Valle Anienis , *Fellettino , Treba , Genne , Subiaco , Canterano , Rocca di Canterano , Rocca di mezzo , Merano* , uſque ad Vultvillam montem. Iuxta planitiem vero viæ Latinæ , Palianum , Anagniam , cœteraſque deinde ordine civitates. Itaque Hernicorum fines recte deſcribemus hoc tempore Anagnienſi , Alatrienſi , Ferentina , ac Verulana diœceſi , & maxima parte Abbatiæ

Sub-

Sublacensis.

Lin. 46. *Oppidum agri*] Imò altissima montium juga, ex quorum Australi latere Amasenus paulo supra Privernum nascitur; vnde Futilitas commenti Grammatici facilè apparet.

Lin. 56.] In margine ANAGNIA.

Pag. 982. lin. 46.] In margine. *Compitum Anagninum*.

Lin. 51. *Castel Matteo*.] Hoc falsum.

Lin. 56.] In margine: *Lucus Dianæ*.

Pag. 983. lin. 32.] In margine. FERENTINVM *Colonia*.

Pag. 984. lin. 33. *Ad XLVIII. Lapidem*.] Hic numerus exactè cum Antonini Itinerario convenit, & extat Ferentini in Ecclesia S. Ioannis Evangelistæ lapis milliarius cum numero XLVII., quem ex vicino agro eò translatum existimo.

In fine pag.] In Hernicis quoque commemorandum oppidum inter Sublaqueũ, & Anagniam in montibus situm.

Affile, ut olim, ita hodie quoque dictum. Mentio eius extat apud Frontinum in libello de colonijs. Affile oppidum Lege Sempronia in Centurijs & in Lacinijs ager ejus est assignatus. Meminit etiam D. Gregorius M. lib. 2. Dial. in vita S. Benedicti: *Cùmque venisset ad locum qui dicitur*

tur Effide,&c. ubi miraculum S. illius Patris commemorat. Hic Affile intelligi certissimum est,& sic D.Gregoriũ scripsisse contenderem, nisi in antiquis donationibus Sublacensis Monasterij idem nomen sæpiùs hoc modo prolatum legissem; ubi nihilominus etiam vero nomine Affile scriptum aliquoties vidi. Ita etiam legitur in veteri Inscriptione ibidem reperta, L. LVPERCVS. AFFILANVS. Vnde & territorium Afilanum apud Anastasium Bibliothecarium in vita S. Sixti III. ubi ait. *Possessionem Celeris in territorio Afilano.*

Pag. 985. lin. 19. *Vólscum agrum*] Agrum Volscorum partim campestrem, partim montuosum fuisse apparet ex Catonis Verbis lib. 1. Origin. quæ adducit Priscianus lib. 5. *Agrum quem Volsci habuerunt campestris plerus Aboriginum fuit.*

Pag. 986. lin. 27.] In margine. ANTIVM.

In fine pag. Suidas: Ἄντιὰ πόλις ἡ̓της ἀπέχει Ρώμης τ' σαδίας. *Antium oppidum distans Roma CCC. stadijs*, quæ sunt M. P. XXXVIII. vel XL.

Pag. 987. lin. 17. *At nomen tamen ejus*] Et vestigia maxima, unde urbis magnitudo & forma perspicitur.

Lin. 20. *Vrbem* C1O.] Bis mille passus sunt,

sunt, vt experientia didici.

Lin. 50.] In margine: *Navale Antiatium CENO*. nunc *NETTVNO*.

Lin. 56.] In margine, *Loracina fluv.*

Pag. 988. lin. 14. *Fanum S. Blasij*] Quinimò villa familiæ Cæsiæ, & vineæ particulares Neptunensium totum illum situm veteris Antij nunc occupant, & littus altũ, & saxosum, & plerisque locis præruptum in mare procurrit, sub quo miranda substructionum vestigia visuntur per bis mille passus Neptunium usque.

Pag. 989. lin. 10.] Hujus regiæ domus vestigia haud dubiè sunt, quæ in extremo Antiatium Promontorio paulo supra turrim seu speculam maritimam nunc visuntur iuxta ipsum fanum Fortunæ, ubi cryptæ & arcus stupendi operis visuntur.

Pag. 991. lin. 4. *Est in Bæotio, &c.*] Non vidit Stephani locum corruptum esse, & male divulsum.

Pag. 992. lin. 10. *Qui unicus hoc litore*] Quinimò verum ostium inter Circeios & Terracinam nunc est; nam alterum quod ad fauces lacus Fogliani dividitur, arena oppletũ est. Ex hoc Plinij loco apparet flumen illud alio alveo olim deduxisse, de quo infra in Pontinis paludibus ad tres Pontes dicam, & mox ad Clostra Romana.

Lin.

Lin. 16. & ſeqq.] In hiſce numeris nil mutandum exiſtimo ; nam exactiſſimè conveniunt cum charta mss. paludis Pomptinæ à peritiſſimis Geometris confecta. Nam ab Aſtura ſunt III. mil. paſſ. uſque ad oſtium lacus Fogliani , vulgo *Foce di Fogliano* ; indè III. mil. ad locum qui *Tumuleto* dicitur , & deinde 17. vel 18. mil. ad oppidum S. Felicis.

Lin. 40. *Cloſtra prope oſtium*] *Cloſtra Romana* ni fallor dicta fuere , quòd Romani clauſtra quædam oſtio Nymphæi amnis appoſuiſſent contra vim Oceani ne oppleretur arena ; quod poſtea contigit : Nam oſtium illud non natura , ſed arte factum fuit , ad divertendam vim aquarum , quæ Pontinos agros , maximè verò Setinos campos inundabant. Nam fluvius ſeu torrens Teppia & Nymphæus amnis , qui nunc cum aquis Sulmonetæ confluunt , & poſtea per alveum Sixti , ut vocant , in Levolam & Badinum deducuntur , olim breviori via per tres Pontes ad pontẽ Tronæ , & inde per alveum arte factum , vulgo *Rio Martino* in mare educebantur , cujus derivationis veſtigia clariſſima nunc apparent. Et Gregorius XV. idem conſilium ceperat , ut veteri alveo iterum aperto Pontinas paludes ab affluentium aqua-

rum

rum copia liberaret.

Pag. 997. lin. 5. *Prater x. m. p.*] Veriſſima hæc Theophraſti menſura ; nam vtrumque latus montis v. mil. paſſ. complectitur.

Lin. 14. *Spiſſis nemoribus conſitum*] Hinc venationibus olim frequentatũ Circæum, ut apparet ex Polybio in excerptis Legat. cap. 114. pag. 946. nam & ſeipſum frequenter iſthic venari ſolitum ſcribit & Regem Demetrium. Sed ſunt etiam in planitie vicina ſilvæ & nemora venationibus aptiſſima.

Pag. 1001. lin. 9. *Oppidi S. Felicitatis*] S. Felicis. Mihi in ipſo loco de hiſce percunctanti nihil tale à quoquam relatum fuit. Viſuntur ſub oppido verſus mare veſtigia ædificij antiqui quadrati ; quam Lepidi villam fuiſſe exiſtimant.

Lin. 30. *In ſummo Circæi monte*] In extremo promontorio proprie Homerum intelligas.

Pag. 1002. lin. 3. *Fuiſſe in oppido fanum eius*] Id nequaquam ex Strabonis verbis colligitur, ſed hoc tantùm in eodem monte & oppidum & fanum & aram fuiſſe : id vero nequaquam affirmat vtrum in eodem loco fuerint, an in diverſis.

Lin.

Lin.29.*Exiguus quidam ſinus*] Imo ſinus eſt magnus& pulcherrimus vulgo*Porto di Paula* dictus, cui lacus profundiſſimus S. Mariæ jungitur. Portus ille bis mille navium capax eſt, & viſuntur circumquaque Romani portus veſtigia, ſcilicet annuli ferrei ingentis magnitudinis, ex quibus naves olim religabantur, in toto littore Latino nullus eſt portus huic comparandus, ſi ab arenis expurgaretur flumine lacum immiſſo.

Pag. 1004. lin. 10. *Aggerem ſcilicet, &c.*] Falſum hoc: nam agger viæ Appiæ non ea eſt altitudine, ut fluvios exundantes intra alveum contineret, ſed paſſim in ipſa via veteri pontes & arcus veteres viſuntur, ſub quibus aquæ derivabantur.

Lin. 12. *Via dividit uda, &c.*] Quia per medias ducit paludes,

Lin. 38. *Maximè*.] Quinimo nulli campi depreſſiores ſunt & inundationibus magis obnoxij, quam Setinorum, qui præcipuè exſiccationi eam ob cauſam incumbunt.

Pag. 1005. lin. 22. *Nec conſtat an paludes*] Haud dubitandum ea de re, cum per loca maxime depreſſa viam duxerit, quæ ſterni nullo modo potuiſſet, niſi exſiccatis paludibus.

Pag.

Pag. 1005. lin. 31. *Reddunt millia* LIII.] Et totidem miliaria fuiſſe notat columna miliaris antiqua, quæ etiamnum Tarracinæ viſitur in area publica ad Eccleſiam majorem, ubi LIII. inciſum videmus.

Lin. 32. *Procopij verbis*] Neſcio quomodo id ex Procopij verbis colligi poſſit: neque enim Vfens XIX. m. ſpatio iuxta Appiam viam fluit. Sed certiſſimum eſt foſſam illam, quam nunc *Fiume Canatella* vocant, & ab Appij foro ad mare uſque porrigitur, intelligi.

Lin. 47. *Ouſentina*] Quam ſcripturam antiquæ inſcriptiones etiam probant.

Lin. 53. *L'Auſente*] *Il Portatore* nunc vulgo dicitur, & naſcitur ad diverſorium vulgo *Caſe nuove* 2. mil. ſub Setia.

Lin. 55. *L'Abbadia*] *di Foſſa nuova*.

Lin. 57. *Amaſenus*] vulgo *Baudino*, *vel Badino* appellatur.

Pag. 1008. lin. 10. *haud falsus eſt*] Nam vetus Privernum, cujus nunc rudera in planitie viſuntur, ipſi flumini imminebat: unde poſtea in vicinum collem translatum fuit oppidum.

Lin. 25. *Tribus Tabernis*] Non intellexit mentem antiquæ inſcriptionis: nam illud A TRIPVSQ. nequaquam eſt à Tribus Tabernis, ſed à Tribus Pontibus. Nam

inde etiam noſtro tempore paludes initium ſumunt. Hi ſant pontes illi magnificentiſſimi ſeu ſuperbiſſimi operis, ut Dio eos vocat pag. 1006. Nam paulum ſub his Decennovij via incipiebat. Nam ab his pontibus ad Appi forum vix III. mil. paſſ. intercedunt.

Lin. 29. *perperam ultra Tarracinam*] Rectè Plinius: nam ſinus ille Fundanus non minus ac Pomptinæ paludes aquis reſtagnantibus, & paluſtribus oppletur, vt ex ſummo monte Anxuris, nunc S. Angeli inſpicienti liquido apparet; neque tamen Plinius Pomptinas paludes eo uſque extendit.

Lin. 54. Τὰ Πέγετα] Nunquid forte etiam apud Procopium legendum Τάϊκητα. Ita locus ille VII. m. p. Tarracina diſtans plane incidit in Appiam viam, ubi Vfens & Amaſenus iam conjuncti illam tranſeunt.

Pag. 1009. lin. 20. *Hinc autem credibile ſit*] Mihi nequaquam ſit veroſimile: nam nullam ego pinum per univerſas haſce paludes obſeruavi: neque ſoli natura id arboris genus ferret, quod locis editis ſiccisque potius gaudet, quam paluſtribus ſtagnis.

Pag. 1010. lin. 21. *Late candentibus Anxur.*]

Vide

Vide Scholia antiqua Porphyrionis ad hunc locum, qui saxa hæc candentia, non à colore sic dicta vult, sed quod calci coquendæ sint aptissima. Sane calcem vrbi Romæ præstabant olim Tarracinenses, ut testatur lex 3. Cod. Theodos. *de calcis coctoribus*. Et Symmachus lib. 10. epist. 60. qui & ligna balneis vrbis suppeditasse scribit, ideoque civitatem P. R. commodam vocat.

Lin. 34. *Superbæ Anxuris*] Et quis non videt Statium arces superbas Anxuris appellasse ab edito situ in summo montis vertice?

Pag. 1012. lin. 13. COLON. ANXVRN.] Apud Hyginum de limitib. pag. 173. habetur Colonia Anxurna, & Axurnas, & sic infra hac pag. Livius.

Lin. 22. *Scopuloso, &c.*] Aspero potius. Nam sane vix ullum montis jugum magis asperum expertus sum. Nequaquam tamen credo urbem olim in summo montis jugo sitam fuisse: nam quæ nunc visuntur reliquiæ & vestigia, ea non oppidi, sed magni alicujus templi, vel arcis sunt. Incolæ Valeriani palatium fuisse credunt ex actis S. Cæsarij Episcopi. Sed rectè Cluverius ex Livio aduertit vrbem iam olim eo loco fuisse, ubi nunc est: nam in

ipſa Appia via ſita eſt ; tum cathedralis Eccleſia exædificata cernitur in veſtigijs maximi & antiquiſſimi templi Apollinis. Et ſanè præclarè Livius urbis ſitum deſcribit : nam collis urbi imminens eſt ille ad quem iuxta Eccleſiam Franciſcanorum aſcenditur , per quam vetus Appia via ducit, & in quo multa viſuntur veſtigia antiquitatum . Is collis etiam nunc urbi, & præcipuè arci *La Rocca* vulgo dictæ ita imminet, ut civitas contra tormentorum ictus nullo modo defendi poſſit, ideoque Sixtus V. in ſummum montis jugum eam transferre voluit, vulgo *S. Angelo* dictum. Ea verò pars, quam Livius infimam urbem vocat , nunc quoque mœnijs antiquis incluſa cernitur, ſed plane deſerta jacet.

Pag. 1012. lin. 5. *Conſpicitur veſtigium*] Quinimo portus adhuc integer extat forma plane rotunda, ſed totus arena oppletus eſt; ita ut nullum civitati uſum nunc præſtet, niſi quod olerum hortos aliquot complectitur. Meminit quoque hujus portus lex. 3. Cod. Theodoſ. *de Calcis coctoribus*, ex qua perſpicitur etiam farum fuiſſe juxta hunc portum, ſive ille in edito montis vertice fuerit, ſive potiùs iuxta ipſum portum in rupe exciſa.

Lin. 34. *Quidque , &c.*] Quippe mor-

ti-

tiferas poterat esse potantibus, &c.

Lin. 44. *Molam autem*] Nota hoc esse divertigium illud viæ Appiæ juxta mare, qua nunc vulgo iter est ad portam confinij usque : cum vetus Appia supra Tarracinam inter montes transeat.

Lin. 52. *Ad Lautulas, &c.*] Varro lib. 4. de lingua Lat. *Lautolæ à lavando, quod ibi ad Ianum geminum aquæ calidæ fuerunt.* Itaque cum Varro Lautolas à lavando dictas significet, hoc quoque loco prope Tarracinam eadem ex re nomen habuisse Lautulas censeo, hoc est ab aquis istis calidis, quæ cum angusto in saltu ad mare scaturiant ad ipsam viam publicam, inferiores istas angustias hoc nomine olim appellatas fuisse puto.

Pag. 1013. lin. 8. *In villa colli supposita*] Fuit haud dubiè eo in colle, ubi ingentis villæ reliquiæ visuntur, quam Tarracinenses nunc vocant, *Il Palazzo de i Paladini*.

Lin. 49. *Vt fere omnia, &c.*] Romanorum milliaria ubique locorum M. passibus constabant.

Pag. 114. lin. 56. PALMARIA] Palmariæ insulæ, in qua Monachorum congregatio, meminit D. Greg. M. lib. 1. epist. 48. Nescio tamen an non potius ad aliam hujus nominis insulam referendum, quæ

circa Ilvam: omnes enim illi ſcopuli olim erant Monachis repleti.

Pag. 1015. lin. 42, *Vt infra ſuo loco, &c.*] Oblitus eſt promiſſi; neque enim uſpiam hoc opere de Pandatariæ ſitu agit. Pandatariam autem nunc Inſulam S. Mariæ dici exiſtimo, inter Pontiam & Iſchiam, ſeu Ænariam, vel huic vicinam, quæ vulgo dicitur *Vento tiene*, ut vult Capaccius hiſt. Neap. lib. 2. pag. 591. quæ Melæ Phytonia eſſe videtur, quamvis manuſcripti codices eam vocem non agnoſcant, ſed illius loco *Sinonia* præferunt, & multo quidem rectiùs.

Lin. 56. vulgò *Veletri*, *Velitri*, *Belitri*, *&c.*

Pag. 1016. *Inepta ſane oratio*] Peſſima correctio, ut ad Stephanum oſtendi, nam Olympiadis numerum ad ſtadia ineptè detorquet.

Lin. 39. ὁ ὑπάϑρος λαβών] *Eſſendo patrone della campagna*, propriè dicerent Itali; Germani autem. *Vveil er das felt behalten.*

Pag. 1017. lin. 25.] In margine: *CORA oppidum.*

Lin. 30. *Ante hanc autem*] Supra Appiam verò, vel ad Appiam verò, vel Appiæ verò imminent. Miror Cluverium nodum in hoc ſcirpo inuenniſſe, ideſt in planiſſimis

mis Strabonis verbis. Quid certiùs quàm Privernum æquè ac Cora Appiæ viæ imminere? cum etiam nunc derelicto veteris Appiæ ductu ipsum oppidum Appia transeat. De Setia rectius litem mouisset Strabo: nam & hæc Appiæ imminet non minus ac Cora aut Privernum. Latinæ autem viæ imminere dici haud quaquam potest, cum summum montium jugum inter oppidum Setiam & Latinam viam intercedat.

Lin. 55. *Montibusque arces*] *Montibus arces.*

Pag. 1019. lin. 10. *Norbæ in monteis*] sita enim est in rupe celsa & prærupta, qua parte Pomtinos campos spectat.

Lin. 40.] In margine SIGNIA. Male hoc loco Signiam commemorat, & contra situm oppidi, quod mediterranea, (*vulgo la Campagna*) respicit, non paludes Pomtinas, vulgo *la Marina*, & ita Plautus loco citato rectè conjungit cum Prænestе, Frusinone, & Alatria. Inter Norbam autem Coramque & Signiam intercedit magnum illud montium jugum, Lepinum à Columello dictum, in cujus summo jugo Signia & Cerretum sita sunt.

Pag. 1020. lin. 34. *Quinam fuerit, incertum est*] Puto intelligi jugum illud mon-

tis, quod inter Volſcos & Hernicos intercedit, quod Signia, Setia, Cora, Norba, Sulmo, Privernumque adjacent, de quo pag. præcedenti.

Pag. 1021. lin. 15. *Signiam adverſus Sulam, &c.*] Ex hiſce locis apparet Sacri portum fuiſſe vel Piuminaram, vel Valmontonem, locus haud dubie in Æquis, non in Volſcis ponendus, quod nemo negaverit locorum bene peritus inter Signiam & Præneste.

Pag. 1022. lin. 35. *Sarmonetta*] *Sermonetta* vulgo dicitur, & *Sulmoneta*.

Lin. 18. *Sarmona*] Sulmona.

Pag. 1023. lin. 11. *Lævinus ab alto Priverno*] Ergo iam tum in colle ſitum erat oppidum, ubi nunc quoque conſpicitur, non autem in vicina planitie, ut vulgo exiſtimant; niſi quis duplex tum Privernum fuiſſe putet.

Lin. 49. *Cis Signiam indicavit*] Cluverius non percepit mentem Græcorum verborum Strabonis. Nam illud περὶ ταύτης, haudquaquam referendum eſt ad vocem proxime præcedentem Σιγνίαν, ſed ad alterutram viarum quarum meminit, Latinæ ſcilicet & Appiæ, & quidem ad poſteriorem, videlicet *Appiam*.

Pag. 1026. in principio. Circa Velitras & Sueſſam hanc Pometiam fuit

etiam

etiam VLVBRA, ſive ut alij pl. nu. VLVBRÆ. Meminere Cicero, Horatius, Iuven. Frontin. & vetus inſcriptio.

Pag. 1028. lin. 11. *Firma mœnia*] Eſt Caſtellum expugnatu difficile.

Lin. 16. *Certus igitur locus, &c.*] Fuit haud dubiè ubi nunc *Monte Iove*.

Pag. 1032. lin. 3. ἡ Τάτε ὧ τὲ Οὐολέσσων] Hæc verba reſpexit Stephanus.

Lin. 43..... Tabulæ..... Antonin.

Lin. 47. Trib. Tabernis v. ſub Lanubio III. ....

Lin. 49. *Mu ſponſas*] Nunc *Torre mercata*, vel potius prope tres pontes. Nam ipſi pontes ſeptem VII. mil. iuſtiſſimis abſunt ab Appij foro.

Lin. 50. *Tres Tabernas v. Trib. Tabernis* XVII. ſcrib. VII.

Lin. 5. *Mu. Appi foro.*] Caſarilio di S. Maria. XI.

Lin. 52. *Mu. ad Medias* IX. *Appi foro* XI.

Lin. 53. *Terracina* XVIIII.

Viæ Appiæ loca & intervalla noſtro tempore ſic computantur:

Roma Ariciam	m. p.	XIII
Genzano		I
Torre S. Inelo ſub Lanubio		II
Ciſternam		IX

Torre

Torre mercata	V
Caſarillo di S. Maria	III vel 3. ½
Terracinam	XVIII

Ex Hieroſolymitano Itinerario ſic Viæ Appiæ.

Roma Ariciam	XVI
Tres Tabernas	V
Spontas	XIV
Appi forum	VII
Medias	IX
Terracinam	X
	LXI

Pag. 1033. lin. 7. *Quem incorruptum Antoninus*] Quod Ciſternam ad Aſturam ſitum ait, à quo duobus ut minimum milliaribus diſtat.

Lin. 13. *Ex Antio in Appiam.*] Hic eſt ductus ille viæ antiquæ, qui ab Antio ad Appiam viã tendit 2. mil. antequam veniatur Neptunium: ingreditur autem Appiam 2. ferme m. p. cis lacum *Caſtellaccia*, ſive *le Caſtella* dictum. Vbi via hæc antiqua Appiam tranſverſam ſecat, quæ rectà Velitras tendit.

Lin. 29. *Naſcitur ſupra forum Appij*] Optimè ſitum indicat, ubi nunc eſt. *Caſarilio di S. Maria* 4. mil. ſub Setia, ubi magna viſuntur veſtigia deleti oppidi, & paulo cis oppidum arcus eſt antiqui operis admirandæ

randæ ſtructuræ vulgo *L'arco della Communità* Setinis nunc dictus, quod ager circumjacens ad Communitatem Setinorum ſpectet. Situm autem fuit inter XLII. & XLIII. lapidem ab Vrbe, quod columnæ nunc etiam extantes teſtantur. Inde porrò XVIII. ſunt m. p. Tarracinam.

Lin. 49. *Memorari creduntur*] Oppidum Epiſcopale olim fuiſſe diſcimus ex S. Gregor. M. lib. 2. epiſt. 35. ubi Trium Tabernenſium Eccleſiam deſolatam Ioanni Epiſcopo Velitrenſi committit, ad quem extat epiſt. XI. eiuſdem libri. Et hanc forte Eccleſiam intelligit Anaſtaſius Biblioth. in vita S. Hadriani. *Reſtaurauit & Baſilicam B. Petri Apoſtoli ſitam via Appia in ſilice ultra S. Thomam Apoſtolum non procul à trigeſimo, deſolatione ruiniſque præventam, &c.* Et in vita S. Leonis III. meminit Eccleſiæ B. Andreæ Apoſtoli ſitæ in Trigeſimo via Appia in ſilice, ſed III. Tabernæ XXI. m. p. Roma diſtabant. Itaque locus non quadrat. XXX. autem lapis fuit ultra Ciſternam, ubi nunc *Turre Tibalda*.

In Actis mss. SS. Apoſtolorum Petri & Pauli Tres Tabernę Roma diſtare dicuntur m. p. XXXVIII. quod omnino falſum: & acta illa multa habent fabuloſa & à vero abhorrentia. Apud Optatum Milevit. lib. I.

Fe-

Felix à Tribus Tabernis Epiſcopus commemoratur.

Pag. 1034. lin. 17. *Quam tres cauponas, &c.*] Principio quidem, ſed deinde creverunt in oppida. Nam Tres Tabernæ illæ in Appia Civitas Epiſcopalis fuit, ut pag. præced. notatum.

Lin. 26. *Mu. Appi foro* XII.] VII. nil mutandum. Nam ſine dubio legendum in Hieroſolymit. Mu. pontes. Intelligit enim Tres pontes, de quibus ſupra pag. 1008. qui exactiſſime VII. m. p. diſtant ab Appij foro, & XIV. à Tribus Tabernis.

Lin. 35. In margine *Fruſino*.

Lin. ead. *Vulgo nunc Fraſelone*.] *Frusſilone*.

Pag. 1035. lin. 28. *Fruſino, &c.*] Decuriones ejus commemorantur in veteri lapide, qui extat Cevani Guter. 322. 7.

Pag. 1036. lin. 19. πρὸς δὲ ταύταις.] potiùs πρὸ δὲ ταύτης, juxta hanc verò ſcilicet Appiam viam.

Pag. 1037. *Sic equidem interpres, &c.*] Error natus ex ignoratione lit.

ΦΡΕΓΕΛΛΑΝΩΝ. ΦΡΕΤΟΜΑΝΩΝ.

In fine paginæ. Ex Fragellarum ruinis poſtea extructum fuit Caperanum oppidũ. Pontem hic ab Antonino Pio reſtitutum docet vetus inſcriptio parieti hoſpitij publici

blici infixa extat apud Manuccium pag. 367.

Pag. 1038. *Fabrateria*] Posteriori sæculo mentio hujus loci reperitur in Chronico Casinensi Leonis Ostiensis ....

Pag. 1039. lin. 26. *Sequitur hinc, &c.*] In margine *Interamna Colonia*.

Lin. 30. *Succusani* .] Succasini legendum puto: quia sub Casino situm fuit. Et apud Plinium Succasani legitur propius ad veritatem.

Lin. 47. *Ponte Curvo*] Pons Curvus Latinè Chron. Casin.

Lin. 50. *S. Eliæ oppido delatus*] Casinus dictus Chronico Casinensi.

Lin. 51. *Inter quem & Lirim.*] Fluvius hic nascitur maximis & imprimis visendis fontibus ad oppidum S. Germani, juxta quos visuntur reliquiæ villæ M. Varronis, qui fluvium hunc Vinium appellat.

Pag. 1040. lin. 44. *Ac sane adeo vera est, ut, &c.*] Nihil probat. Collectio enim hæc Iosephi Scaligeri est. Id saltem hinc apparet Sigonij emendationem etiam magno illi viro probatam.

Pag. 1042. lin. 30. *Ex adverso, &c.*] Hoc falsissimum: nam procul à Ponte Curvo absunt confluentes.

Lin. 49. In margine. ATINA *Municipium*

&

& Colonia.

Livius lib. x. *Inde pervagati Samnium, Coss. maxime, depopulato Atinate agro, Carvilius ad Cominium, Papyrius ad Aquiloniam, pervenit.*

Pag. 1043. lin. 30.] De hujus oppidi destructione & restauratione extat Petri Diaconi Cassinensis lib. mss. in Bibliot. Cassinensi.

Pag. 1045. l. 22. in margine] *Insula Fibreni.*

Lin. 36. In margine] *Ciceronis patria.*

Lin. 40. *statim se præcipitat in Lirim.*] Ita nunc quoque Fibrenus ex alto in Lirim se præcipitat, non influit.

Lin. 45. *Insula Arpinas*] In hac insula celebre fuit Monasterium S. Dominici Abbatis : unde locus sive insula nunc vulgo *S. Domenico di Sora*, ubi Ecclesia supersest cum exiguo hospitio unius alteriusve Monachi, Conjunctum autem est hoc Monasterium cum altero majori & celebriori Casæ Marij in agro Verulano.

Pag. 1046. Ad lin. 8.] In margine. ARX.

Lin. 26. *Alia exemplaria*] Hæc verissima emendatio, ita & Leo Marsicanus lib. 1. Chron. Casinen. cap. 27. *Sicque Aquinum pertransiens & Arcim, cæteraque in circuitu devastans Beneventum reversus est.* Et

lib.

lib. 2. cap. 15. *Comitatum etiam Aquinensem totum & Castellum Arcis cum universis pertinentijs ipsius.*

Lin. 4. In margine.] *SORA Colonia.*

Pag. 1047. lin. 17. *Strabo.*] Non puto Strabonem ipsum ortum Lyris hac voce significare, sed fluvium illum superius in Marsis ortum iuxta Soram. Quasi ex montium angustijs in regionem apertam ac liberiorem effluere.

Lin. 53.] Supra Soram, & Arpinum haud longe fontes Fibreni fluminis in Apennino monte Cominium oppidum fuit, cujus Livius & Dionys. Halic. ex antiquioribus meminere. Livius lib. X. *Inde pervagati Samnium Coss. maxime depopulato Atinate agro, Carvilius ad Cominium, Papyrius ad Aquiloniam pervenit.* Narrat deinde ut oppidum illud expugnatum & igni absumptum fuerit. Dionys. autem Halicarn. in excerpt. lib. XII. nuper à Valesio editis pag. 533. De Postumio Cons. κ῾λαβὼν δὲ τοῦτον (Fabium scilicet Procons.) Κομινίῳ πόλιν προσκαθίμενον ἐξέπλευσεν ἐκ τῆς ἑσπέρας. Et mox: Ποσὶν μὲν τὸ Κομίνιον ἐκ πυλορκίας ἁλῶναι. Hæc quidem de Cominio antiqui illi Scriptores. Sed apud Leonem Marsicanum medij ævi Scriptorem in Chronico Casinensi frequentissima

sima ejus habetur mentio.

Pag. 1062. lin. 44. In margine.] SPELVNCA *villa*.

Pag. 1064. lin. 21. In margine.] CAIETA *promontor. oppidum & portus*.

Pag. 1068. lin. 7. *Navigaturi*] Vnde apparet veteri more aspirationis loco ϜF digamma Æolicum fuisse præpositum quod postea in F. & φ. mutatum.

Pag. 1074. lin. 24. Ita Formiana Ecclesia apud S. Gregor. M. lib. 1. epist. 8.

Pag. 1075. ad lin. 36. Distincta fuit circa tempora Mauritij Imp. nam D. Greg. M. lib. 1. ep. 8. Ecclesiam Minturnensem funditùs tam Cleri quàm plebis destitutam desolatione Formianæ Ecclesiæ adjungit.

Pag. 1079. lin. 47. Σενϐισανοὶ] Sic antiquus lapis Carinolæ. SENVISSANIS.

Lin. 49. Δαυίνοι Καυδίνοι] legend. Nam ad muros Caudij Beneventanorum & Campanorum fines erant, ut ex veteri lapide didici. Et hoc confirmat locus Plinij infra 1082. Vbi Claudinos iuxta Capuam ponit, attamen extra agrum Campanum.

Lin. 56. *Daunij*] Caudini lego.

Pag. 1080. lin. 7. *Haud facile, &c.*] Καυδίνοι ut dixi substituendum existimo, nam illi orientalem partem Campaniæ pro-

proximè adjacent ſub quibus Nolani verſus meridiem.

Pag. 1081. lin. 52. *Soracte*] An Sabate legend. Nam prope Braccianum hujuſmodi locus viſitur.

Lin. vlt. *Ad Trifanum*] Fuit haud dubiè in confinio utriuſque territorij, ita duæ Fortunæ inter Theanum & Cales Strabonis.

Pag. 1082. lin. 20. *Tauro*] an *Gauro?*

Pag. 1083. lin. 16, *Veſcinus igitur*] Hoc verum eſſe apparet ex Hygeni lib. de Limitibus pag. 171. ubi vetus Codex ſupra Minturnas circa dextram Lyris fl. ripam Veſcinum montem depingit, quamvis ibi quoque vulgato errore Mons Veſtini ſcribatur.

Pag. 1084. lin. 39.] Fundenſes quoque poſtea appellati. Vnde apud Greg. Mag. lib. 3. epiſt. 13. bis legitur. *Fundenſis Eccleſia*, ubi de ejus loci deſtructione mentio extat.

Lin. 46. *Certè*] Infeliciter accipit Taciti locum. Nam Fundani lacus intra urbem fuit, quod vel obiter inſpectis verbis facilè perſpexiſſet, eſtque diverſiſſimus à lacu Fundano, qui eſt ad Fundos oppidum. Deſcriptio regionum urbis Sancti Rufi lacum Fundani in 2. urbis regione, quæ Cæli-

montium dicitur, ponit. Quamvis nec Panvinius, vel cæteri antiquarij verba ejus rectè intellexerint. Ab hoc lacu dictus fuit VICVS LACI FVND. quem commemorat vetus inscriptio apud Fulvium Vrsinum in notis ad hunc locum Taciti, quam & Gruterus exhibet pag. 399. nu. 5. ex eodem Vrsino. Itaque Cluverij emendatio in hoc Taciti loco plane superflua.

VIÆ ET ITINERA ANTIQVA PER LATIVM.

ITINERARIVM ANTONINI.

ITER AB VRBE APPIA VIA.

Roma			
Aniciam.	m.	pl. m.	XVI
Tres Tabernas	m.	p. m.	XVII [VII]
Appiforum	m.	p. m.	XVIII [XXI],
Terracinam	m.	p. m.	XVIII
Fundos	m.	p. m.	XVI [XIII]
Formias	m.	p. m.	XIII
Miturnas	m.	p. m.	IX

ITINERARIVM HIEROSOLYMIT.

Roma.

Ad Nono	IX
Anicia & Albano	VII
[Tres Tabernas	VII ....]
Sponſas	XIIII
Appi foro	VII
Ad Medias	IX
Terraccina	X
Fundis	XIII
Formis	XII
Menturnas	IX.

ANNOTATIONES IN LIBRVM QVARTVM.

Pag. 1093. *lin.* 49. *Tabulæ, &c.*] Hæc est via Domitiana elegantissimo Statij carmine nobilitata, de qua pag. sequenti.

Pag. 1095. lin. 8. In margine. VIA DOMITIANA.

Pag. 1096. lin. 4. *ulmis.*] Leg. ulnis.

Pag. 1102. lin. 2. *Sunt & loca, &c.*] Cetaria ibidem optima.

Lin. 12. In margine] *Cumæ municipium & colonia.*

Pag. 1104. lin. 14. *Vt vult Steph.*] Non video Stephanum hoc velle, qui simpliciter oppidâ hoc nomine seu vero seu falso recenset: non autem affirmat Italicas Cumas ab Euboica vel Asiatica denominatas. Nec dubito quin Stephanus seductus fuerit epitheto, quod Poëtæ Cumis tribuunt, dum Euboicas appellant, ut inde alias nobis Cumas fingeret in Euboea.

Pag. 1105. lin. 6. *nusquam adnotatum reperio*] Eusebius refert ad annum DCCCCLXVI. qui fuit annus XXVI. regni Davidis, ante Christum natum M. XXX. post captam Trojam CXXXI. quamvis Ios. Scaliger in animadversionibus ex sententia Herodoti

aliquot annis posteriorem constituendam originem ostendat.

Lin. ult. *Auctor ἀνώνυμος*] Id est Ios. Scaliger.

Lin. 41. *Lanuvinis* cum sequentibus usq; ad *Campanis* delend.

Pag. 1106. lin. 55. *PORTVS quandam speciem*] Dionysius pag. præcedenti docet ipsos portus commodissimos habuisse circa Missenum; & Strabo sub ipsis Cumis ait littus esse, ἐφ' ὑφῶδες καὶ προσεχές, hoc est præruptum & importuosum; quo Cluverij conjectura refellitur.

Pag. 1107. lin. 34. In margine] *ANTRVM Sibyllæ Cumanæ.*

Pag. 1111. lin. 6. In margine. *Antrum Cumanum, & antrum Averni.*

Pag. 1112. post lin. 10.] Adjungi potest & alter locus Silij principio lib. 12. ubi Hannibalem post oppugnatas irrito conatu Cumas, dum exercitus Puteolis expugnandis intentus esset, vicina loca, vel, ut ipse loquitur, propinqua stagnorum terræque simul miracula lustrantem inducit. Postquam enim Avernum & Acherusium lacum commemoravit, per quem iter ad inferos patere credebatur, tandem antrum illud, quod cryptam Sibyllæ nunc vocant, his verbis describit.

Ac iuxta caligante ſitu, &c. ut infra pag. 1132. Vbi nullam prorſus de Sibylla mentionem facit.

Pag. 1115. lin. 20. In margine] *MISENVM Promontorium*.

Pag. 1116. lin. 14. & 15. delendæ]

Lin. 34. *Sic corrigendus (Strabo)*] Mallem ſimpliciter ſine ulla tranſpoſitione legere ὡς καὶ Τὸ Μισηνὸν. Ita ſenſus clarus & perſpicuus.

Pag. 1117. lin. 15. *Il Porto Giulio*] Hoc falsum: nam Puteolani Periegetæ, *Porto Miſeno*, & interiorem receſſum *Mare morto* appellant: Iulium verò Portum, cujus veſtigia ante oſtium Luvini lacus viſuntur.

Lin. 20. *Claſſem Miſeni*] Inſcriptiones antiquæ quæ hujus Claſſis meminere, extant apud Capaccium lib. 1. pag. 328. Hiſt. Neapol.

Lin. 35. *Auctor* αὐτόνομος] Hoc eſt, Ioſ. Scaliger ex ſequenti loco Dionyſij.

Lin. 46. *Hodie rudera.*] Maxima circa totum portum apparent ædificiorum veſtigia. Sed ipſum oppidum ſitum fuit in Iſthmo, qui portu & Puteolano ſinu hinc inde coarctatur; ubi Ciſternæ illæ vulgò Piſcina mirabilis dictæ ſuperſunt.

Lin. 49. *In Miſenenſi, &c.*] Et Phædrus Miſenenſem villam.

Lin.

Lin. 51. *Ita apud omnes inf. ſcript.*] Etiam in antiqua inſcriptione apud Capaccium pag. 329. & aliquoties apud D. Gregor. M. in epiſt. Vbi tamen vulgo male editum legimus Meſſenatem Eccleſiam pro Miſenatem. Ita enim ex Codice mss. reſtituendum.

Pag. 1118. lin. 7. *Certe in ipſo Miſeno.*] Puto in ipſo promontorio Miſeni fuiſſe, quæ cum poſtea ad Lucullum Dominum tranſijsſet, ab eo celebrius nomen accepit.

Lin. 26. *Piſcinam inſtituerat Nero*] Hujus piſcinæ veſtigia eſſe exiſtimo, ubi Puteolani Periegetæ civitatem Cimmeriam mari abſumptam peregrinis affirmant, cujus fundus ſilicibus ſtratus erat, quam ijdem Appiam viam eſſe ſtulte credunt. Viſuntur enim longa murorum veſtigia recto ordine producta.

Pag. 1119. lin. 8. In margine] BAIAE.

Lin. 15. *καὶ Τὸ Μισηνὸν Μισηνὸς*] Vide pag. 1116.

Lin. 45. *Portu retinent amœno.*] Optime Statius. Nam cum reliqua ora collibus in mare procurrat, Portus Bajanus amœniſſimum iuxta ſe litoris receſſum habet, qui totus antiquorum ædificiorum veſtigijs repletus eſt.

Lin. 50. *Via latiſſima*] Sequitur ineptas Puteolanorum relationes. Hæc enim veſtigia ſunt ædificiorum Neronis, aliorumque Romanorum, qui opibus & potentiæ oſtentandæ in ipſo mari ędificabant, quem luxum inter alia ſæculi ſui vitia perſtringit Horatius, & Caſſiodorus pag. ſeq. elegantiſſimis verbis idem expreſſit. Miror autem Cluverium Bajanum Portum hoc tempore triremium tantum capacem affirmare, cum hoc ipſo tempore 1637. principio Menſis Nouembris Claſſis regia quadraginta & amplius maximarum navium ex Neapolitano Portu ob Africi vehementioris flatum in Bajanum ſinum portumque ſecuræ ſtationis cauſa conceſſerit.

Pag. 1121. lin. 39. *Montemque Veſeium*.] Longe aliter legunt veteres Codices.

Lin. 41. In margine] *Sudatoria Bajana*.

Lin. 43. *Cumis deceſſit*. Ita quoque Vitruvius lib. 2. cap. 6. Ardores autem eſſe in his locis etiam hæc res poteſt indicare, quod in Montibus Cumanorum, & Bajanis ſunt loca ſudationibus excavata, in quibus vapor feruidus ab imo naſcens ignis vehementia perforat eam terram, per eamque manando in his locis oritur, & ita Sudationum egregias efficit utilitates.

Pag.

Pag. 1122. lin. 14. *Inter Lucrinum & Avernum*] Oſtium quo Lucrinus lacus cum Averno conjungebatur, etiam nunc viſitur, quamvis & ipſum terra oppletum ſit. Apparet tamen ex ſitu interſtitium paucorum fuiſſe paſſuum.

Lin. 23. In margine. VIA HERCVLEA.

Pag. 1123. lin. 3. *Eandem hanc viam*] Intelligit villas & prætoria in ipſo mari extructa jactis molibus ſtupendi operis, quorum etiam nunc viſuntur veſtigia.

Lin. 21. *Ad Lucrinum Lacum*] Sub ipſis Baijs veſtigia extant in ſinu illo, qui Portum Bajanum cingit.

Lin. 28. Mart. l. XI. epig. LXXXI.] verſibus paulò ante allatis.

Lin. 30. 31. & 32.] delendæ.

Pag. 1124. lin. 18. *Nempe poſtrema*] Ineptum hoc: nam iuxta Lacum Avernum via Domitiana ferebat, ut ex veſtigijs apparet. Id tantum dicere voluit Poëta, uno die totum hoc iter propter viæ Domitianæ commoditatem confici poſſe; quamvis hyperbole hæc ſit poëtica, cum 24. horarum ſpatio ægrè hoc iter equis diſpoſitis confici poſſit.

Pag. 1126. lin. 10. *Viam Miſeni*] Apparet ex hac deſcriptione Cæſaris villam fuiſſe in edito colle, qui Bajas ſuperemi-

net,

net, quo nunc Villa Patrum Benedictinorum S. Severini.

Pag. 1129. lin. 32. *Agrippa*] De ejus villa & operibus, quorum vestigia & inscriptiones repertæ inter hunc lacum & Cumas. Vide Capaccium pag. 629.

Lin. 51. *Quum Cocceius*.] Cùm certum sit iam ante Agrippæ & Strabonis tempora extitisse Cryptam Neapolitanam, & antrum sive Cryptam Averni, quæ ad Bajas subterraneo meatu ducebat, Cocceium autem tertium tum cuniculum duxisse ab eodem Averno Cumas usque, puto Strabonis verba nulla aut leviſſima mutatione sic legenda πδ κ. Τῦ π. Τὸν δ' ὀρυγμα εοικέναι τῇ ὅτι Νέαν πόλιν ἐκ Διναμαρχίας, καὶ τῇ ὅτι Βαΐας ἐπακολ &c. Cocceio, qui cuniculum illum egit ad instar ejus, quæ Puteolis Neapolin, & alterius, quæ Bajas ducit, prædictam fab. &c.

Pag. 1132. Quatuor versus ultimi & primi pag. sequentis initium Βαίνομεν ἀχνύομεν, Itemque 4. versus Latini lin. videlicet 17. 18. 19. 20. cum sequentis intio delendi.

Pag. 1135. lin. 23. Ἀλλ' ὁπότε 25. Νῦν μὲν 27. *tota* 28. *Alma, precor, miserere, potes namque omnia*] delend.

Lin. 44. *Porrò Lycophron*] Verbis paulo

ante

ante citatis, & omittuntur versus sequentes tam Latini quàm Græci, hi quidem usque ad ὀβελμὸς, Illi vero ad *Proserpinaque* exclusive.

Pag. 1137. lin. 10. *in hoc sinu duobus alijs interjecto*] angusto aditu aperto.

Lin. 23. *Mari imminet*] Imo vestigia manifesta portus & angusti illius aditus, cui etiam nunc Portus Iulij appellatio vulgò remansit.

Lin. 24. In margine.] PVTEOLI. quæ & DICÆARCHIA.

Lin. 32. *Fortasse scripserat*] Non opus hac emendatione: nam retinebat etiam tum utrumque nomen.

Lin. 36. τῷ ὑδάτων ἅπαν] An legendum ἅπαντ' ἂν τὸ χωρίου; vel potius ἅ πᾶν τὸ χώριον ἔχει μέχει.

Lin. 37. *Littora*] Amœna littorum.

Lin. 56. *Dicæarchæum*] Potiùs Dicæarchum, quod nomen Græcum est, & in primo Statij loco expresse habetur.

Pag. 1138. lin. 18. *Ti. Sempronius an. belli Hannib.* IIII.] Atque viginti annis post Coloniam Romanam accepisse testatur vetus inscriptio Puteol.

A. B. COLONIA. DEDVCTA. AN. XC.
N. FVFIDIO. N. F. M. PVLLIO. DVOVIRI
P. RVTILIO. CN. MANLIO. COSS.

LEX.

LEX. PARIETI &c. Atq; hi Consules fuere ann. V. C. DCXLIIX. quibus si XC. demas habes à V. C. DLVIII. quod & Livius confirmat infra pag. 1141.

Lin. 22. In margine] *Portus Puteolanus*.

Lin. 47. *Onerariæ naues*] χώματα ista Suetonius in Caligula cap. 19 moles appellat; Bajarum medium intervallum Puteolanas ad moles ponte conjunxit; atque ita Paulus Diaconus lib. 7. molem appellat, unde nunc quoque *molo* dicitur. Et sic fortè apud Plinium molibus legendum; ubi nunc Collibus editur.

Lin. 51. *Misceatur cæmento*.] Hanc correctionem egregiè confirmat Vitruvius lib. 2. cap. 6. ubi Puteolani naturam describit: non modo cœteris ædificijs præstat, sed etiam moles, quæ construuntur in mari sub aqua solidescunt. Et in fine caoitis. Alia etiam in maritimis molibus habent virtutem.

Pag. 1139. lin. 21. In margine] PONS CALIGVLÆ. navalis.

Lin. 34. γεφυρῶσι] Ex hoc loco videtur sequi Baulos inter Bajas & Lucrinum Lacum fuisse: nam ordo ductusque pilarum recta eò tendit. Vide supra pag. 1124.

Pag.

Pag. 1141. *Auctor* Ἀνώνυμος] Est Ios. Scaliger.

Lin. 6. *Miror omneis erraße* :] Paulus Diaconus lib. VII. III. m. p. tantum retulit.

Lin. 20. *Coloniæ civium Rom.*] Idem quoque teſtatur vetus inſcriprio quam vide pag. 1138.

Lin. 27. *Cognomentum à Nerone adipiſcuntur*] Videtur poſtea à Veſpaſiano inſtaurata vel ampliata. Vnde in veteri lapide COLONIA FLAVIA appellatur, fortè ob beneficij memoriam. Nam Tacitus lib. 3. præcipuum Puteolanorum in Veſpaſianum ſtudium commemorat.

Lin. 52. *Gaiola*] Vulgo caput Pauſilypi vocant.

Pag. 1142. lin. 53. Γαυρέλω] Γαυρείλω.

Pag. 1143. lin. 4. *Splendidus, nivoſus*] albicans, niveique coloris. Deſcribit enim Leviogæos colles, de quibus mox pag. 1146.

Lin. 14. *Totus ſterilis*.] Non ita pronunciaſſet ſi totum circumcirca luſtraſſet.

Lin. 15. In margine] CICERONIS VILLÆ.

Lin. 41. *Hi poſtea, &c. obruti fuere*.] Imo extant adhuc ad meridionale latus Lucri-

ni

ni veſtigia permulta villarum: in primis verò in colle, qui faucibus Lucrini & Averni proximè imminet. Atque ex eo latere Ciceronis Cumanum fuiſſe omnino exiſtimo.

Pag. 1144. lin. 9. *Ab Averno lacu*] Plinius viam publicam intelligit, quæ Cumis juxta Avernum lacum Puteolos ferebat. Huic appoſita erat villa hæc Ciceronis, ſed inter viam publicam & littus maris.

Lin. 53. *Deeſt aliquid*.] Legendum ἃ παῦ ἔχῖ.

Pag. 1145. *Ab utroque latere viæ conſularis*] Ego contra exiſtimo Plinij verba ſimpliciter accipienda, Leborinos campos finiri utrinque via conſulari, quarum altera Capua Puteolos, altera Cumas ducebat, neque enim unam eandemque viam fuiſſe certum eſt in regione non ſolùm Italiæ, ſed etiam totius orbis cultiſſima. Et ex Tabula Itineraria Peutingerorum aliquo modo perſpicitur. Nam Puteolana via per Atellam & Neapolim ducebat Plinij ævo, quam deinde Trajanus Imper. per colles Neapoli imminentes ductam breviorem reddidit, ut ex veſtigijs apparet & inſcriptionibus antiquis apud Capaccium pag. 421. Via autem Cumana ducebat

bat post Gaurum montem, in quam & altera via Puteolana incidit, quæ Campana vulgò adhuc dicitur.

Pag. 1146. lin. 24. *Non hæc autumno*] Describit omnino forum Vulcani: nam Astrin sylvis densissimis vestitur.

Pag. 1147. *Tyranno nomen fuit Phalaris*] quem imperitè cum Phalero confundit. Ego Atticum illum Phalerum intelligi vix dubito, à quo vicus ille maritimus Athenensium nomen accepit, inde colonos Neapolim commigrasse existimo, quod Nauticis hominibus situs commodissimus ad commercia maritima placeret. Nec puto hanc opinionem temere improbatum iri, qui Lycophronis ænigmata non prorsus ignoret, præsertim cum Strabo diserte de Atticis colonis testetur.

Pag. 1148. *Oppianum ego credo innuere.*] Fallitur toto cœlo, & fallit Grammaticus ille qui Oppiani locum nullo modo intellexit. Neque enim ille de Opicorum oppido, sed de Syriæ campis circa Orontem loquitur. Locus est 2. Κυνηγ. v. 148. Mirum tantam in hominem cadere oscitantiam, nisi solitum esset huic genti ineptire.

Pag. 1150. lin. 32. *Ævipiscium memorandum nuper exemplum accepimus.*] delend.

Var-

Varro [*Pauſilypum, &c.*

Lin. 41. *Sic quippe*] Ζεὺς παυσίλυπος Sophocli in Naupleo & παυσίλυπος, &c.]

Lin. 49. *amœnitatis genere celebratiſsimus*] Cui haud dubiè nomen à celeberrima hac villa hæſit.

Pag. 1151. lin. 52. *Perfodiſſe.*] Lege *perfoſſum.*

Lin. 55. *Mergolino.*] Sane hoc loco nulla extant veſtigia neque villæ, neque piſcinarum.

Lin. 56. In margine] *Caſtellum* LV. CVLLANVM.

Apud viam Luculli] Rectiùs Iul. C. Capaccius lib. 2. hiſt. Neapol. Caſtrum hoc in inſula Megari ſeu Megalia fuiſſe docet, quod nunc vulgo Caſtellium Ovi à forma illius inſulæ vocatur; atque ita inſcriptio arcis docet poſita A. C. 1595. Sanè ea, quæ ex antiquis Eccleſiarum inventarijs affert Coxanius talia ſunt, ut nemo ijs fidem niſi temere deneget. Loci autem antiquitatem confirmant etiam D. Gregorij M. teſtimonia.

Tum vero ſub ipſo Caſtello ingens nunc crypta arte exciſa operis antiqui: tum longe lateque circumcirca per mare ſparſa viſuntur rudera & veſtigia ingentium piſcinarum; neque nunc ullus toto hoc

tractu

tractu locus est adeò refertus ostreis, echinis, alijsque piscibus.

In Actis translationis S. Severini, Insula Salvatoris, quæ à Neapoli vix XII. abest stadijs. Insula autem Salvatoris eadem est cum Castro Lucullano.

Pag. 1152. lin. 57. *Soracte*] An leg. *Sabate*. Nam prope Braccianum adhuc locus ille conspicitur.

Lin. 45. *Diu illuc morati sunt.*] Quod etiam simili in scrobe contingit prope aquas Stilianas.

Pag. 1153. lin. 29. *Antiquissimum oppidum*] Haud dubiè ubi nunc S. *Giovanni atteduccio*.

Lin. 52. *Sub Vesbio*] Miror Cluverium adeo levi argumento Donati auctoritatem, & tot sæculorum fidem deferere, cùm ex hisce Statij verbis nihil certo concludi possit quod scripserit ea carmina in littoribus Campani sinus, quem sinum cum alia multa, tum inprimis Vesuvij montis adspectus nobilitat.

Pag. 1154. lin. 2. *Per cryptam Neapolitanam*] Et quantum os Cryptæ, & Maronis sepulchrum distant à littore? Sane vix lapidis jactu; neque vestigia ejus in jugo montis, sed ad pedem Pausilypi.

Lin. 15. *Ergo ultra Maronis monumentum*]

delend. Et in margine HERCVLANIVM.

Lin. 49. *Millia VI. intervallum*] Fallax hæc conjectandi ratio ſine Mathematica menſura. Neque hodierna milliaria antiquis reſpondent : multo enim nunc productiora. Charta geographica exactiſſima Garciæ Baneonoui Cuſani Marchionis octo fere milliaria moderna juſta ponit hoc intervallo, quæ nouem antiquis reſpondent. Summontius lib. 1. cap. 10. pag. 267. in Latinis monumentis locum hunc Caſtrum Turris Octavi dici notavit, quod præcedentem meam conjecturam confirmat. Inde certo affirmare auſim Herculaneum duobus p. millibus ultra dictum locum ſitum fuiſſe in prominentiſſimo hujus ſinus capite, ubi nunc *Torre de Ripalta*, unde 5. vel 6. m. p. deinde ſunt uſque ad Turrem Annunciatæ ſive Oplontos, quamvis locus hic citra Turrim Annunciatæ uno plus minus miliari fuerit. Nam à Turre Annunciatæ ad Pompeiorum veſtigia vix 2. ſunt m. p.

Pag. 1155. l. 4. In margine.] POMPEII.

Lin. 21. IIII. *ſunt juſta millia*] Sed non Romana : nam certum eſt VIII. m. p. intercedere & amplius, quamvis nunc vulgo VI. tantum computent.

Lin. 24. *Liquet, &c. Pompeios eſſe Scafati*]

Quin-

Quinimò certissimum est Pompeios fuisse ubi nunc maxima visuntur rudera, loco, qui *Cività* vulgo dicitur, ubi Ambr. Nolanus Stabias olim fuisse existimavit. Sed lapides nuper hic effossi, & Stabias translati Pompeios fuisse certo ostendunt. Tum nomen ipsum *Cività* hoc confirmat, ut Cluverius non semel in alijs locis observat. Tum etiam intervallum inter Pompeios & Nuceriam XII. m. p. ostendit citra *Scafati* ponendam esse.

Lin. 44. POMPEIANI] Apud Vitruvium lib. 2. cap. 6. spongia sive pumex Pompeianus.

Lin. 45. HERCVLANENSES] Sic lapis Neapolitanus apud Summont. lib. 1. pag. 22.

Pag. 1158, lin. 4. BEBIVS] Constantinus Porphyrogenitus lib. 2. Them. c. XI. de Longobardis. ἡ δὲ ἐν τῷ καθ' ἡμᾶς χρόνῳ ἦτε Βοζεντὸς καὶ Νεάπολις, ἡ μητρόπολις καὶ τὸ Οὐίσβιον ὄρος, καὶ ὁ ἐν αὐτῷ Πυεχαὶ & ἐλλιώων εἰσὶν ἀποικίαι. Ita enim mss. regius & Vaticanus hunc locum.

Pag. 1161, lin. 1. *Lactarius mons*] Imò diversus mons est, vulgo nunc *Monte Lattario* dictus æquali III. milliariorum intervallo, & Stabijs & Leteris distans, ut Stabiensis Episcopus mihi affirmavit, alij-

que viri docti horum locorum gnari.

Lin. 24. *in Liguria*.] Leg. *in Liburia*.

Inter 27. & 28. lin. *Æqua oppidum*, inferendum Æquana Silio Italico, vide Capacium lib. 2. cap. 11. pag. 496. & Ortelium.

Pag. 1162. l. 9. *Coloniam aliquando Romæ huc fuisse deductam*.] Idem variæ testantur inscriptiones, quæ adhuc Surrenti extant, & à Capaccio editæ sunt, sed maximum Romanæ magnificentiæ vestigium Castellum aquarum, XXVII. fornicibus comprehensum supereſt integrum & illæsum, tum piscinarum & villarum per omne vicinum littus reliquiæ prorsus stupendæ.

Lin. ead. *Testatur Frontinus*.] Non sequitur coloniam Romanam fuisse, quia in libello Frontini habetur: neque enim ille colonias dumtaxat, sed omnes promiscuè civitates & oppida recenset.

Pag. 1163. *SIRENVM igitur templum*] Turris Campanellæ in ipsis fani vestigijs & ex ruderibus ejus extructum vicini affirmant, ubi & numismatum, & aliorum antiquitatis monumentorum copia quotidie eruitur.

Lin. 18. *Porrò inter extremum, &c.*] Huius prædij vestigia apparent in sinu Lunatointer caput Massæ, & caput Surren-

ti,

ti, ut nunc vocant, cui loco vulgo nunc *Polo*. Ipsa autem vestigia *Portignone* vulgo dicuntur, ubi inferius ad mare gemina testudine vivaria, aut aquæ tepentes contegebantur. Deinde supra in amœnissimo & fertilissimo colle villæ maximæ vestigia extant, & rudera templorum.

Lin. 30. *In terras, scopulis, &c.*] Graphicè depingit locum.

Lin. 43. *Ita continenter inter eas junctis*] Leg. ita continenter interjunctis.

Lin. 53. *Inter duo promontoria, &c. protensus*] Innuit eundem sinum Cicero lib. ad Attic. epist. 8. *In Formianum volumus venire Parilibus: inde (quoniam putas prætermittendum nobis esse hoc tempore Cratera illum delicatum) Kal. Maij de Formiano proficiscemur.* Ad hunc enim sinum & Puteolanum & Pompeianum Ciceronis erat.

Pag. 1166. lin. 29. *Posterior auctor*] Imò multò vetustior, nam sub Dario vixit, teste Herodoto lib. 4.

Lin. 31. κατὰ ταῦτας δὴ] κατὰ ταῦτα δὴ Πιθηκέσα, &c.

Pag. 1167. lin. 23. *Reperias*] Homero succinit etiam Hesiodus in Theogonia.

Ἠ δ' ἔρυτ' εἰν Αἰμοισιν ὑπὸ χθόνα λυγρὴν
Ἔχιδναν.

Capaccius affert etiam Pindari locum, sed nescio unde eum hauserit: Ovidius loco paulo ante citato nominis causam subiungit.

Quippe Deum genitor fraudem & periuria quondam
Cercopum exosus, &c.

Quinam verò Cercopes illi fuerint ex Harpocratione & Suida discimus, qui Xenagoræ locum affert de Pithecusarum nomine, sed leviter corruptum. Κέρκω τις δύο ἀδελφοὶ ἦσαν ὅτι ξῆς πᾶσαν ἀδικίαν ὅπλυνον... & mox: φησὶ γὰρ αὐτὸς ὁ Ξεναγόρας ὡς Πιθήκους μεταμορφωθῆναι, διὰ τὴν κακοήθειαν, καὶ τὰς πιθήκους (Leg. Πιθηκούσας) ἀπ' αὐτῆς ὀνομασθῆναι νήσους Ad eandem vocis originem alludit Lycophron v. 688. ὅ τῶν γιγαίτων νῆσος, &c. Quo loco idem error in Isacij commentarijs ex Suida irrepsit. Idem quoque Apollonij Scholiastes ex Pherecide refert ad lib. 2. pag. 121.

Pag. 1168. lin. 24. *Capriam quoque*] Exilio etiam principum virorum nobilitata fuit. Commodus Crispinam vxorem eò relegavit.

Lin. 48. XL. mil. pass.] Leg. XI. m. p. vulgò nunc IX. computant. Quæ XI. anti-

tiquis milliarijs reſpondent.

A Capreis gentile Capreates fuiſſe exiſtimo, idque nomen corruptum puto l. 4. ff. de rerum diviſ. ubi nunc vulgò legitur. *Divus Pius piſcatoribus Formianis & Carpenatis reſcripſit*. Vbi omnino Capreatis ſubſtituendum iudico. Ita Stephanus, cui Καπρεία hæc inſula dicitur. Gentile eſt Καπρειάτης.

Lin. vlt. *Tiberius* XII. *villarum*, &c.] Horum ferme omnium veſtigia etiam hodie conſpiciuntur. Primum enim ſimul atque exſcenditur in littus, ubi fontes ſaluberrimi ſcaturiunt, ædificij maxima veſtigia ſuperſunt. Inde ubi aſcenderis in lævo colle, & præcipuum loco mox deſcribendo.

Pag. 1169. ARX] Hæc villa impoſita fuit Orientali inſulæ jugo, quod oſtio Crateris ex proximo imminet, cujus immenſæ hodieque viſuntur reliquiæ, in quibus ædicula S. Leonardi, & Eremitorium B. Virginis ſuccurſus conſpicitur. Pharos quoque in proximo jugo quamvis collapſa conſpicitur, quæ à Sicilia & Paſtano ſinu accedentibus viam monſtrabat, per fretum arctum & procelloſum in ſinum Campanum.

Lin. 29. *At unde Græci*, &c.] Corruptus Marciani Capellæ locus hinc reſtituendus.

In octavo miliario Capreæ Senaria dicta & Teleutea. Vbi haud dubiè legendum *Ænaria dicta & Telonis.* Nec dubito quin prius illud ex Suetonij loco malè intellecto hauserit.

Lin. 40. In margine] SIRENVM *insulæ.*

Lin. 52. *νησίδια ἕξ ἀφεστηκότα*] Optimè Strabo: nam Pasitano D. vel DC. pass. intervallo tres scopuli objacent, vulgò li Galli, dicti, quorum duo speculam sustinent. Tertius planè desertus est. Singuli horum vix XX. passuum freto disjunguntur. Duo alij sunt scopuli proximè terram, altera sub Promontorio Prajani, altera insula S. Petri Monachorum dicitur, sed neutra ad Sirenum Scopulos pertinent.

Pag. 1170. lin. 42. *At ubi hæc insula* Homerus haud dubiè noverat visu, vel auditu saltem amœnitatem oræ Amalfitanæ, cui Sirenum Scopuli objacent, eoque his versibus alludit. Neque verò fides historica à Poëtis ubique exigenda.

Lin. 48. *ἐπ' Σειρηνίδα πέτρην.* Intelligit haud dubiè promontorium Minervæ sive Sirenum, ut mox ipse Cluverius explicat.

Pag. 1171. lin. 10. *Græcorum fabulæ variæ sunt atque incertæ*] Sed quod ad Geographiam pertinet, nemo hæc rectiùs

aut

aut accuratiùs descripsit Strabone, qui tres Scopulos appellat, quot etiam nunc visuntur inter Minervæ promontorium & Civitatem Amalfitanam. Horum scopulorum primus nunc vulgo vocatur *S. Pietro de i Frati*, & Ecclesiam principi Apostolorum dedicatam habet: inde 2. millia pass. circiter distant duo reliqui vulgo *le galle*, dicti, quorum ulterior speculam marinam sustinet.

Lin. 21. Massicvs mons] Marsicus mons vocatur à Leone Ostiensi Chron. Cass. lib. 1. cap. 33. *Monte Marsico* etiam nunc ab accolis vocatur, vinis, quæ *Muscatella* vocantur, fertilissimus.

Pag. 1172. lin. 30. *Faustiani*] Faustiani nomen superesse in *Falciano* videtur, ubi nobilissimum Falernum vulgo *Vino Razzese* dictum nascitur.

Pro Cedias autem Cædicias legendum existimo. Erant enim tabernæ illæ via Appia de quibus in fine libri præcedentis. Vnde & hoc perspicitur Cædicias fuisse 4. circiter m. p. ultra Sinuessam. Vici autem illius incolæ CÆDICIANI in veteri inscriptione appellantur, conjunguntur que cum SINVISSANIS. Lapis ille extat Carinolæ, quem descriptum ad me misit Ill. Theanensium Episcopus Gue-

Guevara.

Pag. 1173. l. 37. *Ἐπὶ Τρεβίαν*] Assentior omnino V. C. Camillo Peregrino, qui Τρεβίας legendum censet. Nam post jugum illud montis oppidum Trebia fuit, quod adhuc nomen, servat à rusticis *Treglia* vulgò appellatur, ubi quamplurima vetustatis extant monumenta.

Lin. 48. *Reliqua è regione Hirpinorum*] Hæc tertia, quæ ex Hirpinis ducebat.

Lin. 49. *Altera est qua ab Ariano*] Hæc via nuper à Neapolitanis aperta, unde vulgo *la strada nuova* dicitur. Polybius haud dubiè viam intelligit, quæ à Boriano per Æserniam & Venafrum paulo sub Theano in hos campos descendit.

Media autem via angusta & impeditissima ea est, quæ à Calatia in agrum Falernum fert, inter Calliculam & Trifiscum montem 2. m. p. supra Capuam novam sive Casilinum, vnde certo constat Calliculam montem esse, qui supra Cales longo tractu ad Vulturnum usque fl. procurrit, in cujus extremo jugo Monasterium situm est nomine Hierusalem: atque eo ipso loco Fabium ab Hannibale ludificatum ipse loci situs ostendit. Polybij autem accuratissimi Scriptoris, aut verius pictoris exactissimi λόγου ὑπερέξει καὶ τ

σειρῶν

ξενῶν, collis est inter angustias illas & Vulturnum ab reliquo montis jugo divisus, quem Leo Ostiensis Trifiscum appellat, in quo Sciopolis Campanorum refulgat, in quo Sciopolis Campanorum refugium olim situm fuerat. Locus ad angustiarum transitum servandum à natura factus, vulgo nunc *Collis Palumbara*, & angustiæ illæ *il passo de Palombara*, alijs autem *Petra Mala*.

Pag. 1174. lin. 10. angustijs illis] ad dexteram [imminebat.

Pag. 1177. lin. 1. S. Maria di Capoa] *S. Maria di Capoa* vocatur totus ille vicus admodum populosus, qui nunc in veteris Capuæ ruinis habitatur *S. Maria delle gratie* Ecclesia est vna, quam in veteris Cathedralis ruinis vel potius iuxta ruinas, nescio qui Monachi nunc ædificarunt.

Lin. 5.	Tabula	Hierosol.
	Sinuessa	*C. Sinuessa,*]&c.

Antoninus Sinuessa Capuam XXVI.

Lin. 13. *Contra Verrem*] Ex nescio quo Vetere auctore affert.

Lin. 23. *At circa celebriores, &c.*] Non puto. Neque enim casu aut conjectura viarum mensuras & intervalla constituebant, sed lapidibus ad singula millia passuum positis. Fallitur Cluverius eoquod milliaria nostro tempore prolixiora sunt iu-

iuſtis milliaribus antiquorum Romanorum. Vnde paſſim errandi occaſio.

Pag. 1178. lin. 4 *Καπαίτλω*] An *Καπυανῶα* ? aut *Καπυανέαν*, vel *Καπυανέαν* ?

Lin. 11. *Falernus ager à ponte*] Pontis quoque nomen etiam memoria extat in vicino vico *S. Giovanni à ponte Campano*. Et hæc fortè villa, cujus Horatius meminit.

Lin. 23. *Immutata milliarium computatione*] Mutata potiùs ſtatione, quaſi non diverſoria potuerint tranſponi, aut plura in eadem via eſſe ad diverſos lapides.

Lin. 29. *Qua mœnibus inſtat collis*] Collis hic ex Tifata Capuam verſus procurrens vulgo nunc *la Montagnola* dicitur, atque in eo Caſtra Hannibalis fuiſſe nullo modo dubitauerit quiſquis ejus loci naturam perſpexerit.

Lin. 43. *In valle occulta*] In hac valle Cluverius infra pag. 1196. furcas caudinas ponit.

Pag. 1179. lin. 24. DIANÆ TEMPLVM] Lapis antiquus ante Eccleſiam S. Angeli. DIANÆ TRIVIÆ TIFATINÆ SACRVM. Aliæque multæ inſcriptiones ſimiles.

Lin. 27. *Hujus gratæ religionis memoriam inſcriptio templi adfixa poſti hodie teſtatur ærea tabula*] Verba Velleij. Cœterùm de hoc

fano

fano prolixè differit M. Monachus Sanct. Cap. p. 68. & seqq. vestigia ejus extare ait prope Ecclesiam S. Angeli ad Formias in latere montis supra Capuam. Et sic Oct. Melchior Calat. pag. 13.

Lin. 30. *Iovis Tifatinus*] ab [*occidentali*, &c.

Lin. 36. *Nomen inde servavit*] Nonnulli eo loco fuisse credunt, ubi nunc *la Rocca di S. Nicola*, teste M. Monacho Sanctuarij Capuani p. 154. Sed ego Iovis Tifatini templum isthic fuisse omnino existimo.

Lin. 42. *Est autem*. Non puto Balneolum fuisse in vertice montis cl. vir Michaël Monachus Sanctuarij Capuani parte 1. p. 72. docet celeberrimi hujus fani vestigia extare, ubi nunc *S. Angelo della forma*, cui potiùs assentiendum existimo. Profert ibidem inscriptionem antiquam de hoc fano. Et ipse post perlustratum hunc locum, in ejus sententiam eo; quam & Leo Ostiensis lib. 1. cap. 66. confirmat: ubi Siconem Episcopum Capuanum occupasse scribit Ecclesiam S. Angeli, quæ tum ad arcum Dianæ appellabatur: quia templum ejusdem Dianæ inibi fuit. Nunc verò ad formam dicitur. Hæc Leo. Vnde apparet Cluverij opinionem de Balneolo esse vanam. Vocatur autem ad formam, quia

aquæductus Nouæ Capuæ ad radices ejus collis ducitur.

Romæ in Ecclesia S. Martini in Montibus in limine interiori Posticæ. DESCRIPSIT. CALES. COS. CVM..... Q. III. VIR. A. A. A. FF. ÆD. CVR. IVDEX. Q. VENEFICIS. PR.

Lin. 44. *Vocatur, &c. Bagnoli*] Eadem tabula inter fanum Dianæ & Telesiam locum commemorat Syllas pari 6. milliarium intervallo vtrinque distantem; is haud dubiè est locus ad dextram Vulturni ripam vulgò nunc *Squilli* dictus, nomen haud dubie accepit à Syllæ castris aut prædio, aut forte à trophæo erecto in victoriæ signum, & monumentum, ut ex Velleij loco conijcere licet.

Pag. 1180. lin. 22. *Ad flexum*] Locus ille *ad flexum* est sub pago S. Petri in fine, unde via quæ Venafrum, atque inde Æserniam ducit, siniſtrorsum divertit per montes. Ipsum autem divertigium est ad Orarium S. Antonij in via Latina situm; quamvis nunc Roma venientes ex Latina divertant ad Tabernam S. Victoris. Flexus autem dicitur, quia via Latina recto vtrinque tramite procurrens hic flectitur ac sinuatur circa montem Rotondum, vt vocant; qui in media procurrit via, ubi

ma-

magna antiquitatum vestigia *Alla nunciata longa*.

Lin. 23. *Theano Scedicino* VIIII.] Scrib. XIIII. nam 2. sunt m. p. ad S. Ioannem sub Atignano, inde 3. ad Tabernam S. Felicis ad Rufas. Et porrò 3. ad diversorium Currei, tum 6. m. p. Theanum per *via di Madamma Zarra*, quæ semper per Latinæ vestigia, licet misere dissecta ducit, sub *Cajanello* veteri destructo.

Lin. 33. CALENI.] Ita in nummo antiquo ubi gallus gallinaceus cum inscriptione CALENON.

Lin. 34. *A Calibus, &c.*] Clarus vir Camillus Peregrinus Capuanus, & Michaël Monachus Sanctuarij Capuani auctor Calatiam, quam Itineraria inter Capuam & Beneventum collocant, non oppidum Episcopale *Caiazzo* esse existimant, sed locum ignobilem etiam nunc in Appiæ ductu situm, vulgo *S. Gaiaza* dictum. Et sane longæ fuissent itinerum ambages per *Cajazzo*, quod cis Vulturnum amnem situm est. Et Tabula Peutingeriana omnino diversum iter ducit Allefis per *Cajazzo*. (in Tabula vitiose *Gahetie* scriptum legitur) ad Castra Annibalis & fanum Dianæ, atque inde Capuam. Hujus viæ mentio extat apud D. Monachum Sanctuarij

Ca-

Capuani p. 135. ad quam S. Lupuli Eccle-ſiam fuiſſe docet. Videndus quoque idem pag. 330. & 127. Idem in recognitione ſanctuarij pag. 12. circa annum 1100. locum hunc Calatiam dictum fuiſſe docet, ubi Eccleſia S. Mariæ de Calatia fuit. Et multò clariùs p. 85. eiuſdem recognitionis. Idemque iamdudum obſervavit Octavianus Melchioris lib. 1. de antiquitate Calatiæ pag. 36. ubi alterum illud Caſtellum ſub Caſerta ſitum Galatium vocatum ſcribit, ex cujus reliquijs Caſertam ædificatam affirmat.

Plinius quoque lib. 31. cap. 2. cùm ſcripſiſſet Aquas in Ænaria inſula calculoſis mederi, addit: *Et quæ vocatur Acidula ab Theano Sidicino quatuor M. paſſ. hæc frigida, &c.* Extat hæc aqua etiam nunc, & longe lateque expetitur ad calculi dolores in territorio Calvenſi ſub Caſtello vulgo *Francolici* dicto.

Pag. 1181. lin. 22. *Præter iam, &c.*] Fuere paululum ſub diverſorio Torricellæ, ubi in confinio Teanenſis & Calenæ Diœceſeos etiam nunc monumenta quædam antiquitatis videri teſtis mihi eſt Ill. D. Guevara Theanenſis Epiſcopus, qui cryptas hoc loco antiqui operis latronum receptacula obſtrui iuſſit. Et ipſe horum

tem-

templorum vestigia vidi paulo supra Epitaphium, ut vocant, ubi columna milliaris prostrata jacet.

Lin. 32. *Incertum est.*] Posterius mihi magis fit verisimile. Vide quæ pag. præcedenti notavi ex ἀσταφία. Nam inde etiam nunc via publica ducit sub S. Petro in fine Venafrum, atque inde Iserniam.

Lin. ult. *Suessa, &c. fuisse municipium.*] Iterum colonia deducta fuit ab Augusto Imperat. uti apparet ex veteri inscriptione apud Gruter. pag. M. XCIII. ubi vocatur COLONIA. IVLIA. FELIX. CLASSICA. SVESSA. Putoque Classicam dici, quòd veteranos aut emeritos post Antonium Classe devictum colonos acceperit.

Pag. 1182. SVESSANI. Ita antiquæ inscriptiones apud Capacium pag. 622. quarum prima Hadriano Imp. posita. QVI. VIAM. SVESSANIS MVNICIPIBVS. SVA PEC. FECIT. Fuit haud-dubiè diverticulum ex Appia via ad Minturnas, quod deinde per Theanum & Cales Casilinum & Capuam ducebat; ut videre est in Tabula Peutingeriana, ubi tamen Sueſſæ nomen omissum, & numerus milliarium, quæ ab Antonino ponuntur XVIII. quamvis nec ipse Sueſſæ me-

minerit ; ſed iter uno tractu Minturnis Theanum perducit.

Poſt lin. 36. *Vnguentum*] Hoc loco inferendum erat forum Popilij, cujus Ptolemæus meminit, quodque ipſe Cluverius in Tabula inter Saronis & Vulturni oſtia poſuit, & cujus ipſe meminit infra pag. 1281. ſed oblitus fuit promiſſi. Diſquirendum etiam, quænam ſit Vrbana colonia Syllana, prope Pontem Campanum, cujus Plin. lib. 14. cap. 6. & Tabula Peutingeriana meminit, cujus ſitus meo judicio in Carinolam trahi poſſet, niſi illa potius forum Popilij fuerit. Sed in Sanctuario Capuano Mich. Monachi pag. 24. in vita S. Bernardi Epiſcopi Calenenſis ſive Carinolæ legitur Manſionem Epiſcopalem fuiſſe in loco, qui forum Claudij dicebatur ſtrata publica euntibus Romam & Neapolim, qui locus à Calenenſi civitate duobus ferè millibus diſtat. Cùm igitur Ptolemæus ſuum illud forum Popilij planè eodem loco collocet, affirmare auſim unum eundemque eſſe locum. Et confirmat meam hanc opinionem obſevatio doctiſſima ejuſdem Michaëlis Monachi pag. 28. ubi Calenenſem Epiſcopum Foroclaudienſem in ſubſcriptione Caſinenſi vocari docet. Ipſam verò Carinolam olim Ce-

le-

lenam vel Celennam dictam conijcio primùm ex versu Virgilij lib. 7.

Quique Rufas Batulumque colunt atque arua Celennæ.

Cùm enim Rufæ, ut infra pag. 1200. notavi, fuerit ubi nunc Presenzanum Theanensis Diœcesis oppidum extat, Celennam quoque in hac Campaniæ parte ponendam existimo, cui planitiem magnam subjectam Virgilius ostendit. Deinde qui Iulianus Pelagianus Episcopus Campanus, Celanensis Episcopus à Beda vocatur, quod ad Virgilij Celennam non male trahit Rosvveidus in notis ad Paulinum. Nam Celanensis civitas, ut apud Prosperum in Chronicis legitur, extra Campaniam in Hirpinis fuit. Iulianum verò alicubi in Campania Episcopum fuisse testatur idem Prosper in Epigrammate, quo eundem Iulianum perstringit.

FORO POPILIENSIVM mentio extat in Lapide Campano, quem ipse vidi Capuæ sub arcu gravi, ut vocant, cum D Camillo Peregrino.

Pag. 1183. lin. 20. *Deducta*] Arienzi lapis antiquus. L. POMPEIVS. M. F. VERETVNIVS IIVIR SVESSVL.

Lin. 21. *Ad dextram Clanis ripam fuit & TREBVLA*] Falsum.

Lin. 26. *Trebianumque*] Trebbia locus etiam nunc dictus. Vnde etiam Polybio lib. 3. p. 242. Τρεβιανὸν appellatur, ita enim illic scribendum, ubi nunc malè editur Ερεβιανὸν.

Pag. 1184. *Hic ad Satriculam*] Ergo Satricula in Samnio.

Lin. 26. *Caserta*] *Casa irta* aliquoties vocatur ab Herchemperto in Epitome.

Lin. 39. *Eo situ hodie est opp. Aversa*] S. Arpino, sive S. Elpidio nunc locus ille dicitur, ubi totius civitatis sive oppidi veteris ruinæ & vestigia conspiciuntur, præsertim fossæ quæ olim mœnia cingebant. Distat locus ab Aversa 2. m. pass. & Episcopus Aversanus olim quoque Atellanus dicebatur, cui deinde etiam Cumanus Episcopatus titulus accessit. Vnde Aversano olim tres mitræ pro insignibus erant. Ita mihi affirmavit Illustriss. & Reverendiss. D. Caraffa Episcopus Aversanus. Et in actis manuscriptis Longobardicis de translatione corporis S. Athanasij Casino Neapolim sic legitur: *Tanta velocitate iter peregerunt, ut intra unius diei spatium à Monasterio S. Benedicti in Atellas devenirent, quæ sexaginta millibus distat, & apud Ecclesiam S.*

Elpidij

Elpidij manerent. Via autem publica Capuana per mediam ducebat civitatem, ejusque nunc maxima supersunt vestigia, præsertim Capuam versus, ut mihi affirmavit Parochus S. Elpidij ejus loci bene gnarus. Cœterum in locorum interstitijs assignandis errant acta illa manuscripta. Nam pro LX. scribendum est XL. tot enim mil. pass. tabula exactè ponit, atque etiam nunc vulgo computantur.

Pag. 1185. lin. 33. ABELLANI] Vetus inscriptio Coloniam vocat apud Gruterum.

In fine pag.] Nola distat Capua secundum Tabulam itinerariam m. p. XIIX, sed Paulinus Episcopus Nolanus XX. mil. pass. abesse scribit in Epistola ad Cytherium.

Ar urbe Capua, quæ loco sedis meæ
Bis dena distat spacia.

Pag. 1187. lin. 13. TEGIANVM.] Mirum sane locum adeò obscurum Reipublicæ nomine vocari, cum nullus auctor ejus meminerit. Tum prępositio *ad* ostendit non intelligi oppidum, sed locum obscurum. Ego omnino existimo legendum. Ad Teglarium vel Tegularium, ut sit locus ubi tegulæ coquebantur, ut multæ

aliæ voces formantur. Galli hodie vocant *Tuillerie*. Cœterùm in lapide Neapol. puto Tegianenſes ſcribendum pro Teanenſes, quæ olim ſecunda poſt Capuam Campaniæ civitas: atque hoc quadratarij erratum eſſe.

Pag. 1189. lin. 20. *Quum olim remota eſſet à mari, &c.*] Quo auctore? Nam adhuc bona civitatis pars in acclivi collis latere habitatur.

Lin. 27. *Inter Nuceriam & Salernum iuſta ſunt millia* VIII.] Sed via diverſa: nova enim, quam regiam appellant per Cavam à veteri ducit: vetus autem à Caſtro Nuceriæ iuxta montis latus ducebat per Vicum S. Adjutoris, atque inde rectà ſupra Salernum deſcendebat.

Pag. 1190. lin. 2. *Icentie* XII.] ſcribendum VII.

Abelino XII.] XX. [*Silarum fluv.* VIIII.] ſcrib. XIIII.

Nares Lucanas VIIII.] Scrib. Marcellianas XXIIII.

Vico mendicolco . . . . .] Circa lacum nigrum fuiſſe videtur. Hoc eſt divertigium ex via Aquilia in Appiam, cujus ductum parum obſervavit Cluverius. Hæc autem via Benevento deflectit meridiem verſus iuxta Sabatum fl. ubi tranſit

angustias Barbæ, ut vocant, atque ita Abellinum perducit; atque inde porrò Picentiam: quamvis nunc Salernum potiùs eatur.

Lin. 9. *Nerulos nunc vocari Episcopiam*] Vide notata infra pag. 1279. sed rectiùs infra pag. 1254. ipse Cluverius.

Lin. 16. *Nihil certi ex ijs investigare potui*] Destituit haud dubiè ægrotantem & moribundum Cluverium memoria. Nam adhuc inter Salernum & Ebolos transitur locus *Bicenza* dictus, quem allabitur fluvius vulgo dictus *il Bicentino*, ad quem Cluverius ipse mecum pernoctavit. Et in diario Itineris Italici, non semel, sed ter notavit hunc locum VII. m. p. Salerno & XIII. mil. pass. à Silaro distantem. Vnde nullo modo dubitandum quin hæc ipsissima sit Picentia, quæ in Picentino, non meditullio sita nomen genti dedit. Et apparet hinc cur Mela eam in ora maritima recenseat, cum III. plus minus miliaribus tantum à mari distet. Vellem Cluverius Diario potiùs suo, quàm Vorstij relationi fidem adhibuisset; ita non circumduceret itinera antiquorum per loca devia. Nam certissimum est Viam Appiam sive Aquiliam non per Valvanum, sed per vallem Tanagri, ut hodie, ita olim quoque du-

duxiſſe.

Pag. 1191. lin. 7. *An igitur heic Marcinæ fuit iſtud Templum Junonis, &c.*] Giſoni veſtigia ejus adhuc extant, vel potiùs ipſum templum adhuc fermè integrum B. Virgini Aſſumptæ dicatum. Id figuræ eſt rotundæ, operis lateritij. Porticu circum ambitur, quem octo inſignes columnæ operis Corinthiaci ſuſtinent; habebatque olim portas quatuor, decuſſatim ſibi invicem reſpondentes, Opidani Giſunenſes publicis inſignibus hoc templum præferunt, nomenque loci Giſuni quaſi Iunonis fanum dictum exiſtimant. Hæc V. Cl. Camillus Glorioſus Mathematicus inſignis ejus loci civis de patria ſua mihi retulit, & videnda ejus reſponſio contra Fort. Licetum nuper edita pag. 146.

Pag. 1192. lin. 23. *Egiſſent tuliſſentque*] ſcrib. vaſtaſſent.

Lin. 47. *Unos nominavit Samniteis, &c. morati ſunt Romanis Italiæ imperium.* Horum inſtitutum egregium laudat Nicolaus Damaſcenus apud Stobæum Ser. 42. quod habetur in Excerp. pag. 514.

Cœterùm gentem hanc in plura genera ac nomina diviſam fuiſſe ex Livio & Dionyſ. Halicarn. qui partem aliquam Samnitum Pentros dictos fuiſſe ſcribunt; quo-

rum

rum caput erat Bovianum, Livij verba habes in ſequentibus, quæ fruſtra corrigere conatur Cluverius, ut apparet ex Dionyſ. excerp. lib. 12. pag. 532. Samnitum quoque partem Caracini ſive Caraceni fuere, quorum Ptolem. & Zonaras meminere pag. ſeq. De Hirpinis & Frentanis mox ipſe Cluverius.

Pag. 1193. lin. 27. *Depopulato Antiate agro*] Atinate legendum. Nam Atinas ſub Caninio ſita erat. Altera enim lectio inepta eſt & nullius pretij. Quid enim Samnio cum Antio?

Pag. 1194. lin. 5. TREVENTINVM.] In libello Frontini de Colonijs, legitur variè ſcriptum TREVENTVM. TREVENTVM. & in Nanſij Cod. TEREBENTVM. oppidum, quod cum hodierno nomine propiùs convenit.

Lin. 18. *Exercent luſtra*] Quia oppidum inter editos montes in anguſtijs ſitum eſt, ut nec ſolis beneficio aliquot hibernis menſibus utatur. Vnde vicinis joci materiam præbent.

Lin. 29. *Omnino mihi perſuadeo ſcripſiſſe ipſum Livium*] Imò rectiſſimè Livius, nam τὰς Πένξας commemorat etiam Dionyſius Halicarn. in excerpt. lib. 12. pag. 532.

Pag.

Pag. 1195. l. 10. *Corruptum legitur vocabulum* Α'ζεγία] Haud temerè damnaverim Appiani ſcripturam, quam confirmat nummus antiquus, in quo Hebo Campanorum Deus cum ſupervolitante Victoria, inferius ſubſcripto nomine ASERNINO. in adverſa parte caput Apollinis laureatum. Hujus nummi copiam mihi fecit Cl. V. Petrus la Siena.

Tabula Itineraria. Iter Æſernia Allifas. Sic ponit.

Æſenia Cliturno VIII. Ebutiana ....., Adleſas IX. Hinc apparet Ebutiana fuiſſe eo loco ubi nunc : Ailano.

Lin. 42. *Malim nunc Beneventum*] Prurigo corrigendi. Vellem etiam nominaret coloniam in Hirpinis præter Beneventum, & tum mutaret.

Pag. 1196. lin. 5. *Deduxit Nero Cl. Cæſ.*] In lapide Caudino COLONIA IVLIA. CONCORDIA. AVG. FELIX. BENEVENTVM.

Lin. 40. *Claudia* VIII.] IIII. [*C. & Mu. Claudijs* IX.] IV. [*Caudis* XXI.] XVI.

Lin. 43. *Plerique, &c.*]. In vetuſtiſſimo codice ms. hiſtoriæ Longobardicæ Vatic. Biblioth. quam Erchemberti eſſe comperi, ubi auctoris Furcularum Caudinarum meminit, nota marginalis ſatis antiqua manu

ap-

appoſita legitur hujuſmodi: *Furculæ Caudinæ locus eſt in medio inter Beneventum & Argentium, ubi dicitur Arpadium in Valle Caudina.* Et Leo Oſtienſis Chron. Caſs. lib. 2. cap. 8. *In Valle de Caudis loco Pauliſi*, qui locus adhuc ſupereſt apud Arpadium ſive *Arpaio*. Sed frequens apud hunc Scriptorem mentio eſt Vallis Caudinæ & Furcularum Caudinarum, ut pag. 121. 123. 146. 150. 176. & 596. Ego autem cùm ipſe poſteà luſtrarem hæc loca ex lapidum antiquorum inſcriptionibus certò cognovi Caudium eo fuiſſe loco, ubi nunc Arpaia vicus eſt. Furcas autem Caudinas in ſaltu anguſto & difficili, quo ab Arpaia deſcenditur Argentium, præſertim ſub pago, cui etiam nunc vulgari Italorum linguâ nomen *Furchie* eſt, quas antiquorum Furculas eſſe nullo modo dubitari poteſt; & per hanc vallem ſive ſaltum Appia ducebat, quod præter alia argumenta teſtantur lapides milliarij, & veteris viæ veſtigia iſthic à me detecta. Nam præter inſcriptionem Caudinam à Beneventanis poſitam ad Arpaiam, vidi ipſe, & deſcripſi columnam milliariam ſub dicto pago *Furchie* ab Auguſto Imp. poſitam cum numero XVI. quod verum intervallum eſt inter Capuam & Caudium, Neque Cluverius ſa-

tis

tis perſpexiſſe videtur ſitum naturamque montium, qui vallem Caudinam ambiunt, dum Appiæ ductum per longas & difficiles vallium ambages circumducit.

Cœterùm Appiæ ductus Beneventum in Tabula & Itinerarijs ſignatus hoc modo explicandus. Calatià nunc *Galazze* medio loco inter vicũ S. Petri in ſtrada & Matalunum, ubi mœniũ templorum, aliorumq; ędificiorũ veſtigia extant, & ad angulum Eccleſiæ S. ..... delle Galazze columna milliaria poſita eſt, ſed vetuſtate conſumpta. Locus autem ad Novas exactè incidit in pagum S. Mariæ in Vico e regione *Arienzi* ad ingreſſum anguſtiarum Caudinarum ſitum; vbi præter antiquitatum veſtigia columna alia extat. Vnde porrò IV. m. p. ad ipſas furcas Caudinas, ubi lapis XVI. nuper repertus, & à me deſcriptus fuit. Inde XI. ſunt m.p. Beneventũ veteri Appię ductu, qui rectà ſub *Monte Sarchio* ad vicum, qui *Pino* dicitur, & inde ad Pontem leproſum Sabati fl. ferebat: qua via nunc omiſſa nova per alias anguſtias vulgo *Sferracavallo* dictas iuxta Serratellam fl. per longiores ambages ducitur, ita ut Arpaia Beneventũ XIV. aut XI. nunc ſint m.p. quamvis vulgo XII. tantum computentur. Cœterum Cluverius totum hunc Livij locum

cum

cum de valle Furciſque Caudinis male intellexit. Campus enim ille herbidus & aquoſus in valle S. Agathæ ponendus, ſed in planitie illa, quæ eſt inter Arpaiam & Montem *Sarchiarre*, in quam aditus patet per Furcas Caudinas ſeu Arpadienſes, exitus autem per ſaltum difficilem & ſylvoſum, qui *Sferracavallo* dicitur: nam altera illa via brevior per Pinum ab Auguſto vel potius à Trajano Imp. aperta & conſtrata fuit; qui propter acclivioris aſcenſus difficultatem planè neglecta in deſuetudinem abijt.

Furchie ipſas olim Furcas Caudinas fuiſſe apparet ex Leonis Oſtienſ. Chron. Caſin. lib. 1. cap. 17. ubi Caſale in Caudis, & Caſale in Forcle conjungit; unde nominis hujus deflexio ad vulgarem loquendi modum perſpicitur.

Lin. 49. *Ferebatque id iter Calatiam* .] Vide quæ ſupra pag. 1180. notavi de duplici Calatia, quod cum non obſervarit Cluverius, verum Appiæ ductum haudquaquam perſpicere potuit.

Pag. 1198. lin. 28. *Sepinum VI.*] Aut numerus corruptus, aut rectiùs in Sepicianum quadrat, ſi Magini Tabulis fides adhibenda,

Ad lin. 37.] Sepini mentio extat apud Her-

Herchempertum in Epitome pag. 80.

Lin. 43. *Colonia ab Imper. Ner. Cl. eſt deducta*] Meminit etiam Paulus Diaconus de geſtis Longob. lib. 1. cap. 29.

Lin. 45. *Beneventum*] Ex diſtantia 18. m. p. apparet eſſe *Morcone*.

Lin. 48. HERCVLANEVM] Herculanei hujus memoria extat in Tabula Itineraria, ubi ſub voce Aecas legitur Herculus rani. Sed cùm itinera iſthic malè cohæreant, certò dici non poteſt quorſum id nomen referri debeat; in Samnio tamen collocandum certo patet.

Ad lin. 52.] Melas nunc *Melito*, vel potius *Moliſe*.

Fulſulas vero M. *Fuſculo*.

Compulterinorum meminit lapis antiquus, qui Calatiæ extat, & profertur ab Octaviano Melchiore lib. 1. de antiq. Calatiæ pag. 33. ubi Compulterina marmora laudantur. Oppidi nominiſque veſtigia extant in loc. S. *Maria de Covultere*... m. p. à Civitate Calatia.

Pag. 1200. lin. 2. *Nuceriola* IIII.] Locus hodie vocatur Ricerola, ubi olim Eccleſia S. Andreæ.

Lin. 3. *Color fl. VI.*] *Ponte della Renola* nunc vulgo dicitur ſub Apicio.

Lin. 19. RVFRIVM] Diverſa omnino

loca

loca fuere Rufrium & Rufræ Virgilij : nam Præſenzani, qui locus eſt Theanenſis Dioceſis repertus eſt lapis antiquus cui inſcriptum . M. AGRIPPÆ. L. F. PATRONO RVFRANI COLONI. Et ager adjacens vulgo *La Coſta Rufaria* dicitur, atque eò omnino referendus hic locus, ut ex Virgilio apparet, qui inter Campaniæ loca recenſet. Et Servius Commentator diſertim Caſtellum Campaniæ appellat, ut & Batulum. Hujus loci indicium Ill. Theanenſium Epiſcopo Domino Guevaræ debeo.

Pag. 1202. ad lin. 17. in margine.] *Via Brunduſina*.

Lin. 20. *Foro nouo &c.*] Prope *Buon albergo* paululum ad ſiniſtram veſtigia loci diruti apparent.

Lin. 28. *Ex his Æcæ hodie dicitur Accadia*] Æcæ nunc Troja, Herdonia autem Ardona.

Lin. 45. In margine] Æcæ *oppidum*.

Lin. 46. *vulgò nunc Accadia*] Errat omnino Cluverius. Nam Ecana civitas fuit olim ubi nunc eſt Troja, id cùm ex ductu itineris in Tabula Peutingeriana appareat, tum vero diſertim id teſtatur Cuniferius Monachus Caſinenſis in vita S. Secundini, quam mss. legi Biblioth. Monaſterij Caſinenſis,

nenſis , & citatur à Leone Oſtienſi in Chron. Caſſ. Verba autem hæc ſunt: *Hæc verò Civitas ſi nominis ſignificationem advertimus , Ecana enim dicta eſt , antiquiſſima fuit , cum monumentorum marmoratio , ſcenarum columnatio , eminentia culminum id deſignent . Huic vero in reconciliatione Troja nomen imponitur , ut egregij titulus nominis auctoramentum faciat novitati . Putamus iſta fidem poſſe quærentibus facere , quos ſub Trojæ nomine appellatio mouerit Urbis Ecanæ .*

Situ civitatis Ecanæ hoc modo perſpecto, ſequitur omnino Herdoniam haudquaquam eſſe la *Cedogna*. Sed Ardonam ſitam inter Cerbarum & Carapella fl. recto itinere inter Trojam & Canuſiũ in fragm. Frontini de Colonijs , Ardona vocatur, & cum Arpano agro conjungitur . Sed ipſe infra pag. 1220. male utramque diſtinguit . Cœterum de Æcis mentio extat apud Polyb. lib. 3. pag. 239. ubi Fabium Max. Dictatorem Caſtra poſuiſſe ſcribit ad Αἴκας ſed vulgo Αἴγας editur . Locus eſt inſignis Romualdus in Chron.

Intra Æcas & Herdoneam ad Orientale Apennini latus haud procul à dextra Cerbali fl. ripa opidum Epiſcopale Bovinum nunc vulgo dictum jacet , quod Vibinum antiquitus dicebatur , & oppidani

Vi-

Vibinates, quorum Plinius meminit, & inter Hirpinos numerat. In medij ævi scripturis Bivinum & quandoque Bibinum vocatur. Sed Plinij scripturam tuetur lapis antiquus, qui in ea civitate extat, ubi VIBINA.... legitur. Municipium Romanum fuisse testatur alius lapis, ubi II. virorum & Decurionum habetur mentio, ut videre est apud Dominicum Petri Pauli libello de Episcopis Bovini pag. 65. ubi quædam non indigna lectu de antiquitate hujus oppidi affert.

Polyb. lib. 3. pag. 239. ἰβώνιον vocat, ubi Casaubonus male vertit Hipponem. puto Οὐβίνιον olim fuisse scriptum apud Polybium.

Pag. 1203. lin. 26. penult. *per, e, scripta est Herdonea*] Non mutandum sic, infra pag. 1220. Ardonea, qui plane idem locus est.

Ad lin. 32. In margine] *Via Tarentina*.

Lin. 43. *Primo* ÆCVLANVM.] Cùm Tabula & Antoninus constanter XV. m. p. inter Beneventum & Eclanum ponant, omnino certissimum est Eclanum fuisse oppidum illud, cujus vestigia maxima apparent haud procul *Mirabella* quod medio deinde ævo Quintodecimum appellatum fuit, & à Constantino Imp. in Benevenatanos

tanos movente anno Christi DCLXIX. funditus eversum, vt narratur in Martyrio & translatione S. Mercurij Martyris. Tum verò ante annos haud ita multos multæ præclaræ statuæ marmoreæ isthic repertæ, quas Prorex Regni Neapolitani inde ablatas in Hispaniam detulit.

Pag. 1204. *Anton. habet xxii.*] Fortè scribend. xvi. ut in Tabula Peutingeriana. Sed certissimum est Eclanum post Quintodecimum dictum, circa Mirabellam fuisse, ubi ejus vestigia maxima visuntur; unde haud temerè mutaverim numeros Antonini.

Lin. 15. AQVILONIA] Est omnino *la Cedogna*.

Lin. 34. *tandem fecere Cosa*] Vide ipsum Cluverium supra ad Cosam Hetruriæ pag. 480. ubi Plutarchi locum de Compsa huc affert, ut & alium Stephani.

Pag. 1205. lin. 7. In margine] CASSANVM.

Lin. 25. *Collatini*] Conlatinus ager Apuliæ apud Frontin. in fragm. Colon. *Corinenses*] fortè Cominenses legend.

Lin. 29. *Rubustini*] Rubustinos Calabriæ assignat Frontinus in fragm.

Lin. 53. *Biferno*] Et sic sæpissimè vocat Leo Ostiensis.

Pag.

Pag. 1206. lin. 26. *Orton*] Fuit colonia Romana, ut teſtantur antiquæ inſcriptiones apud P. Ligorium.

Lin. 3. *Sagrus amnis*] Meminit hujus amnis P. Diaconus lib. 5. Hiſt. Longob. cap. 8. qui Sangrum appellat : ſed cum in mss. Sacrum legatur, exiſtimare liceret ab ipſo Sagrum ſcriptum fuiſſe, niſi Leo Oſtienſis paſſim Sangrum appellaret.

Lin. 45. *Annum*] Puto Sangrum flu. intelligi, intervallum ſanè exactè convenit.

Pallanum] nunc *Pollutri* eſſe videtur.

Pag. 1207. *Super eum*] In mediterraneis Theanum, &c.

Lin. 12. *Si Teanum eſt ſuper Lacum, ut revera eſt*] Sed longius remotum à mari in mediterraneis.

Lin. 56. *Cliternia*] mss, cod. Melæ hoc loco legit *Elaternia*.

Pag. 1209. lin. 5. ἐπὶ Τς] ἐν Τς rectiùs apud Antoninum editur.

Lin. 13. *ultra Tarentum*] Leg. *citra Tarentum*.

Linea 47. Præmittendum hic de Sallentinorum nomine ex Varrone. Probo & Marſiott. pag. 23. & Cluver. infra 1250.

Lin. 48. *A Poëtis, &c. neſcio quouſque extenditur*] Sane uſque ad Lacinium pro-

montorium extendit Ovidius loco mox citato. Sed ego neceſſitatem vel licentiam poëticam potius hanc exiſtimaverim, quàm Geographicam ἀκρίβειαν Ex Virgilio hoc loco nihil probatur; refert enim varias & diſtinctas Græcorum colonias: neque Sallentinos extra ſuos limites producit, ut Cluverius accepiſſe videtur, & hic, id infra pag. 1251. ſeductus à Marafiotto pag. 23. & ſimilibus ſcriptoribus.

Pag. 1210. lin. 27. *Brundiſio conterminus Pediculorum ager*] Locus Strabonis lib. 6. pag. 282. ubi tres vias deſcribit, quæ ex Græcia ducebant Romam, quarum prima, quæ per Peucetios Pediculos ferebat ἐφ' ἧς ὁδῷ Ἐγνατία πόλις εἶτα Κῆρια καὶ Νήτιον ἢ Καρύστιον ἢ Κερδονία. Hic doctis viris aqua hæret. Κῆρια Ptolemæo quoque commemoratur, & nunc nomen retinet 4. aut 5. mil. paſſ. ſupra Barium in mediterraneis, per quam etiam hodie via publica ducit. Cælinus ager in frag. de limitib. Quod ſequitur ἢ Νήτιον, nequaquam cum Caſaubono expunxerim; nam idem oppidum eſſe puto, quod deinceps diminuendi forma Νατίολον ſeu Natiolum dictum fuit. Atque hoc itineris ductus omnino confirmat. Surita ad Antoninum fruſtra in Neritum mutat; nam id longiùs hinc diſtat.

Muto

Muto ſententiam : nam diverſum hoc iter ab eo quod Tabula per Natiolũ ducit, cum hoc paulo inferius ducatur per mediterranea. Νάτιον Strabonis eſt, Ehctium Tabulæ: quamvis ordo variet.

Cæterum Barium ita poſtmodum excelluit inter vicina oppida, ut deinde provinciæ nomen dederit, quæ & ſuperioribus aliquot ſæculis, & nunc vulgo Barenſis regio ſeu *Terra di Bari* dicitur. Laonici Chalcondylæ locus hic explicandus, quem Interpretes noſtri Germani peſſime acceperunt, quo loco Regni Neapolitani provincias, ut nunc vulgò vocant, deſcribit, in fragmentis de colonijs Territorium Varium & Varia regio ſcribitur, ibidem inter Lypienſe & Varium territorium ponitur Auſtranum, quod haud dubiè eſt Oſtreni civitas Epiſcopalis.

Pag. 1211. lin. 41. *Livius & Appianus*] Sed inprimis Vitruvius lib. 1. cap. 4. ubi originem ſitumque loci egregie deſcribit. *In Apulia oppidum Salapia vetus, quod Diomedes ab Troja rediens conſtituit, ſive quemadmodum nonnulli ſcripſerunt Elpias Rhodius, in ejuſmodi locis fuerat collocatum, ex quo incolæ quot annis ægrotando laborantes aliquando peruenerunt ad M. Hoſtilium, ab eoque publice petentes impetraverunt, uti is idoneum locum ad*

mœnia transferenda conquireret eligeretque. Tunc is moratus non est, sed statim rationibus doctissimè quæsitis secundum mare mercatus est possessionem loco salubri & à S. P. Q. Romano ut liceret transferre oppidum, constituitque mœnia & areas divisit, nummoque sestertio singulis municipibus mancipio dedit. His confectis lacum aperuit in mare & portum è lacu municipio perfecit. Itaque nunc Salapini quatuor millibus pass. progressi ab oppido vetere habitant in salubri loco. Meminit etiam Plutarchus in M. Marcello.

Pag. 1212.] Ad extremum Gargani montis promontorium Civitas Episcopalis sita est vulgo *Vieste* dicta. Ea extructa fuit in ruinis antiqui oppidi Merini sive Mirini Episcopali dignitate olim quoque clari, cujus mentio extat. Inde haud dubiè Plinio Metinates in Monte Gargano, ubi etiam Merinates legendum puto; ut oppidum antiquum fuerit MERINVM. Hujus loci indicium debeo Cl. V. Barth. Chioccarello.

Lin. 17. *Cerbalus amnis.*] Τ'ερίη & Τ'ερον. idem oppidum Herod. Dionys. Afer v. 380. Stephanus ϖ. πόλ. & Eustath. ad Dionys.

Lin. 28. *promontorium Garganum*] *Capo Vieſtice* vulgò nautis dicitur.

Lin.

Lin. 33. *Portus iſte*] Ex ordine φείπλε apparet eſſe oppidum Rodia.

Lin. 43. In margine] DIOMEDEÆ *Inſulæ*.

Lin. 47. *Teutria adpellata*] Idem lib. x. cap. 43. quod eſt de Diomedæis avibus, uno hæ in loco totius orbis viſuntur in inſula quam diximus nobilem Diomedis tumulo atque delubro contra Apuliæ oram.

Lin. 55. *Fugaque flagitiorum.*] Ariſtoteles libro φείθαυμασίων ἀκόσμ.

Pag. 1213. lin. 4. in fine] Chronicon manuſcriptum S. Vincentij ad fontes Vulturni lib. 1. ubi agit de Paulo Diacono: *Tunc illi videntes Regis* (Caroli) *clementiam, ſuaſerunt ut in Diomedis inſula, quæ à tribus montibus Tremiti dicitur, eum exiliaret.*

Lin. 18. *Teanum fuiſſe arbitror.*] Locus ille nunc *Civitate* dicitur: ſed intervalla Tabulæ & Itinerarij exactè conveniunt in Serram Capriolam, ut ſupra notavi pag. 1207. ſi tamen Tabulis fidendum. At certiſſimum eſt Theanum fuiſſe ubi nunc *Cività*: nam locus ille ante ccc. adhuc annos Epiſcopalem habuit ſedem Beneventano Metropolitæ ſubjectam. Vnde ſæpiſſime Civitatenſis Epiſcopus in Actis Beneventanæ Eccleſiæ legitur. Sedes autem

tem inde ad S. Severum translata fuit, vel potiùs eidem conjuncta.

Lin. 39. In margine. *Luceria oppidum & colonia.*

Lin. 40. ὁ δὲ Σεβῆρος] Præmittendus alius locus, qui legitur eod. lib pag. 239. ubi Romanam coloniam fuisse testatur, habetur infra pag. 1219.

Pag. 1215. *Plinius, &c.*] Et Polybius lib. 3. Locus extat infra pag. 1219.

Pag. 1219. lin. 29. *Gentile vocabulum vitiatum est*] Legendum Ἀρδυεπτανὸς.

Lin. 32. ARPANI.] Sic vetus nummus Laur. Pignorij ΑΡΠΑΝΩΝ. Orig. Patav. pag. 57. In subscriptionibus I. Concilij Arelatensis sub Constantino legitur Pardus Episcopus & Crescens Diaconus de civitate Arpiensium, provincia Apulia. Casaub. ad Polyb. lib. 3. pag. 268. Arpinates vertit minus rectè.

Lin. 56. *Prætorium Laverianum* VIII.] *Laconicello.*

Lin. 58. *Aeras.*] Æcas nunc *Troja.*

In eadem Tabula aliud iter Teano Apulo Sipuntum describitur hujusmodi.

Teano Apulo.
Ergitium XVIII.
Siponto XXV.

Ex ductu itineris & intervallis apparet

Ergi-

Ergitium fuisse circa oppidum Episcopale S. Severi.

Pag. 1220. lin. 9. ARDONEÆ] Est omnino eadem cum Herdonea de qua supra 1202.

Pag. 1221. lin. 14. *Cannas sane post illam cladem iterum fuisse habitatas.*] quin adhuc Episcopalis civitas fuit ante quingentos annos, & mentio ejus aliquoties fit in Casinensi Chronico.

Pag. 1224. Inter Venusia Tarentum sic explicandum existimo ex optimis Tabulis manuscriptis Emin. Card. Barberini, ubi itinerum ductus per Regnum Neapolitanum accurate exprimuntur.

Silvium vel ad Sylvianum nunc il *Gorgolione*.

Plera nunc *Gravina*.

Sub Lupatia nunc *Lescia*. Ipsam autem Lupatiam fuisse existimo, ubi nunc civitas Episcopalis *Altamura*. Canales paulo supra civitatem Episcopalem Castellonetam, ubi *Fonte Canile* & *Fonte Lasico* Latum fluv. intrant. Hoc iter intelligit Strabo lib. 6. pag. 282. his verbis ἡ δὲ διὰ Τάραντος μικρὸν ἐπ' ἀριστερὰ &c. Locus ille vnice facit ad intelligendum vias antiquas quæ per extremas illas partes Italiæ protendebantur. Idem Strabo pag. seq. 283. Silvij quoque me-

meminit dum ait : Peucetios iuxta mare Barium uſque, in mediterraneis Silvium uſque extendi. Iſ. Caſaub. fruſtra locum ſuſpectum habet. Cæterum ſupra dicta via etiam nunc vulgari nomine *la Tarentina* vocatur.

Pag. 1225. lin. 49. *Haud procul Forento*] Ejus veſtigia nomenque ſuperſunt ad locum *S. Maria de Vanze* 5. vel 6. mil. paſs. ſupra Forentum, & 12. circiter ſupra Venuſiam. Chronicon Caſſinenſe lib. 1. cap. 17. vocat *Monaſterium S. Mariæ in Banze*, quod ſitum eſt in finibus Acerentiæ.

Pag. 1227. ΒΥΤΟΝΤΙΝΩΝ nummum vidi antiquiſſimum apud Franciſc. Gottifredum cum ſpica tritici, ab adverſa caput muliebre galeatum.

Ad lin. 53.] Heſych. in lexico Καλαβείαν τὴν Μεσσαπίων χώραν Ῥίνθων Calabriam vocat Rhintum Meſapiorum regionem.

Pag. 1228. lin. 31. MESSAPIA] Oppidum quoque Meſſapiam fuiſſe nonnulli credunt, quod nunc *Meſagna* ſupra Brunduſium, quod in Martyrolog. Meſſana Apuliæ, de quo vide Baronij Notas ad XVIII. Aprilis, ubi de S. Eleutherio.

Lin. 48. *Tarentinorum equi, &c.*] Ita quoque Heſychius in lexico Καλαβεῖς, βάρβαροι.

Pag.

Pag. 1229. lin. 1.] Præmittendus erat Taras fluvius & Phanæ locus inter Tarentum & Metapontum in agro Tarentinorum, ubi Pythagoreos ab Eurymene Dionysij jussu interfectos refert Iamblichus lib. 1. cap. 31. pag. 166. Phanæ autem locus erat confragosus ad viam publicam, quæ Tarento Metapontum ducebat. Fuitque haud dubie citra Bradanum amnem.

Pag. 1237. lin. 54. *Est hodieq; locus, &c. vulgarì vocabulo Saturo*] Eum eleganter describit Antonius Galateus lib. de situ Iapygiæ.

Pag. 1241 lin. 41. *Minervium*] Et sic Livius.

Lin. 43. *Sed posterioribus etiam temporibus, &c.*] Idem quoque oppidum à Stephano commemorari existimo, cui inter Varias Athenas πέμπτη Ἰταλίας recensetur.

Lin. 49. *Alesano*] Vulgo dicitur locus ille *S. Verato* in Tabulis Magini & alijs accuratioribus. Celsus Cittadinus ad Ortelium scribebat vocari *S. Maria de Vereto*.

Pag. 1242. lin. 3. *Ibi fons ferventis aquæ*] Leg. fetentis aquæ.

Lin. 30.] *Vaste* nunc vulgo dicitur inter Castrum & Hydruntum paululum à mari dissitum.

Lin. 47. *Galenus testatur*] Scrib. Galateus, &

& extat hæc Tabula apud Gualterum, pag. 74.

Pag. 1243. lin. 2. *Buxentum atque Hudrentum*] Quin potius ab ϖυξέντ@ & ὑδρέντ@.

Pag. 1246. lin. 2. *Idem Poëta, &c.*] Locus est lib. 2. vers. 609. qui totus hic referri meretur.

Pag. 1248. lin. 23 *Vria*] Oriam appellavit jam suo tempore Herchempertus Longobardus in Epitome historiarum pag. 63.

Pag. 1249. lin. 37. *Dicitur Ruia*]. Alij nunc *Misciagna* dici affirmant.

Pag. 1251. lin. 5. *Salentini, &c. longe lateque, &c.*] Vide supra pag. 1209.

Post lineam 28.] Haud procul ab Aletio in mediterraneis Calabriæ oppidum fuit Carminianum, quod etiam hodie nomen retinet, cujus mentio habetur in Notitia dignitatum Imperij, ubi commemoratur Procurator rei privatæ per Apuliam & Calabriam, sive Saltus Carminianenses, unde apparet eum locũ cum saltu sive agro suo olim ad privatum Imperatorum pertinuisse patrimonium.

Pag. 1253. *Silaris*] AGRI CAMPANI SILERANI. Ex testamento relicti meminit vetus lapis alicubi mihi visus.

Pag. 1254. lin. 3. *Ad Calorem xxiv.*]

incluſa hæc omnino ab aliena manu ſunt: neque enim hic Appiæ viæ ſive Aquiliæ ductus ullo modo Calorem fl. tangit. Tum verò intervalli hujus numeri omnino abundant: nam vetus lapis infra pag. 1296. à Marcellianis Nuceriam ponit LI. milliaria, & totidem Cluverius abs ſe deprehenſa in diario ſuo notavit.

Lin. 4. *In Marcellianis*] *la Polla.*

Lin. 5. *Ceſariana*] *Caſal nuouo.*

Lin. 6. *Nerulo*] *la Rotonda.*

Lin. 4. *Campora.*

Largo negro Convent.

Rectiùs XVIII. *Epiſcopani, &c. cum reliquis tribus lineis ſequentibus.*] Omnes hæ conjecturæ falsæ ſunt, & emendationes numerorum fruſtra tentantur, conveniunt enim omnino cum lapide antiquo infra pag. 1296. & cum hodierno itinerum ductu.

In margine delend. [*Auletta oppidum. L'Oſteria del pertuſo* diverſorium. *Timavus fluvius.*] Et inferius [*Poſtiglione vicus.*]

Pag. 1255. *Templo Junonis Argivæ*] Hujus templi maxima veſtigia extare aiunt in oppido Picentinorum, quod vulgo *Giſoni* dicitur,

Pag. 1257. lin. 28. *Petiliam, &c. hodie Strongoli*] Sed infra pag. 1315. *Policaſtro.*

Pe-

Peteliam fuisse contendit, sed falsò, ut puto.

Lin. 53. ὃς νεῦ Παιςανὸς καλεῖ] Ita vetus nummus æreus cujus copiam mihi fecit vir doctissimus Petrus la Siena I.C. Neapolit. in quo Victoria Delphino insidet cum tridente, & dextera coronam porrigens cum subjecta inscriptione ΠΑΙΣΤΑΝΟ, quod ἀπ' θαλαωσοκρατίας indicium, ab adversa parte caput Neptuni cum Delphino.

Pag. 1258. lin. 33. *In ripam autem eminentem.*] Leg. *prominentem.*

Paulo post Pæstum in sinu Posidoniate oppidum est maritimum in edita rupe situm, vulgò nunc *Agropoli* dictum, cujus memoria extat apud Dium Gregor. Magnum in epistolis, qui lib. 2. epist. XXIX. Felici Episcopo de Acropoli vicinas Ecclesias Velinam, Buxentinam & Blandanam commendat. Meminit quoque Herchempertus in Epitome histor. pag. 64. & 65. & Chronicum Cassinense lib. 2. cap. 42.

Pag. 1259. lin. 5. *Saxum asperum atque sterile*] Neutrum verum. Est enim leniter elata, superficie plana, & tota herbosa.

Lin. 7. LARIS] Puto Larin Silarum esse, vel Σίλαριν.

Pag. 1260. lin. 10. *Pisciotta*] Qui loca hæc

hæc inſpicit *Caſtello à mare della Bruca* Veliam olim fuiſſe ſtatim perſpicit, quod in intimo ſinu haud procul Haletis oſtio in colle ſitum eſt. *Piſciotta* autem iam extra Velienſem ſinum jacet.

Lin. 12. *Sed & planitie cingitur*] Hoc falſum: nam circa Piſciottam nulla eſt planities, quæ ad continuum montis latus in prominentia quadam ſita eſt.

Lin. 36. *Situs autem fuit inter, &c. Poſidium & Palinurum*] Hoc quoque falsum.

Pag. 1261. lin. 9. *Porro ad Palinuri, &c. latus, &c.*] Neque nunc eſt, neque fuit unquam.

Lin. 30. *Capo della Foreſta.*] Ita in Tabulis nauticis Hollandorum vocatur, ſed puto ex mala pronunciatione vocabulorum peregrinorum in optimis chartis Marij, Cartari, Magini, & mss. Pauli Cartari *C. Lanfreſcho* vocantur, niſi potius alterum promontorium intelligere velis, quod propius eſt Buxento vulgo *C. delle Vigne*. Sed ſatis apparet Cluverium nihil certi conſtitutum habuiſſe; ideoque ex Magini Tabula maiori adſcripſit *Fenoſa*. Sed fruſtra, nam turrem Fenoſam accuratiores Tabulæ in ſinu ponunt haud longe ab oſtijs fluvij Melphæ. Sed mihi Policaſtrenſis Epiſcopus vir apprime doctus affirma-

mavit non esse dubitandum, quin Buxentum promontorium nunc sit *Capo Lanfresco*, nam illo clauditur sinus ille Policastrensis ab occasu: cæterorum verò promontoriorum nullum ita prominet, ut nomen aliquod mereatur.

Pag. 1262. lin. 31. *Sybaritæ, &c. Laum & Scidrum incolebant*] Scidrum quoque ad idem mare fuisse existimo, forte ubi nunc est *Citrano*.

Lin. 42. *Ceserma, &c.*] Hoc est divertigium viæ Appiæ sive Aquiliæ ad Casas Cæsarianas, pro quibus hic corruptè Ceserma legitur versus mare inferum. Vnde colligo Blandam fuisse, ubi nunc Marathea, nam inde XVI. sunt m. p. ad Lainum fl.

Pag. 1263. lin, 3. BLANDA] Vestigia ejus apparent ad portum Sapri, cui imminet *Turris Buon dormire*: ut accuratissime observavit Philippus Carafa Vicarius Boschi & Canonicus Buxentinus.

Pag. 1272. *Nocara*] *Lanocara*.

Pag. 1273. lin. 46. *χώνων*] Frustra tentat locum, vide pag. seq. locum Zetzæ.

Pag. 1279. GRVMENTVM haud procul ab Aciri fluvio situm fuisse didici ex Actis manuscriptis Longob. vetustissimis S. Laberij Martyris, quæ Neapoli legi apud

Cl.

Cl. Virum Barth. Cioccarellum antiquitatum ſacrarum ac profanarum promum condum: ubi inter alia hæc habentur: *Ductus extra Civitatem Grumentinam in loco, ubi connectuntur duo flumina Acer & Sora.* Vnde apparet Grumenti nomen & veſtigia ſupereſſe paulo ſupra oppidum Saponaræ ad dextram Aciris ripam, ubi confluentes Aciris & Soræ, qui etiam nunc nomen retinet, extat Eccleſia antiqua S. Laberij, vulgò *S. Laviero*, ut ex Epiſcopi Marſicenſis relatione accurata didici. Grumentina autem Eccleſia conjuncta eſt cum Marſicenſi, unde in Archivo Cavenſi in privilegio Ioannis Epiſcopi S. Grumentinæ Eccleſiæ dato anno 1144. Indictione 7. ſubſcriptio habet. *Ego Ioannes Marſicanus Epiſcopus.* Et in altero anno 1095. *Ioannes Epiſcopus Marſicenſis Sedis Grumentinæ*: hinc Acetios Aceturam eſſe perſpicitur.

Lin. 25. XVI. *Epiſ. Nerulo.*] delend. Epiſ.

Lin. 28. *Crater. flu. XXVI.*] X. ſcribend. Nam ex veteri inſcriptione infra pag. 1295. à Mumno Conſentiam ſunt m. p. XXXXIX.

Meminit Grumenti ex Quadrigario Seneca de beneficijs lib. 3. cap. 23. & Ma-

crob. Satur. lib. I. c. XI. Quem locum haud dubiè S. Gregorius intelligit. Et frustra est Cluverius, qui sup. pag. 1190. sic ostensurum promittit Episcopiam fuisse veterum Nerulum : nam id ab adversa parte Apennini fuit circa lacum fl. ubi nunc Laino, ut ex itineris ductu apparet, & confirmatur altero itinere.

Lin. 37. *SAPONARA secundum Ptolemæum*] Leg. *secundum Leandrum*.

Lin. 48. *Anxia*] Anxiæ Tabulæ haud dubiè est *Anzi* VIII. vel IX. circiter m. p. sub Potentia versus Grumentum.

Lin. 49. *Bradanus fl.*] Circa Bradanum fluvium Civitas Episcopalis est Genosa. Hujus quoque nomen antiquum esse existimo : unde in fragmentis limitum regund. Genusinus ager vocatur ; & Genusini inter Apuliæ populos à Plinio commemorantur. Oppidum ipsum Cluverio in Tabula Genusium.

Pag. 1280. lin. 10. *Vertinæ oppidum, &c. dicitur Vietre*] Quod quidem oppidum ego hisce in partibus nullibi neque pictum neque scriptum invenio.

Pag. 1281. Inter mediterranea Lucaniæ oppida fuere *Vulci* sive *Vulceia* ad Silarum amnem, vulgo nunc *Bulcino* ò *Bucino* : unde *Volcentani* Plinio. Horum mentio in

aliquot lapidibus antiquis ibidem repertis apud Gruterum CCIX. 2. CCCXCIII. 5. ubi Vulceiani & Volceiani vocantur.

Post lin. 33. *Cœterò, &c.*]

Nares Lucanas.] Leg. Marcilianas.

[*Aceronia*] VIIII.

Foro Popili V.

Hinc apparet Aceroniam sitam esse inter Marcellianas & Potentiam; hoc enim divertigium inter duo illa loca tenditur.

Item aliud.

Nares Lucanas.

Acerronia. VIIII. Brienza.

Mons Balabo Pietra fesa.

Potentia.

Lin. 38. *Forum Popilij*] Locus ille nusquam in Campaniæ descriptione comparet.

Lin. 44. *Vico Mendicolco . . . .*] Locus hic incidit in lacum nigrum, vulgo *Lago negro*.

Lin. 50. *Nerulos*] Ex hoc itinere confirmatur situs Neruli circa *la Rotonda*: nam exacte 16. mil. distantia congruit. Tum & hoc inde perspicitur Grumentum fuisse ubi nunc *Agrimonte* & *Episcopia*: nam & hoc intervallum exacte convenit.

Lin. 56. *Cassianum Paulus Diac. &c. re-*

censet] Veriſſima hæc ſententia Pomponij & Plinij. Conſilinum ſi quis exiſtimet, fateatur neceſſe eſt longius hoc oppidum extra ſuos fines eſſe translatum, ſcilicet ex Lucania in Brutios. Caſſiodorus lib. VIII. epiſt. ult. Coſilinatem antiquiſſimam civitatem vocat: in cujus ſuburbio, quod idem Marcilianum appellat, conventus ſeu mercatus celeberrimus in natali S. Cypriani celebrabatur. Fontes ſanctos ibidem commemorat Caſſiodorus, & extant etiam hodie balnea aquarum ſalubrium, cum duobus fontibus, altero quidem aquæ dulcis, altero aquæ ſulfureæ. Vide Caſſiod. epiſt..... & Marafiot. lib. 4. pag. 284. in libro Coloniarum recenſetur inter Colonias Romanas.

Pag. 1282. Explicandum quoque erat iter Antonini & Tabulæ, quod ponitur ſup. pag. 1254. & ab occidentali Apennini latere per Lucanos ducit, ubi *Marcelliana* eſſe puto, quæ nunc *Polla*, ubi lapis antiquiſſimus extat, qui infra pag. 1296. legitur, quo totum hoc iter egregie explicatur. Vnde ego viam hanc ab Capua Regium uſq; à Marcello Coſ. perductam aliquando putavi, quam alij Aquiliam appellare malunt. Certa intervalla locorum à Nuceria ad Marcelliana ſive Pollam L. I.

m. p

m. p. accuratiſſime quadrat. In Æthici Coſmographia inter Occidentalis, ut ipſe diſtinguit, Oceani oppida, Marcelliaſ-num, & mox Salernum. Vnde planè non dubito, quin eundem hunc locum intelligat. In Tabula Itineraria iter hoc loco miſerè divulſum, & nomina corrupta ſunt. Id habes ſupra pag. 1190. ubi Nares Lucanas pro Marcellianas male ſcribitur. Tum intervallorum numeri reſtituendi, ut notavi ſupra ad dictam pag. 1190.

Cæſariana ſive caſæ Cæſarianę ponendę videntur, ubi nunc *Caſal nouo*: nam 20. m. p. intervallum exactiſſime convenit. In alio itinere Tabulæ Peutingerianæ ſup. pag. 1262. Ceſerma pro Cæſariana legitur. Poſt Cæſarianas XXXIII. mil. intervallo ſequitur Nerulum, ſive Neruli, cujus ſitus omnino cõvenit in locum *la Rotonda* nunc vulgo dictum, nam hoc tempore XXX. vel XXXI. milliaria computant. Vnde appareret Cluverium fruſtra trans Apennina ejus ſitum quærere ad Epiſcopiam. A Nerulo ſub Muranum Antoninus XIV. ponit mil. nunc XII. vel XIII. numerantur, atque ita totum hoc iter accuratè quadrat.

Pag. 1284. lin. 48. vox Πήγιον *nullo modo conſiſtere poteſt*] Ego nullam mutandi ne-

ceſſitatem ſubeſſe exiſtimo, cum extremam partem agri Bruſij inſederit. Spartacus optimè illam à Brutiorum civitate præcipua Rheginam peninſulam vocat.

De natura & qualitate ſoli ac provinciæ Brutiorũ vide Caſſiodori ep. 31. lib. 8.

Pag. 1286. lin. 4. *Temſani ſive Tempſani*] Temſanæi in veteri inſcriptione apud Gualth. pag. 74.

Pag. 1287. lin. 26. *Melæ lib.* 11. *&c.*] Sed ego hoc quoque loco Melam corruptum eſſe exiſtimo: nam in manuſcripto pro *Terina* legitur *Mathicana*: & incidit ſanè hic locus in promontorium quod vulgo *Capo Vaticano*: itaque omnino hic *Medma* vel *Medama* legendum puto.

Pag. 1288. lin. 26. Ταυριανὸς, σκόπελος, Ἱππωνιάτης κόλπος] Fortè tranſpoſitis vocibus legendum Ἱππων. κόλπος, Ταυριανὸς κόλπος.

Lin. 48. *Vocabula, &c. præter Turreis*] Locus ille ad Turres fuit circa Amatum fl. ubi nunc *Maida*. Nam intervallum exactè quadrat. Videtur fuiſſe Epiſcopale oppidum. Nam D. Gregor. M. lib. 2. epiſt. 38. Turritanam Eccleſiam Epiſcopo ſuo deſtitutam Scyllatino commendat, ut pote viciniori.

Pag. 1290. lin. 9. Λαμπητικὸς.] In veteri in-

inſcriptione apud Gruterum pag. 199. LAOMETICEI. Oppidani vocantur eadem formatione : itaque haud temere damnaverit: differt enim ἐθνικὸν καὶ κτιτικὸν formatio.

Lin. 10. Ναπιτῖνος] atque hæc veriſſima & optima lectio eſt. Fuit enim Ναπιτία oppidum ad hunc ſinum, quod docti viri rectè *lo Pizzo* explicant. Hinc Ναπιτῖνος ſinus rectiſſime à Dionyſio vocatur; & ſic apud Strabonem quoque reſcribendum. Hinc cives Napetinei in veteri inſcriptione apud Gualterum pag. 74. eadem formatione qua ibid. Temſanæi à Temſa leguntur.

Lin. 39. *Audacter* Ναπιτίνους, *&c. emenda*] nil mutandum.

Lin. 50. Ἱππωνείς.] Licophronis [*Martiano, &c.*

Pag. 1291. *Ithaceſiæ, &c. commemorantur*] nunc vulgo vocantur *Torricella*, *Praca*, & *Brace*, cum alijs aliquot ſcopulis anonymis. Marafiot. pag. 130.

Pag. 1292. PORTVS HERCVLIS.] in margine addend. & TROPHÆA *oppidum*. Vulgo *le Formicole* dicitur. Vide Marafiot pag. 125. diſtat à Tropæis mil. paſs. ut idem pag. ſeqq. Videndus locus Dionyſ. Halicar. ibid. citatus.

Lin. 10. ἀρχὴ τῆς ἐπιφανείας, &c.] Apparet omnino ex hac Strabonis descriptione Herculis portum fuisse sub oppido, quod vulgo *Tropea* dicitur : atque ita Cluverius iudicabat, cum portum illum subiremus. Sed neutiquam dubitandum , quin ipsum quoque Tropeæ nomen vetustum sit, cujus non solùm Curopalates & Cedrenus meminere , sed & Concilium Constantinopolitanum VI. act. 4. vbi *Theodorus Episcopus Sanctæ Tropeianæ Ecclesiæ* subscripsit, sive ut Græcus Textus habet, τῆς ἁγίας ἐκκλησίας Τροπαείας. Et in septima sive Nicæna II. *Theodorus Episcopus Τροπαίων :* antiqua versio Latina utique *Tropheorum Episcopum* reddit. Verùm multò antiquior ejus memoria apud Steph. qui Πρὸς Τρόπαια vocat, & ut solet, Siciliæ oppidum vocat. Vnde gentile πρὸς Τροπαῖος. Sed omnino distinctis vocibus legendum πρὸς Τρόπαια ad *Tropæa*. Quidam Scipionem deleta Carthagine primùm hic exscendisse & trophæa fixisse aiunt; sed nullo auctore. Ianus Parrhasius Sext. Pompeium victa classe Cæsaris trophæa hic statuisse existimat. Cujus sententiæ haud invitus ut accedam facit , quod seriùs Tropæorum nomen prævaluisse ex adductis auctorum veterum locis apparet : neque alium locum

cum

cum intelligit Appianus lib. 4. bell. civil. per Balarum portum ſive vera, ſive falſa ſit ea ſcriptura, vbi prælium inter Salvidienum & Cæſarianos commiſſum narrat. De quo loco Cluver. pag. 1294. S. Greg. Mag. lib. 2. epiſt. 1. meminit Monaſterij S. Angeli, quod Tropeis eſt conſtitutum, quod Petro Notario Eccleſiæ Romanæ bona in Sicilia adminiſtranti commendat.

Lin. 16. *Eodemque nom. ſtat. naviumq.*] Sinus Brutius Pomponij Melę; ſequitur deinde in hoc littore civitas Epiſcopalis Nicotera: cujus Antoninus meminit, ut paulo ante vidimus. Barrius, Leander, Marafiotus, & alij malè hanc cum Medura confundunt: ut mox oſtendetur. Cæterùm nullam hujus loci mentionem apud antiquos reperio, niſi quod Sergius Νικοτέρων Epiſcopus Synodo Nicænæ II. interfuit ſub annum Chriſti DCCLXXXVII. cujus nomen ibidem aliquoties ſubſcriptum legitur, & D. Greg. Magn. epiſt. lib. 5. epiſt. 40. Maſſam Nicoteranam vocat, cujus Epiſcopus cum in pœnitentiam deputatus eſſet, ordinationes presbyterorum Vibonenſi Epiſcopo committit.

Lin. 18. *Stephanus*] Hic de VII. fluvijs ex quibus Metaurus conſtat Marafiot. lib. 1.

cap. 15. & Popma ad Varronem. Suidas Μαλανείαν vocat. v. Στησίχορος.

Lin. 23. *qui & Μέσμα habet.*] Quod congruit cum hodierna appellatione fluvij, qui *Mesima* dicitur. Inde Marafiot. pag. 123.

Lin. 27. *Nonnulla vetera exemplaria, &c.*] Ortelius ſuis Codicibus Medma legi teſtatur.

Lin. 35. *In ipſius Tempſæ incideris ſitum.*] Hoc falſiſſimum: nam exquiſitè congruit diſtantia in oſtium fl. Medmæ.

Lin. 39. *Bagnara.*] Hæc nihil ad hunc locum faciunt.

Lin. 43. *Roſarnum eſſe ad Metaurum*] id falſum, nam eſt ad Meſunam.

Pag. 1293. Arciades fl. idem eſt, qui Argeades Varroni dictus teſte Val. Probo in Eclog. Virgil.

Ad lin. 26. Iter hoc ſic legendum videtur: nam à Vibone ad Metaurum fl. quem hic Arciadæ vocari puto ab vno VII. amnium quos recipit exactiſſimè ſunt 24. m. p. Inde alia totidem ad Columnam Reginam, cujus nomen haud dubie in Tabula omiſſum eſt. Medio inter Metaurum & Columnam loco Taurianum etiam ipſe Cluverius ex antiquorum & recentiorum auctoritate ponit: à Columna de-

deinde Regium sunt C. stadia teste Strabone hoc est M. P. XIII.

Lin. 31. S. Gregorius Magnus lib. 1. epist. 39. Tauri civitas provinciæ Bruttiorum, cujus Episcopus Paulinus ibidem commemoratur. Hinc lib. 2. epist. 13. Tauritanensem Ecclesiam & Liparitanam eidem Episcopo commendat. Sed mox epist. 26. rectiùs Taurianensis scribitur. epist. deinde 38. corruptiùs Tauriatinensis. Et in VII. Syn. seu Nicæna II. Theodorus Τωρειανῶν pag. 373. in VI. Syn. Constantinop. act. 4. subscripsit Georgius Episcopus Τωρειανῆς ἐπαρχίας Καλαβρίας.

Lin. 43. *Certi quod statuam, nihil habeo*] Barrius sub Ostium Metauri ponit, ubi nunc *Porto ravagoso*, ut ipse ait, & sic in Tabula agri Brutij, quæ in Vaticana ambulatione ab Egnatio Dante picta fuit: atque hic est στόμιον ille quem Strabo ad dicti fl. ostium ponit. Et confirmat hanc sententiam, quod Orestem Metauro purgatum scribunt. Vide Marafiot. pag. 38. & pag. 65. vbi hunc portum *Ravaglioso* ponit inter Tauriana vestigia & Parmam seu Palmam, item pag. 110.

In Diplomate Rogerij Comitis Calabriæ & Siciliæ, quo continetur fundatio Ecclesiæ Miletensis, dato anno orbis con-

diti SΦGE. Ind. x. tempore Gregorij VII. sic legitur : *Quoniam Ecclesiæ Episcopales Bibonæ & Taurianæ ab hominibus desertæ atque deperditæ sunt, Ego Rogerius &c. volui duas has Cathedras in unam Ecclesiam Miletensem redigere, & hanc unam, nec Bibonæ, nec Taurianæ nomine sed Miletensem vocari, &c.* Cui deinde utriusque Ecclesiæ bona attribuit. Fundata fuit hæc Ecclesia anno Christi 1087.

Pag. 1294. lin. 12. *Nequit*] Descriptio Scyllæ ex ἀϖλανία adjungenda, quæ Homeri verba confirmet.

Lin. 13. *CRATHAEIS fl. &c. in mare sese effundit*] Et nunc vulgo *Salano* dicitur. Sed Cluverius in Tabula sua alio loco ponit, nempe post Cænyn promontorium ad ipsam Columnam. Nam Reginam, cui nunc appositum est oppidulum *Fiumara di Muro*. Vnde apparet Cluverium postea Plinij sententiam probasse, quam pag. præcedenti rejecerat; & sanè major & notabilior est hic fluvius altero illo *Sajano*.

Post prædictam lineam.] Hic Crassi murus commemorandus vulgo *Muro rotto*. Vide Marafiot pag. 64. b. Vide supra pag. 1284.

Lin. 17. *Coda della volpe*] *Capo del pezzolo* Marafiotus & optimæ quæque Tabulæ,

quæ

quæ hoc loco nec caput, nec caudam vulpis agnoſcunt, ſed ego ex autopſia & diligenti conſideratione locorum cognovi Cœnys promontorium eſſe, in quo ſpecula *T. Cavallo* 2. mil. paſſ. à Scyllæo diſtans, à quo deinceps 4. mil. paſſ. ad promontorium *Code della Volpe*. Nam dictum hoc promontorium *Capo cavallo* proximo intervallo oppoſitum eſt *Peloro*, & ſpeculæ utriuſque promontorij campana ſibi invicem dant ſigna.

Lin. ult. an ſit illi vulgaris adpellatio Tropea] Sic ego omnino judico.

Pag. 1295. lin. 5. NEPTVNIVM] Marſiotus, Dionyſij Halicarnaſſæi quoque teſtimonium citat. is videndus.

Lin. 9. *A Cœny uſque ad Poſidonium, &c.*] Ex hoc loco Strabonis haud malè quis conjecerit templum illud Neptuni non fuiſſe ipſam columnam: ſed fanum pertinuiſſe ad locum ſive opidulum, cui Columnæ nomen erat. Et apparet fanum fuiſſe ad dextram Crathæidis in extremo promontorio, ubi nunc ſpecula *Torre della Catona*: Columnam autem vicum maritimum eſſe ad ripam dextram ejuſdem fluvij, qui nunc vulgo *la Catona* dicitur. Vnde nunc quoque uſitatus in Siciliam trajectus: nam certum eſt viam publicam

nunquam transijsse per locum illum mediterraneum *Calanna*, seu *Calanda* dictum; ideoque Marasiotus probabilius Columnam existimat fuisse oppidum *Fiumara di muro*. Sed ego omnino Catonam fuisse judico, sive Catunam, ut Marasiotus pag. 62. unde facillimus in Siciliam trajectus.

Pag. 1296. lin. 14. *Inscrip. 7. CCXXVII. SVMA. AF. CAPVAM]* CCXXXVII. &c. CAPVA. Hinc apparet inscriptionis antiquitas, quæ tum excerpta fuit, cum nullus adhuc, aut exiguus Romanis cum Græcis usus esset. Inde quam Græci vocabant σήλην, ipse Satuam vocat, quam postea Golumnam dixere. Nam Græca vox utrumque significat.

In alia inscriptione vocatur *Columella*, quod Græcorum σηλίδι respondet.

Lin. 17. *Ex hac inscriptione inepta]* Imo antiquissima & optima, ex qua sola vera locorum distantia peti debet. Sed Cluverius eam non satis ex merito æstimavit, neque expendit, quod mentem ejus perspicere non valuerit.

Lin. 37. *Oppidani Regini]* Sic duo antiqui lapides, qui Regij extant apud Gualtherium pag. 54. & quos ipse vidi.

Pag. 1298. *Ad Anton. Tab.]* Cùm spatium

tium 38. m. p. à Nicotera ad Columnam exacte etiam cum Tabulis recentioribus conveniat, apparet Mallias fuisse paulo supra Bagnaram haud procul ab eo loco, qui nunc vulgo dicitur *li passi*.

Lin. 24. *post finem*.] Vide Ortelium v. Eugym.

Pag. 1305. CONSILINVM CASTRVM] In optimo mss. Melæ pro Consilinum legitur Cossentia, quod fortè in Cocintia mutandum, ut sit idem cum Cocinto Antonini: nam Consilinum aut Cosilinum in Lucania fuit, quod Cassiodori certa attestatione constat Variarum lib. 8. epist. 33. & Frontinus de Colonijs pag. 90. editum Rigalt.

Lin. 3. *Mystræ*] In mss. Codice Melæ legitur *Mistiæ*.

Lin. 16. *Cæcinum Ant. Itin. est Cocintum*] Ego omnino illis assentior, qui Cæcinum & Cocintum diversa loca statuunt; ita ut Cecinus sit *Satriano* & fl. Cecinus, qui dictum oppidulum alluit, vulgo *Ancinale* dictus; & sane potiori iure hunc fl. inter navigabiles cum Plinio ponas, quàm illum, qui sub Stilo oppido fluit, vulgo *Stilaro* dictus, & ex Mela apparet fuisse propiùs Scylacio, cùm ipse inter Petiliam & Scylacium Cecinum commemoret.

Lin.

Lin. 36. *Ab Cocinto , &c.*] Ouid. lib. .... Metap.

-----Dextra prærupta Cocynthia parte.

Lin. 38. *Fluvius , &c. Alece*] Stilaro Tabulis optimis, & Marafioto.

Lin. 40. *promontorium* Κάρκινον] Mela hoc promontorium Zephyrium vocat contra mentem reliquorum veterum auctorum.

Lin. 42. *In quibus Melæ exemplaribus*] Ita in meo mss. pro *Cecinum* legitur *Carcinus*.

Pag. 1306. lin. 20. *Cæterùm*] Situm atque naturam hujus Vrbis copioſe deſcribit Caſſiodorus lib. 12. epiſt.

Poſt lin. 21. Fons Arethuſæ hic commemorandus ex Caſſiodoro lib. VIII. ep. 32. Hodie vocant fontem Caſſiodori, ſed ruderibus oppletus eſt. Sub Stalati fuit.

Lin. 22. CASTRA ANNIBALIS. *Plinij, &c. verba hoc extant capite*] pag. 1298.

Lin. 38. in fine.] Puto fuiſſe ſub loco, qui nunc Roccella dicitur, vel ad oſtia fluvioli qui *Rio Cupo*. ibi enim anguſtiſſimus eſt Italiæ Iſthmus, atque hoc confirmat Tabula Itineraria, quæ à Lacinio ad Caſtra Annibalis 36. m. p. ponit.

Lin. 40. *Ex his Semirus , &c. qui , &c. dicitur Alli*] Quinimò nomen adhuc reti-

net

net proximus Alli, & Simari oppidum situm est ad dextrã Simari fl. & ad ostium à parte sinistra est Turris Simerina, vel *Torre de Simari*. Tabula magna Regni Neapolitani, & Magini Tabula Calabriæ ulterioris accurate illum depingunt, sed rectiùs Tabula; nam Maginus in parte superiori eos confundit.

Lin. 42. AROCHA. Est Crocha, qui ad Petiliam seu Belcastrum defluit inter Simari & Tacina. Et sic recto ordine Plinius fluvios hosce commemoravit.

Lin. 49. *in fine*, *Crotalus*, *&c.*] Vulgo CORACE dicitur.

Pag. 1313. lin. 13.] Hic Μαχαλλὰ oppidum Lycophron. & Stephani omissum, de quo etiam Aristotel. Θαυμ. ἀκουσμ. cap. 115.

Lin. 38. *Triunti*.] Latini haud dubiè inde formarunt Traentum ex obliquo casu, ut Sipuntum, Hydruntum, Tarentum, Agrigentum, aliaque sexcenta. Meminit etiam hujus amnis, & cladis Sybariticæ Iamblicus lib. 1. de vita Pyth. cap. 35. ubi ait triginta myriades hostium à Crotoniatis cæsos fuisse περὶ τὸν Τιξάινθα ποταμόν. Ubi sine dubio ex Diodoro rescribendum dempta prima Syllaba περὶ τὸν Τεάινθα ποταμόν.

Pag.

Pag. 1314. lin. 33. *Procopius*] Si Procopij verba rectè expendas, & Brutiorum regionem, qua Lucaniæ conjungitur probè consideres ; apparet haud dubiè duos illos angustos aditus alterum per summum Apenninum supra Muranum ducere ; alterùm sub Rosito, cujus angustiæ nunc quoque castello firmantur. Itaque Petra sanguinis est via excisa per rupes, qua ex campo Tenise Muranum descenditur, vulgo *la dirupata*, sive *la scala di Murano* appellatur. Labula sunt angustiæ ad Castellum Rositi, ut nunc vocant.

Lin. 45. lege ὅτι Ρωσιάν] Nihil mutandum, recta ad oram Ruscianam navigabat. Refertur n. vox ad ἀπέλω sequentem.

Pag. 1315. lin. 3. *Paternum*] dele numerum 12.

Lin. seq. *Neeto* XXXII.] 12.

Lin. 5. *Tacina* XXXIIII.] Leg. XXIIII.

Lin. 10. post finem.] Barrius Paternensem Episcopatum Vmbriaticum translatum fuisse affirmat, certe illo tractu hoc oppidum fuit, & notandum Paternum hic eodem intervallo à Turijs poni, quo Petelia in Tabula Itineraria. Nec videatur Barrij sententia repudianda, qui Paternum postea dictam ait, quæ prius Crimisa, nunc vulgo *lo Ziro* & hoc 27. mil. pass.

pass. intervallum confirmat posteà pro 32. legend. 12.

Lin. 50. *Maxime placet sententia, &c.*] At mihi omnium minimè probatur. Nam Strongylum esse nunc, quæ olim fuit Petelia, præter naturam situmque loci, & Tabulæ Itinerariæ auctoritatem, ostendunt inscriptiones antiquæ, quæ dicto in loco visuntur, quas profert Gualtherius pag. 57. & 58. qui & ipse in notis pag. 145. haud immerito Cluverij sententiam improbat. At ipse supra pag. 1257. Petelliam *Strongoli* esse affirmat; nescio cur postea mutarit sententiam.

Pag. 1316. lin. 50. *Ordo quoque locorum — turbatus est.*] Sed ex ijs quæ pag. sup. notavi, apparet Itinerarij ordinem rectum esse & verissimum.

Lin. 56. *Post finem*] Puto esse tractum montium, qui continuo ordine inter Arocham & Targinem fluvios decurrunt, & Peteliæ ab ortu imminent, modò Petelia sit *Belcastro*, ut vult Cluverius. Sed cum certissimum sit esse Strongylum oppidum Episcopale, Petilini montes sunt, qui inter Neæthum & Coimisum protenduntur.

Pag. 1317. lin. 10. VFFVGVM] Vfugum Barrius explicat, *Montalto*; ego potius

tius crediderim *Fognano*, haud procul ab oppido S. Marci.

Vergæ, *Rogiano*, ut idem vult Barrius. Argentanum puto nunc esse *Argentina*, prope *Montalto*. Hetriculum, *Lattarico* explico cum Barrio. Syphæum forte *Montalto*.

Lin. ult. post finem] Consentiam ab occidente allabitur fl. qui vulgo *Basento* dicitur. Hunc Paulus Diaconus hist. Miscellæ lib. 13. Basentium, & Iornandes de rebus Goth. Basentinum amnem vocat, in cujus medio alveo derivato tantisper fluvio Gothi Alaricum regem sepelierunt. Apud Iornandem corruptè Barentinus editur, quod in vetustissimis Codicibus s. & r. imperiti exscriptores ductus similitudine fallantur.

Pag. 1318. lin. 49. *Huc facit etiam, &c.*] At Cluverius in Tabula ipsa nimium summovet. Assentior omnino illis, qui *Mendocino* interpretantur haud procul à Consentia.

Lin. 56. *Vereorque*] Sanè in tribus antiquis nummis, quos Prosper Parisius suæ Calabriæ descriptioni adjunxit, legitur, Αχεϱόντιαν, qui non à fluvio, sed ab oppido aliquo sic dicti videntur. Neque enim facilè existimaverim Pandosiæ incolas

Ache-

Acherontinos à præterlabente fluvio dictos fuisse, cum horum quoque numi exstent cum proprio nomine ΠΑΝΔΟΣΙΕΩΝ.

Pag. 1320. lin. 33. *Hypporum xxiiii.*] Et paulo supra promont. Stili supra Turrem S. Antonij pons antiqui operis visitur.

Ad Tabulam Itinerarij ibidem, &c.] Hæc via ducebat per littus orientale & adhuc vestigia apparent : nam sub Stalati prope Syllacum excisa est rupes, sed multò clarius sub Suverato supra portum D. Nicolai, ubi veteris portus maxima apparent vestigia. Hæc via nunc ducit sub Stilo oppido per Monasteracci Roccellam sub Hieracio per Mottam Boffalinam.

Pag. 1322. lin. 20. *Sabinique*] scrib. *Salentinique*.

In Indice Rerum.

Acheron fluvius] inserend.

Cassinum colonia & municipium 1040. 53.] delend.

Domitiana via 1095.

Ligures, Bæbiani, & Cornelíani 1200. eorum colonia 1201.

Malanius.

Marci fanum] scrib. *Marcelliana* 1244. 56.

Ne-

Neruli 1190.
Nicotera 1291.
Quintanæ 949.
Roſtrata villa.
Tiburinum] Leg. *Tiberinum municipium.*
Timovus flumen] delend.
Tropæa 1292.

In fine libri 4. *ſunt notæ ſequentes.*

Miletus. Malanius. Steph.
Scidrus.

Quintianum Civitas Italiæ, cujus Epiſcopus Zoticus commemoratur ab Optato Milevit. lib. 1.

Apiolæ Latij oppidum. Capitulum Latij oppidum Straboni & Frontino.

Melpum Inſubriæ oppidum.

Cyterium. Arinthe. Patycos.

Vlci Lucaniæ Civitas mediterranea Ptolemæo. Hinc Vlciana præfectura Frontino, eſt Bucino ad Silarum paulo cis Pollam.

Vulceiana civitas vocatur in veteri inſcriptione ibidem reperta, quæ extat apud Gruterum pag. CCIX. nu. 2. ubi Pagi ad eam pertinentes cum ſuis fundis recenſentur.

Forum Publij Ptolem. in Campania. Halicarnaſſ. forum Popilij. Hujus mentio in Tabula Peutingeriana.

Ale-

Alexandri vicus ad Tiberim.

Conche prope Tiberim.

Herculaneus rivus duplex. Frontin. de aquæd.

Chalcitis Meſſapiæ Steph.

Duronia urbs Samnij Cluv. pag. 1193.

Tabula Itineraria facta tempore Iuliani 1190.

Civitas Severiana nunc *Monte Scaglioſo*. Marius Vipera Chronol. Epiſc. Benevent. pag. 94.

Prope Ceccanum Caſtrum Eccleſia S. Petri, quæ de Hiſcleta dicitur in vita S. Eleutherij in Codice Bovianenſi, ubi de ejus translatione agitur.

Meſſana Apuliæ Civitas in Martyrologio. An *Meſſagna* in regione Hydruntina?

Rubefana Eccleſia Apuliæ. Nunc Ruvo. Fortè hinc Rubuſtini Plinio in vita S. Sabini Epiſcopi Canuſini.

Pons à Trajano Auguſto paratus ſuper fluenta Aufidi, in eadem vita S. Sabini. Hic pons fuit vicinus Canuſio.

Attilia 2. m. p. ſub Supino oppidum antiquum Samnitum, quod totum adhuc in ruinis conſpicitur, crediderim Altellam vel Alfellam Plinij eſſe, unde ipſi Alfellani. Videndi Codices mss.

FINIS.

ANNOTATIONES

IN

THESAVRVM GEOGRAPHICVM

ORTELII.

INSTITUTUM
ARCHAEOLOGICUM
GERMANICUM
ROMA

LVCAE HOLSTENII
IN ABRAHAMI ORTELII
Thesaurum Geographicum.
ANNOTATIONES.

A

Baritani] ab *Abbir*, vel *Abbirita*.

Abdada, &c. Amblada legunt] Sic Manuscripti Palatini & Barberini. Vide infrà in hoc v.

Abdara, &c.] ms. Melæ *Adera* legit.

Abdera, &c. Polystylo] sic Append. Constant. Porphyrog.

Abigas] *Ampsagas* alijs infra hoc v.

Abïj] Hinc Ἄβικν regio apud Stephan. v. Τλέα.

* ABNICVM Castrum Phasianæ regionis, Constant. Porphyrog. de administr. Imper.

Aborras] H. Valles ad Ammian. pag. 11.

Abora, &c. apud Zosimum & Marcel.]

Aburus Isidoro Characeno; est.

Abor & *Chabor* S. Scripturæ, sive *Chobar*.

Abotriti.] Vide infra v. Obotritæ.

Abrelia regio, dele *Phauorinus*, lege Suidas.

eſt Aurelia.

Abritum Ἄβρυτον vocat Chron. Alexandr.

Abſorus, &c. *Oſero* nunc dicitur, conjunguntur enim duæ inſulæ *Cherſo & Oſero*, de illa vide infra v. *Crepſa* [*Rhodani oſtia*] *Eridanum* intelligit: nam Padi oſtijs, ſed longo intervallo obiacent; & apud veteres *Rhodanus* & *Eridanus* ſæpiſſime confunditur.

Acamantis] Ἀκάμαντος ὄρος apud Heſych.

Acampſis, &c. *Arr. in Periplo* & Procop. 3. Gothic. qui Boam fl. in oſtio ſic appellari ſcribit, quem tamen alibi eundem cum *Phaſi* facit.

Acaraſſus] Civitas Epiſcopalis ſub Sardienſi Metropolit. Notic. Epiſc. Leonis.

Accabicus Murus] *Accabicum caſtellum*.

Acenippo, &c. *Acinipo* Plinio] & veteri nummo. Vide Rod. Carum lib. 3. antiq. Hiſp. cap. 57.

Achale, &c. circa Malacam, &c.] Non intellexit mentem (Avieni.)

Achola, &c. an Acila Hirtij ſit ſubdubito] non dubitandum.

Achris, &c. proxime lacum] piſcibus optimis, præſertim Carpionibus, refertum, quos hinc Conſtantinopolim devehunt.

* ACHYRONA ms. proximum Nicome-

diæ

liæ, Aurel. Victor. in Constantino M.

Acilla] unde *Aquillitani* in veteri inscriptione Gruter. DXII.

Acracanus, &c. Euseb. Præpar. 9.] cap. 41.

* ACRASA, Lydiæ oppidum, quod Ptolemæo vitiose, *Nacrasa* Hierocli. ἀκρασὸς. hinc AKPAϹIΩTΩN numus cum Æsculapio apud Tristanum in Severo.

Acrocorinthus, &c. descriptio] Et apud Nicetam l. 3. pag. 84.

Acrolissus, &c. in Illyria] Immo *arx Lissi* in colle vrbi imminente sita.

Acronius, &c. Acronium] *Acrunos* puto civitas hæc Io. Sinnamo lib. 2. hist. Constantinop.

Acropolis.] Est quoque Lucaniæ civitas ad Tyrrhenum mare olim Episcopalis, ut apparet ex S. Greg. M. epist. 29. lib. 2. Indict. IX. vulgo *Agropoli* adhuc dicitur in promontorio sita.

Acusiorum] Vsitato errore Interpres Ptolemæi *Acusiorum* vertit pro *Acusion* casu recto, nunc *Ancone* medio loco inter *Arausionem* & *Valentiam* prope *Montelimart* ad ripam Rhodani.

* AD AQVAS GRADATAS. Locus prope Aquileiam, cujus mentio extat in Actis Martyrij S. Chrysogoni, & Sanctorum

rum Cantianorum Martyrum apud Mombritium.

Ad Gallinas] *Ad Gallinas albas* fuit quoque locus Romæ regione quarta, ut videre est ex divo Gregorio M. lib. 3. epist. 17.

Ad Martis] *Fanum Martis* inter Carsulas & Tuder, cujus incolæ *Fanesten.* apud Hygenum de limitibus.

Adana, &c. Adana regio] Locus, ubi Emporium Romanorum, extra sinum Arabicum ad Oceanum teste Philostorgio lib. 3. c. 4. ex quo Nicephorus hausit, dubitari nullo modo potest quin sit *Adana* nobilissimum hoc tempore emporium.

* ADIACIVM Civitas Episcopalis Corsicæ, cujus meminit Greg. Mag. lib. 3. epist. 74.

* *Adrane, &c.* circa Pannoniam] inter Mursam & Sisciam.

* ADRANVTZA, vel *AdranutZium*, oppidum sive castrum Iberiæ Constantin. Porphyr. lib. de administ. Imper.

* Ἀδραπάναν vocat Isidorus Char. civitatem Mediæ, quam Batanorum regiam esse dicit. Puto Ἀτροπατίαν legendum, quæ Atropatenæ regioni nomen dedit.

Adrassum, &c. Hierocles Darasos pro Ἄδρασος. de quo infra.

Adro-

Adrobicus] *Adrobica*, & *Adrobrica* ms. nunc *Mongia* vel *Camerinas*.

* Αἴκαι, Æcæ, Apuliæ civitas, cujus meminit Polyb. lib. 3. pag. 239. ubi corruptè σὲι τὰς αἴγας editur, cùm legendum sit σὲι τὰς αἴκας. hinc *Ækani*, & Civitas *Ækana*, de quibus infra v. *Æquana*.

Ad rubras, &c. Vide ad *Rubas*] Cabeças Rubias nunc dici putat Roder. Carus lib. 3. antiq. Hiſpalenſ. cap. 73.

Ækani. Vide *Æqui*.] & *Æquana*.

Ædeſſa. &c.] adde in fine. Et appendix Conſtantin. Porphyrog.

* ÆGANEA velut loci nomen in veteri epigram. Anth. lib. 3. pag. 315. cum Borræa Macedoniæ conjungitur.

Ægas] leg. Αἴκας.

Ægathes, & Pomponio] ms. *Ægatheæ*.

Ægelion ΑΙΚΙΛΙΑΣ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ nummus antiquus apud Cl. Meneſt. fortè idem locus.

Ægiala, &c. Sophiano] apud Steph. v. Α'μυργὸς. & in fine. v. *Simnias*.

Ægiroëſſa, &c. Æolidis urbs Stephano;] legend. Herodoto lib. 1. Αἰγείρουσα Steph.

Ægyptus, &c. Auguſtanica.] Αὐγουσταν́κη legitur apud Epiphanium hær. 37. pag. 874.

Ælanum.] apud Agatharchidem c. 12.

male ſcriptũ videtur Αὐταίων pro Αἰλάων, quos & ipſe in intimo receſſu ſinus Arabici collocat.

Ænum] Cephalleniæ mons apud Schol. Apollon. l. 2. p. 82. ubi Iupiter Αἰνήϊος, vel Αἰνήσιος colebatur, ut ibidem Heſiodi teſtimonio docet.

Æquana] confundit vicum Æquenſem prope Surrentum cum Ætanis, qui Ætas Apuliæ municipium, vel potiùs Hirpinorum incolunt. Hæc Ætana civitas poſtea *Troja* dicta fuit. [*Et in fine Vicum Aquenſem, &c.*] *Vico* vulgo dicitur prope Surrentum.

* ÆSIANVS AGELLVS circa Brixiam in veteri lapide Brix. vide Oct. Ruſſi pag. 268.

Æſtræum] Αἴσεων puto Hieroclis, qui Epiri novæ oppidum facit, ubi male Λίσεων ſcribitur.

* Αἰτὸς fl. Scythiæ Apollonij Schol. lib. 2. p. 122. ex Agræta.

Affile, &c.] nomen retinet haud procul Sublaqueo.

* AFFLIANVS mons, ſub quo rivus aquæ Claudiæ deductus Veter. Inſcript. vulgo *Monte S. Angelo* in territorio Tiburtino. Vide Antonij del Re antiquitates Tiburtinas. pag. 22.

Agall-

Agaunum] Vide Tarnatenſe Monaſterium, & Regula Tarnatenſis jam olim celebris. Vide Menard. ad Concord. Regul. S. Bened. pag. 54.

AgazZiri, &c. circa Viſtulæ amnis] falſum. *ChaZari* poſtea dicti.

Agnice Cod. Vet. legunt, &c.] optimè. Vide Salmaſ. ad Solin. pag. 698.

Agonida, &c.] ad oſtia fl. Anæ.

Agragieſis.] leg. Agradieſis.

Agragienſis claſſis] vitium ex ſcriptura. Vide Onuph. Panv. Imp. R. eſt patria militis.

Alani, &c. Lithuani.] Tartari ad Euxinum & Caſpium mare ſunt.

Arriano. [*Caucaſigenas, &c. Sidonius*] optimè.

Alapta, &c. apud Galenum] in Gloſſis Hippocratis.

Albana, &c.] eſt gentile ex *Alba*.

Albania, &c. Hæc pars Britannia quoque minor.] Hæc eſt Hibernia. Vide Marcian. & Steph. v. Ἰέρνια.

Albanopolis] Ἀλβανῶν μητρόπολις in nummo Decij Trajani apud Pyrrh. Ligorium circa Iſidim turritam cum Luna Corniculata in fronte & ſub humeris.

Albenſium civitas] Sirmond. ad Sidon. Apollin. pag. 115.

Albium, &c. Straboni] est Δέλφιον Aristotelis inter Istriam & Mentoricam regionem.

Albula, &c. τέβερις *apud Steph. legitur*] quod hodiernæ appellationi consonat: Nunc enim *Tevere* vulgo dicitur.

Albuneus, &c.] est Alburnus de quo sequitur.

Alcæos populos, &c. constituere] quærendi ergo in Sicilia.

Alcyonium, &c.] Ἀλκυονὶς θάλασσα Strab.

Alebeciorum] *Alebece Rejorum* ex mss. Vatic. ibi legendum, ut docet Sirmond. ad Sidon.

Aleta] *Aletani* pagi mentio in veteri lapide reperto Tauliniani in Allobrogibus.

Algidum, &c. hodie Rocca del Papa] falsum: nam vestigia extant ad Cauam Allij sive Algidi.

Algidum nemus, &c. duodecimo] leg. *duodeuigesimo*.

Aliacmon, &c.] Βύσσηνα nunc vocari affirmavit mihi accola Beroeensis vir doctus.

Alianorum.] Ἀλίοι Hierocli, unde Ἀλιανοὶ & in nummo Gordani apud Franc. Gotifredum circa Bacchum stantem. Syn. Constant.] & Concil. Chalced.

* ΑΛΙΗ-

* ΑΛΙΗΝΩΝ in alia notitia Episcopus Α'λινῶν vocatur. Galeno *Alliani*. Vide infra hoc v.

Alinda, &c. Steph. in ab Alina] corrupt.

Alingonis, &c. meminit quoque Paulinus, &c.] Epist. 16. vide ibi. [Alinganiensis est apud Greg. Tur. est diversus locus à superiori. [Belleforestius] Fron. Ducæi notus pag. 802.

Allia.] Ligorius vulgo adhuc *L'aia* dici ait, quamvis alij *Floram* putent ultra montem Rotundum fluentem.

Alliane] sunt Alliani supra.

Allon, &c. ἄλλων] leg. Α''λων, de quo infra.

Alpesa.] *Salpesa* leg. vide infra *Flavium Salpesanum*. De hoc municipio erudite tractat Rod. Carus antiq. Hispal. l. 3. cap. 62. locus nunc *Facialcaçar* dicitur, eodem teste.

Altanum, &c.] *Casignano* Marasiotus. Sed ego ductum illius itineris corruptissimum esse puto.

Amacastis, &c.] *Amadavad* nunc esse putat Herbert. in Itinerario.

Amaccura, &c. D. Aug. à] & S. Cypriano in Concil. Carthag. ubi ms. *Vamaccura* pro *Amacura*.

Amanicæ, &c. Curtio Amanides.] Sed Cur-

Curtius quoque lib. 3. *Amanicas* vocat, &c. [*ab Amanidibus diverſas eſſe &c. diſcitur*] & maxime ex Curtio lib. 3.

Amanoides, &c.] ſub Tarſe ad mare.

Amaſenus, &c. Abbatia] *Abbatia* foſſæ nouæ ad *Amaſenum* ſita eſt.

Amblada, &c. vide Ablada] Ptol. ubi ms. Ἄμβλαδα.

Ambracia, &c. Arte] Hoc verum eſſe nomen ex *Ambraciota* audivi. Et Nicetas lib. 3. pag. 82. teſtatur Acarnanas, & Ætolas ſuo tempore Ἄβρηνες appellatos.

Ammanites, &c. Ioſeph. &c.] Idem lib. 1. cap. 12. ab Ammano deducit Lothi filio & Caleſyriæ gentem affirmat.

Ammonij, &c. promontorium, &c.] nunc *Capo fartaque*.

* Ἄμμων locus Cephaleniæ, ubi Phoreyn Deus marinus habitavit. Didymus ad Odyſ. μ.

Ampeloeſſa] Pyrrhus Ligorius vidit nummum Hadriani, in quo Bacchus cum Ariadne curru vehitur cum inſcriptione ΑΜΠΕΛΟΕΣΣΑΙΩΝ, & in alio Gordiani, ΑΜΠΕΛΟΕΣΣΕΩΝ.

Amphipolis, &c. Hodie Chiſopoli] Ita appendix Conſtant. Porphyrog.

Ampſaga, &c.] Apud Procop. lib. 2. Vandal. ἀμίγα pro ἀμψίγα, male ſcribitur:

tur: & alibi ἀβλύα.

Ampſitanorum, &c.] prope Leptin minorem. Gruter. pag. 512. Ego in ipſa tabula ſcriptum fuiſſe exiſtimo *Tapſitanorum*, quod ex vicinis locis ibidem adjunctis perſpicuè apparet.

* ANASARTHA Ἀνασαρθά, Civitas Epiſcopalis Syriæ, ut videtur, cujus Epiſcopus Mara interfuit Concilio Chalcedonenſi Act. 1. Infr. v. Onaſartha.

* ANASPASTI Cares habitabant circa Babyloniam eò ex Caria à Perſarum Regibus tranſducti. Arrianus lib. 3. pag. 57.

Anaurus, &c. in Hercule furente] Iuxta Iolum oppidum fluxiſſe apparet, non ultra teli jactum, ex verſibus Simonidis apud Athenæum lib. 4. ubi Interpretes malè pro appellatiuo accipiunt, & torrentem vertunt. Vide Fragm. Lyric. è contra apud Callimachum hymno in Dianam v. 101. & Schol. gr. & Friſchl. ex appellativo proprium faciunt.

Anazarbus, &c.] *Iuſtianopolis*] leg. *Iuſtinianopolis*. Et in fine [*Videtur Cedrenus &c.* ἀναβάρζαν *vocare*] atque ita apud Philoſtorgium lib. 3. ſcribitur pag. 49. & Zonaras in Nicephoro Phoca.

Anchialus, &c. Eſt quoque locus circa hocum Pe-

Pelasgicum , &c.] Falsum, ibi legendum Ἀγχιαλὸς θ' ὁμόλη non ὁμαλὴ.

Anchiaxus] sed ms. ibi legunt Ἀγχιασμὸς, & sic Hieroclis Grammat. not. provinc. mss.

Andriaca , &c. Mediæ quoque , &c.] corruptè pro *Anariaca*, de qua supra.

Angitula , &c. Crissa a Licophrone dictam putat.] Fallitur toto cœlo. Malè distinguit Lycophronis verba.

Anguiensium , &c.] sup. v. *Ancus*. *Anguensium* alibi.

Angurus] scrib. & ἄγσυρον teste Scholiaste.

Aninsula , &c.] *Anisola*] Sic in epistolis Nicolai I. epist. 60. quam vide.

Anio . &c. Anienus etiam legitur apud Statium] Statius ibi numen intelligit, ut *Tiberinus à Tiberi*. Sic. Propertius *Lympha Aniena* dixit; & ipse Statius statim in principio ejus carminis *Anienem* vocat ipsum fluvium. *Teverona*] Tiberinus Ioannes Papa VIII. epist. 30. & 32. atque ita in omnibus instrumentis antiquis ante DCCC. & CM. annos scriptis reperi.

Anio etiam Tusciæ locus, &c.] ubi docti viri rectè substituunt Minio.

Ἄννα βις κώμη, puto Ægypti, refertur à Theodoreto S. 3. θεραπ. ex Porphyrij epistola ad Anebonem.

An-

Anſancti, *&c.* eſt ſub Fricento oppido.

Anſibaris, *&c. Anſe Stadt*] falſum: Nam Hanſiaticæ civitates dictæ à veteri voce Saxonica *Hen* ſcilicet *fœdus*, *ſocietas*.

* Ἄνθη ſive Ἀνθήα Theſſaliæ oppidum, cujus Heſiodus in Scuto Herc. bis meminit.

Anthepoli ἀνθήπολοι] corruptum ibi hoc nomen pro Οἰανθήπολις vide Steph. v Οἰάνθη.

Anthypatianæ] Ita provincia Africa proprie dicta appellatur, quaſi proconſularis, quia à Proconſule adminiſtrabatur in veter. notit. gr. ms. Προκονσελαρεία voce mixo barbara ſcribitur.

Antinöe, *&c.*] Ἀντινῶ vocatur in Notit. provinc. ms. Græca Thebaidis primæ Metropolis, & in hiſtor. Tripartita lib. 8. c. 1. ex Sozomeno, *Antino* civitatem legimus Ægyptiaca formatione, ut *Cyno*, *Lyco*, & ſimilia.

Antiochia, *&c.*] Alia eſt *Antiochia* Ciliciæ ad Pyramum fl. Steph. Alia etiam ejuſdem Ciliciæ *Antiochia τῆ Λαμβωτιδ(*, cujus Epiſcopus Acacius legitur in Concil. Chalcedon. act. 3.

Antipolis, *&c.* P. Ligorius Auguſti nummum refert cum inſcriptione COLLATINA. ANTIPOLIS. IVLIA AVGVSTA,

cujus

cujus II. viri C. IVLIVS. SEXTIANVS & Q. LICINIVS. PRISCVS.

Anytios, &c. idem cum Anyti, Steph.

Apamia, &c.] Distinguendæ sunt duæ *Apamiæ*, altera Phrygiæ, altera Pisidiæ, quarum distincti Episcopi Concilio Nicæno subscripserunt.

* Α'παναρξπηνῶν Parthiæ regio apud Isidorum Charac. in qua ἀ'παναρξπηνη' civitas. Plinio corrupte *Zapavortene*: at rectiùs ms. *Apavortene* legunt. Corrigendum quoque idem vocabulum apud Iustinum, lib. 41. ubi *Thabortenum* falso scribitur pro *Apavartenum*; puto autem eamdem esse cum *Arcticena* Ptolemæi.

Aphar, &c.] Infra v. *Saphar* rectè animaduertit hic quoque *Saphar* legendum, litera prima ex antecedente revocata, apud Niceph. Calliſt. Τάφαρον scribitur ex Philostorgio; neque enim dubitandum quin idem sit locus.

Apis] *Apisa majus* civitas vocatur in Tabula ærea Brixiensi apud Oct. Rossi pag. 183.

Apollonia, &c. Gilax] à Gylace *Gylaciam*.

* Α'πόλλωνῶ ἀωλαί locus Cariæ apud Photium in excerpt. Damascij cod. 242.

Apollinis Promontorium, &c.] Notandum

est

est apud Ptolomeum esse duo promontoria hoc nomine, quorum alterum Carthaginensem sinum ab occidente claudit, alterum in Mauritania haud longe à Iulia Cæsarea: postremum hoc est *Capo de Tenes*; alterum est inter Bisertam & portum Farina, sive Vticam veterum.

Apollinis templum, &c. in Myriensi sinu,] fuit postea civitas Episcopalis, ut videre est ex Notit. Episcop. Leonis Imp. hinc *Apollonos Heritæ* Plinio.

Apollonos Heritæ] supra Apollonis fanum.

Apostrophos, &c.] Vertigines Miscell. vertit.

Appiani, &c.] Eorum civitas *Appia* Hierocli in notitia: & Nectarius Appias Episcopus subscripsit Concil. Constantinop. I. Ita enim habent ms. optimæ notæ.

Apros colonia, &c. Theodosiopolis, &c. Cedrenus] & appendix Constantini Porphyrog.

* APRVTIVM nunc regni Neapolitani provincia, quæ olim *Samnium*, sed civitas quoque hoc nomine fuit. Vnde *Aprutiensis* Episcopus epist. 126. Ioann. PP. VIII. In veteri quodam Codice Arnobij DCCC. circiter annorum reperi *Abruptiensis* Ecclesiæ presby-

presbyterum, quæ ſine dubio vera ſcriptura eſt, & origo hujus nominis.

Apſilæ &c. Apſilia] ſic Menandro protect. in excerpt. pag. 110.

Apſorrus, &c. Apſarus] & ſic vetus inſcriptio numeri tendentes in Ponto Abſaro, quæ in Gruteri opere intellecta non fuit.

* AQVÆ DVRÆ, in territorio Conſtantienſi, Martyrolog. Roman. & Beda primo Septemb.

Aquævivæ, &c. Italiæ Epiſcopatus] *Aquaviva* civitas Epiſcopalis in via Flaminia, haud procul Roma, inter Arinianum & Civitatem Caſtellanam ſub monte Soracte, paulo ultra diverſorium Stabiæ, ubi nunc *la Fontana d'aquaviva, & Eccleſia* B. V. *de aquaviva*.

Aquilitani.] Scrib. Aquillitani. Certum eſt fuiſſe prope Leptin minorem, ubi Cæſarij *Aquilaria*, de qua paulo ante, vel potius Hirtij *Acilla* unde AQVILLITANI pro *Acillitani*.

Aquilonia, &c. Agnone] ſic Ligorius.

Aquæ Solis, &c.] eſt oppidum Epiſcopale.

Aræ Murtiæ] Incolæ Civitatis Caſtellanæ, qui falſo ſe Veientes ex Faliſcis faciunt, in ſuo agro has aras fuiſſe aſſerunt,

&

& nunc locum *Armurezzo* dici. [*Cato in originibus*] fictitijs.

Aræ Sestij. Vide *Aræ Sextianæ*.] Ipse Melæ utrumque locum commemorat, sed diverso situ: nam *Turris Augusti* est *Cea* sub capite finis Terræ.

Aræ autem *Sextianæ* sine dubio ipsum nunc oppidum *Coronna* est.

Aræ Sextianæ Plinio Turris Augusti, &c. Lucus Augusti. Malè confundit. Vide v. *Sars*.

Arabia, &c. ad Sinum Arabicum] Hoc falsum: nam ad Erythræum mare ponunt, ubi nunc *Cayem*, vel potius *Fartaque*, paulo ultra *Capo Fartaque*, quod Ptolemæo Ammonij promontorium.

Arabissum] Distat non procul *Cucuso* & Comanis Cappadociæ.

Arabraciæ regionis] leg. *Arabraca*. Armeniæ minoris civitas, & in fine: v. infra. *Auraraci*.

Arabriga, &c.] *Arabrica* Plinio & Vet. lapidi, hodie *el Gallego*. Vide Roder. Carum.

Arachotus, &c. Hanc Solinus Arathosiam] Strabo lib. 11. Ἀραχωτὸς urbem illam plurali numero vocat.

* ARAXAE populi circa pontum vicini Colchis & Heniochis, apud Orpheum.

Argo v. 749. Sed illi sive vera sive falsa

hęc sit scriptura ijdem sunt qui alijs *Coraxi. Arcensium, &c. in Bætica*] Sic Roder. Carus lib. 3. antiq. Hispal. cap. 32. qui eruditè de hoc loco differit, & *Arci* verum ejus nomen fuisse existimat, unde gentile *Arcensis*.

Archemorus, &c. antea Langia] inde λαγείῳ νύμφῳ fingit Nicander Alexiph. pag. 136. ubi Scholiast. pag. 55. λάγειαν inquit *Fons Argis*.

Arcobriga, &c.] *Ariza* vocat Ioan. Francis. Andreas lib. de patria Sancti Laurentij.

* ARDELICENSIVM NAVICVLARIORVM circa lacum Benacum meminit lapis antiquus Veronensis Onuphrij Panvinij pag. 243.

Ardiæi.] ab *Ardia*. Ἀρδιᾶοι Appiano.

Arduenna] Circa finem apud Suidam] Ὑπερλυδεύκης.

Argæus, &c.] Ἀργέας in appendice Constantini Porphyrog. Hesiodus quoque Cretæ montem hoc nomine novit, quem alij Ægæum vocant; vide Salmasium ad Solin. pag. 891. Est haud dubiè Ἄργινος Apollonij Rhodij de quo pag. seq. Vnde apparet correctionem loci illius Hesiodi non temere admittendam.

Argarizin Vide Hierosolyma] & *Garizim.*

Argentanum] Fortè Argentina medio

iti-

itinere inter oppidum S. Marci & Cosentiam.

* ARGINVS, Ἀργινῆς collis insulæ Cretæ, sub quo specus in qua Harpyæ se abdiderunt. Schol. Apollonij lib. 2. pag. 82. intelligit haud dubiè Τὰ λόφια ὄρη. Vide eundem p. 89. vnde apparet fuisse ad *Dictam* montem. Vide supra v. *Argæus*.

Argos, &c. Argos Amphilochium] Ierovitiam nunc dici ait Sangallus, qui civitatem magnã esse ait figura quadrangulari, ubi ingentia supersunt antiquitatum vestigia, præsertim *pyrgos Achillis*. Cypri oppidum hoc nomine est apud Phot. cod. 190. pag. 491.

* ARIA. Hispaniæ oppidum, Conuentus Hispalen. Plinio. in edit. Galenij *aeria* male editur. Hinc *Montem Ariorum* in Itinerario Antonini. Vide Roder. Carum antiquit. Hispalens. lib. 3. cap. 9.

* ARIADNAE mons, sub locupletissimum Iovis sanum, quod Orophernes Ciliciæ Rex spoliavit, puto in Cilicia fuisse excerpta Diodori pag. 337.

Arianzus, &c.] Vide Gregor. Nazianzen. epist. 90. ubi plurali numero Ἀριανζά vocat.

Arieldela Ἀριηλίτις] regio haud dubiè apud Epiphan. hæres. 19. quamvis dubitem

tem utrum proba ſit ejus loci ſcriptura, & apud Steph. Ἀ*ριήδηλα* legendum ex ordine literarum apparet.

Arindela] vide pag. præcedenti *Ariel-dela*.

Ariſtij.] Ariſtæ Civitas Epiſcopalis Bithyniæ in Notitia Leonis Imp. ſub Nicomed. Metropoli.

Armenia, &c. Pentapolim] *Tetrapolis* quoque neſcio quæ Armeniæ pars appellari videtur apud Baſilium M. epiſt. 57. fortè *Armenia* 1. quæ in Hierocl. Notitia 5. civitates habet, olim quatuor tantùm habuit.

* ARMOSATA Meſopotamiæ urbs ſita iuxta Campum-pulchrum *πρὸς τῷ καλῷ πεδίῳ καλουμένῳ*: Polyb. in excerpt. lib. IIX. pag. 27. Ptol. *Arſamoſata*. In præclaro nummo M. Aurelij Veri apud M. Ducem APMOCATTHNΩN circa Herculem.

Arniſſa, &c.] non poteſt eſſe una eademque civitas.

Arnon, &c. inter Amorrhæos & Moabitas] ſic Flav. Ioſeph. antiqu. l. 4. c. 4. p. 110. quem vide.

Arrebaci Plin. 3. c. 3.] & S. Hieronym. contra Vigilantium.

* ARREICIVM. Civitas Armeniæ, ubi S. Dionyſius Mediolanenſis exulavit, ut in

ejus

ejus vita apud Ambrosium.

Arrechi, &c.] Erachi ms. Melæ.

Arsamote] *Armosata* Polyb.

Arsopæ Ἀρζώπας.] leg. Arsopes Ἄρσωπες. Sed non puto hoc gentis nomen. Sed *Arimasporum* epitheton. & legendum Ἄρσωπας, , hoc est albos seu cæruleos oculos habentes.

Artabrum, &c. quem finis terræ hodie nominari puto] Muros ad ostium Tomaris fluv.

Artacacna] hæc Artacauna, Isidori Charac. [*An Articaudna Ptolem.*] nil dubitandum.

Artacana] hæc *Apavarctice* Isidoro Characc. & regio inde *Apavarcticene*, quæ Ptolemæo simpliciter *Arcticene*, unde civitatis nomen rectiùs forte *Articana* scriberetur.

Artanes] meminit hujus fl. & Nicephorus P. CP. in comp. histor. p. 212.

Artaxaca, &c. Tacito Choin] *Reyvare* sine dubio est.

Architæ.] Livio in ms. *Archidæ*; puto eosdem esse cum *Aridæis* Strabon. & aliorum.

* ARVA, Hispaniæ oppidum Hispalensis conventus Plin. sed locus corruptus. In veteri inscriptione apud Roder. Carum.

municipium Flavium Arvense, hodie *Alcolea*, teste eodem Caro.

Arucci, &c. Moron.] *Aruci* Plinij in Hiſpalenſi conventu, nunc *Aroche* appellatur, ut eruditè docet Roderic. Carus lib. 3. Antiquit. Hiſpalenſ. in vet. lapide *Reſp. Arucitana*. Alia autem illa Ptolemæi nunc *Moura* dicitur, & in veteri lapide, *Nova civitas Arucitana*, de qua eodem lib. 3. c. 72. agit.

Arunda] Roder. Carus lib. 3. antiq. Hiſpalenſ. c. 58.

Aruponum] leg. *Arupinus* Ἀρούπινος.

* Ἄσανδα Hyrcaniæ civitas Iſidor. Characeno, puto eſſe Metropolin provinciæ, quæ Ptol. *Hyrcania*.

Aſiana, &c.] *Aſiana* villa in confinijs Tridentinæ & Veronenſis Dioc. Ioan. VIII. epiſt. 267.

Aſiba] In Gordiani 3. nummo circa Iovem Statorem cum haſta & Aquila ad pedes ΑCΙΒΑΙΩΝ.

Aſido] nunc *Medina Sidonia*, , ut docet Roderic. Carus antiq. Hiſpalenſ. lib. 3. cap. 24.

Aſopus, &c. Aſiæ minoris] antea *Martyas* dictus. Vide Philoſtrati iun. Icones pag. 837. & infra v. *Porſias*. Confundit Scholiaſtes ille Aſopum Bœotiæ cum altero

Pe-

Peloponesi.

Aspa] nunc *Ispahan* Persarum Metropolis.

Aspachan, &c. Cedreno] pag. 634.

* ASPALATHOS Illyrici oppidum maritimum, quod nunc Spalato apud Constantin. Porphyrog. lib. de admin. Imp. Vide infra v. *Spalatum*.

* ASPRVDIS fluvius Mediæ in excerpt. Legat. Petri Patricij.

Asserina.] Ἀσέριον Plutarchi.

Assotanus, &c. Bastetanus, &c. aliter Manutius ortograph. pag. 68.

Astabeni] Ἀσταβηνοὶ eorum regio Isid. Charac.

Astacamprum] rectus casus Ἀστακάμπορα. Nec dubium quin idem sit locus cum *Astacapra* Ptol. Arrianus autem non dicit esse promontorium, sed proximum Papicæ Promontorio.

Astaveni, &c. vide Staveni] illa huc transferenda.

Asteria, &c. Odisseæ] meminit Nicetas lib. 3. pag. 96. quem vide.

Asto, &c. ubi Saturnus colebatur.] Epiphanius in Confus. pag. 1092.

Asturica] COL. ASTVRICA. AMAKVR. AVGVSTA. Pyr. Ligorio. ex nummo Augusti.

Astyron. &c. Polas] leg. Polæ.

Atel.] Sic. Constant. Porphyrog. de admin. Imp. Geograph. Nubiensis *Athel* vocat.

Athenæ, &c. nunc tantum casulæ supersunt] Falsum.

Athos, &c. Ioannes Tzetza] Chil. I. v. 915. *[locus quoque in Ægypto*] Ibi nunc male legitur Τὸ ἐν Ἀθως ἱερὸν pro Τὸ ἐν Ναθὼ vel potiùs Ναθὼν ἱερὸν. Vide infra v. *Natho*, facile cuivis erroris origo apparet.

Atteiatis] prope Fabrianum.

Augusta nova &c. est enim] NOTA.

* AVGVSTA TRAIANA legitur in nummo Severi apud Tristanum tom. 2. pag. 98. in quo Cybele turrita leone vehitur; unde hanc *Trajanopolim* Phrygiæ recte intelligit.

Augusta Tricastinorum, &c. Neomagus fortè] malè confundit: nam *Neamagus* nunc *Nyo*.

Augusta Vagiennorum, &c. Merula, &c. Bassignana appellari tradit.] Sic & Ligorius.

Augustæ] meminit Simocatta apud Photium cod. 65.

Aulon. &c. Aulonem Macedoniæ, &c. habet] Thucydides lib. 4. & [*Galenus, &c.*] *Aulonem* quoque vocat Scylax fretum inter Adriam & Tenarum insulas.

Au-

Auraraci] vide ſupra. *Arabraca* [*Arabracini*] Sic Nicephorus Call. & Conſtantin. Porphyrog.

Aurelia Antoniniana, &c. Carixa vocat Moralis] Sic Rodericus Carus Antiquit. Hiſpal. l. 3. cap. 29.

Aurelia porta Urbis Romæ, &c. Aurelia loci, &c.] potius provinciæ ſive regionis circa viam Aureliam, ut *Valeria* & *Flaminia* regiones à vijs publicis dictæ.

* AVRELIAE montes alicubi circa Vrbem, in quos Boethius ſe feceſſiſſe ſcribit ſtatim in princip. Comment. in Porphyrij Εἰσαγωγήν. Suidæ.

* Ἀβελία χῶρα. & S. Greg. Mag. dial. lib. 3. cap. 17. Quadrageſimum virum ſanctum in partibus *Aureliæ* vixiſſe ſcribit. Fuit circa viam Aureliam, ut Valeria & Æmilia & Flaminia item à vijs publicis.

Aureliopolis, &c.] & ſic in Notitia Epiſcopat. Leonis Imperatoris,

Auſtoriani.] Vide Petavium ad Cataſtaſin Syneſij pag. 89. *Auxuritani* Philoſtorgio lib. 11. pag. 154.

* AVSTRANVM territorium in fragmentis quæ Frontino de colonijs ſubjunguntis quæ Frontino de colonijs ſubjungun-
tur; puto eſſe *Oſtuni* civitatem Epiſcopatur; puto eſſe *Oſtuni* civitatem Epiſcopalem Apuliæ: ponitur enim inter Lupienſe & Barium; & eadem forte *Turni* ſive

Sturni

Sturni apud Ptolemæum, qui Calabriæ tribuit.

Autæi, &c. apud Agatarchidem] cap. 12. & in fine : male peruertit Agatarchidæ mentem.

Auus] est & Thesprotiæ fluv. apud Steph. v. Ἄβαναῖοι. ita enim Æ*nianes* illum accolentes appellati fuere, de quibus videndus Plutarchus in quæst. Græcis pag. 293. Sed ibi utrumque nomen corruptum; nam pro Αὔον legitur Ἀ'ραυάν, & deinde Παραβάν pro Παραυάν, sic quoque apud Arrianum lib. 1. Alex. pag. 8. Παρύαν pro Παραυαῖοι malè legitur.

Axabricenses Num Arabricenses legendum?] sine dubio. Vide Rodericum Carum.

Axatiara, &c.] leg. *Axati*, *Arva*. Vide Roder. Carum, qui in veteri lapide municipium Flavium Axatianum vocari docet lib. 3. de antiquit. Hispalens.

Axius, &c. Tzetza Bardare] Ita nunc Græce.

* AZALIORVM Civitas in lapide Firmano apud Manut. pag. 10. ad ripam Danubij.

B

* BABOSIS Africæ locus in Numidia circa

circa Auraſium montem Procop. 2. Vandalic.

Bacare, &c. fortè & *Barce* Iuſtini.

Bacatum] Βάκαθα legit Epiphan. hæreſ. 58. fuit Civitas Epiſcopalis. Alypius *Bacatenſis* Act. 1. Conc. Chalcedon.

Beſippo, &c.] *Puerto di S. Maria*] nunc vocari ait Roderic. Carus antiquit. Hiſpalenſium lib. 3. cap. 48.

Bajæ, &c. Bajas Siciliæ] Ita poſteriores Græci regnum Neapolitanum vocabant.

Bajanus, &c. Golfo di Napoli] Sic totus ſinus Surrentinus ſive Neapolitanus, olim *Crater* dictus, nunc appellatur, cujus pars ſive receſſus eſt hic Bajanus.

Balaneæ] Βαλανέας, ut Stephanus, Concil. Chalcedonen. & nummus Golzij.] *Syriæ II. eſt in Conciliorum opere*] ſcrib. in Concilio Chalced. Act. 1.

Balbenſes.] *Balba*, unde *Balbenſis* comitatus in Sabinorum & Æquicolarum ſive Ciculorum confinijs, cujus frequens mentio in donationibus antiquiſſimis Monaſterij Farfenſis. Fuit Territorij Furconenſis. Meminit ejuſdem Leo Oſtienſis Chron. Caſſin. lib. 2. c. 6. & l. 1. c. 36. ubi inter Comitatum Marſicanum & Furconem commemorat. In vita S. Dominici Fulginatis Italicè ſcripta in Pelignis ponitur:

&

& fuit ſanè ipſa Civitas, quæ olim *Corſinium* dicebatur.

Balnenſis, &c. ſub Conſtantino Magno] leg. *Pogonato*.

Baramatis] *Brampore* ſive *Barampur* nunc dici putat Hubertus in Itinerario Orientali.

Barbaleſo, &c.] idem ſine dubio cum ſequenti.

Barbaliſſus, &c.] Euphratenſis regionis Caſtellum apud Procop. 2. ædific. Sed per ſimplex σ. Βαρβαλισὸς, eadem quæ paulo poſt.

Βαρβαεισὸς Ptolem. & Notit.

* BARBARICINI, Sardiniæ populi, quorum meminit Gregor. M. lib. 3. epiſt. 25. & epiſt. 27. & vetus Inſcriptio Prænest. Sex. Iulius Sex. F. Pol. Rufus evocatus Divi Auguſti præfectus 1. cohortis Corſorum & Civitatum Barbarici in Sardinia.

Barbariſſus] ſupra *Barbaliſſus*.

Barbeſola, &c. Barbeſul Melæ eſt] Codex vitiatus.

Barce] fortè *Bacare* Ptol. & *Burace* Arriano in Periplo.

Bardanius, &c. verſus Damaſcum] Sic Stephan. v. Δάμασκος, qui Βαρδήνην vocat. Hiſt. Miſcel. lib. 18. *Bardanenſium* fluvium appellat, ubi in Græco Theophanis le-

legi puto Βαρσανήσιον. more ejus sæculi ficto vocabulo, ut A' Βαρνήσιος, aliaque.

Barnæ] *Barna* sedes Episcopalis, quæ & *Tiberiopolis* civitas maritima Thraciæ ad Pontum Euxinum D. m. p. à Constantinopoli, ut retulit mihi vir doctus, qui ibi aliquandiu vixerat. Vide *Odissos* & *Tiberiopolis*.

Bartinisienſis] leg. *Bartimisienſis*.

Barygasa] est *Baroce*, unde olim *Barygazenus* sinus, qui nunc *Golfo di Cambaja*.

Basilippum] leg. *Basilippo*. Roder. Carus erudito opere de antiq. Hispal. lib. 3. cap. 48. *Cantillanam* nunc vocari docet, & omnino diversum à *Bæsippone* Plinij ostendit.

Batha] Βαθὰ videtur Epiphanij in confess. veræ fid. pag. 1093. ubi superstitiosa Ægypti sacra recenset.

Batiæ, &c. hanc Βιτίαν ex Theopompo vocat Harpocration. v. Ελάτεια.

Batina, &c. vicinam esse Venusinæ civitati] ubi nunc *S. Maria di Banza*. [Mediæ urbs est Batina] quæ Βάταγα Isidoro Charac. ea regia fuit Mediæ, diversa ab *Ecbatanis* Metropoli.

Batmizomanes, &c. gens Arabica quædam] ad intimum sinum Arabicum.

Bebryci] leg. *Bebryces* Βέβρυκες.

Belicarum civitas Cassiano lib. 1. contra Nestorium.

Beli-

Belisensis] leg. *Belicensis*, &c. *Bellay* in Maxima Sequanorum.

Bella, *&c. Episcopatus*] Epiri. Ius Græc. Rom. pag. 233.

Belliadis] Βελλίδος pro Βουλίδος [*Episcopi Philici*] leg. *Felicis*. Idem cum sequenti.

Bellidenses, *&c. Episcopatum Felicem agnoscit Conc. Chalc.*] scribend. Ephesinum. Vide infra v. *Bullis*.

Bellonæ, *&c. Mons*, *&c. ex coll. Carth.*] & Tertulliano lib. de pallio. Vide Patavium ad Iulianum pag. 282.

Bena, *&c. Cretæ opp.*] hinc forte ΚΕΡΑΙΤΑΝ in veteri nummo Hier. de Grandis.

Beregaba, *&c.*] *Veregaba* Hist. Miscel. lib. 22. infra h. v. videntur fuisse in Hæmo monte inter Thraciam & Bulgariam.

Bergine, *&c.*] puto eandem esse cum *Vrgeno* vel *Ernagino*.

Bergusia, *&c. Bargusios populos habent*] Polyb. lib. 3. p. 189. & ex eo Livius.

Berrhoea, *&c. Hodie Aleppo: mihi auctores sunt*, *&c. Cedrenus*] Nicephorus Callistus lib. 14. cap. 39. & Gyllius, &c. [*Boor Leonclavio*] Hoc plane falsum, ut affirmavit mihi Critopulus Berœensis, Turci vocant *Carra veria* hoc est *Nigra Beræa*; quia talis procul adspicientibus apparet ob densas silvas, quæ sunt circa urbem.

Bessi,

Beſſi, &c.] In veteri inſcriptione apud Capacium pag. 331. AVR. ABITVS. NAT. BESSVS. NATVS. REG. SERDICA. VICO. MAGAN.

Beterrarum] BHTHPPATΩN. Nummus ab Illuſtriſſimo Peireſcio ad me miſſus oſtendit Plinij lectionem veram eſſe, nec ſollicitandam, & olim Βήτηρρα verum fuiſſe civitatis nomen, pro quo Stephan. Βήταρρα habet: nam *Bliteræ* omnino corruptum eſt & Λ loco A male ſubſtitutum: antiquæ notitiæ Galliarum BETERRENSIVM civitas. [An Bliterarum legend.] hoc potius mutandum ad illum modum.

Biblis] Hinc Βίβλινα regio Herodot. lib. 1. ubi Βιβλινίη legitur.

Bibractæ, &c. Beaulne] falſum. [*Bibracte & Auguſtod. unum & eumdem eſſe locum, &c.*] hoc erudita diſſertatione aſſerit D. Thomas Auguſtodun.

Bidinæ] eſt Mæſiæ ſuperioris civitas, quam Græci hoc tempore etiam ſic appellant. Vide mox *Bitzine* Βίτζινα.

Bigerriones, &c. Pellitos cognominat] car. 12. Vide ibi Roſvveidum pag. 838.

Bilta, &c.] legendum *ab Hilta*.

Birbili.] in alia manuſcripta PATRONVS COLONIÆ BIRBILI. Videndum an

an Africæ.

Bithynia, &c. Myſiæ urbs eſt apud Suidam] Hoc falſum: nam Suidas ait *Myſiam* poſteà *Bithyniam* appellatam.

Bitzine] eadem quæ ſupra *Bidine*.

Bizus, &c. Bizona] in Tabula Peuting. corrupte *Bibone*.

* BLACTANA videtur loci nomen fortè in Hiſpania, cujus meminit inſcriptio Tarraconenſis, apud Gruter. fol. 556. 3. & apud Guther. de Iure M. pag. 292.

Blanda, &c. at Lucanis adſcribit Beluedere] Rectè, nam x. mil. paſſ. diſtabat Buxento. Veſtigia ejus maxima apparent ad portum Sapri.

Bliteræ, &c. Bætarrus] Βαιταῤῥῶν] ſcrib. *Bætarra* Βαιταῤῥα· Vide *Bæterræ*.

Boas, &c. Vide Boæ et Phaſis] eſt etiam Colchidis fluvius de quo v. *Acampſis* & *Phaſis*, cum utraque enim communem facit Procop. 2. Perſ. & 3. Goth. ſibi ipſi non conſtans.

Bodincomagum, &c. Bondincomagus eſt in vet. inſc. Romæ] apud Manucium pag. 60.

* BOLDINIA. Videtur locus prope Philippos Macedoniæ in veteri inſcriptione Reatin. Manuc. pag. 70.

Bolorum, &c. ex vetuſta inſcrip.] ex lapide Firmano apud Manuc. ex Ligorio

an

an pro Boiorum .] non puto . Vicina enim & conjuncta *Azaliorum* civitati . Vide ſupra h. v.

Bomarei , &c.] ſed ms. *Comaræ* legit.

Bopus , &c. Agatarchides.] apud Photium cap. 9.

* BORISSVS pagus Cappadociæ ſecundæ . Philoſtorgij Scriptoris Hiſt. Eccleſiaſticæ patria , ut ipſe refert in excerptis lib. 9. cap. 9.

* BORIVS PORTVS, Βόρ(ῳ λιμὴν Tenedi Inſ. Arrian. l. 2. Alex. p. 30. eſt prope ipſum oppidum, ut ex narratione & tabulis nauticis apparet .

Boriſa] ſcrib. *Boriza* Βορυζὰ .

Boryſthenes , &c. Helleſpontium etiam, &c.] falſum . *Helleſpontus* , ante *Hellen* vocabatur , non contra .

Boſphorus , &c. vel ad Mœotidem paludem] Μεζὰ λίμνλω ait Procopius , hoc eſt , poſt vel extra paludem , erat enim extra anguſtias Panticapes ad Pontum Euxinum ſita in ſinu Cimmerio .

Botrus] leg. *Botrys* in Notitijs manuſcriptis Epiſcopatuum, ſcribitur etiam Βοτρυὼν unde Concil. Chalcedon. act. 6. Porphyrius Βοτρυῶν(& Epiſcopus .

Bottia , &c.] Βοττικὴ Thucyd. lib. 1. p. 42. [*ſunt quoque Thraciæ populi*] circa He-

brum fluv. [*ſed ijdem cum ſuperioribus*] falſum.

Brachmanes, &c. videntur Bramini hodie] non dubitandum, nam mores rituſque conveniunt.

Bradam] eſt *Bradanus* fluvius Lucaniæ.

Brettanis, &c. Βρεττοτία] Βρεττία ſcribendum ex gentili iſthic ſatis apparet.

Brigecium, &c. Brivieſca Moletio] & P. Ligorio.

Brileſſus] Apollonij Schol. pag. 11. Βελιασὸν vocat ex Simonide.

Briſa.] In notitia Epiſcoporum Βρήσου ſcribitur.

Brygi] Illyrica gens Scymno v. 433. ſupra Enchelios & Epidamnum in mediterraneis, ſed ſcio veteres ferme omnes lõgius hoc loco Macedoniam producere.

Brysis, &c.] Balſamon in Can. pag. 723.

Bubaſtus, &c. Caſtra Iudæorum] Caſtrum ab Onia Iudæorum Pontifice apud Bubaſtin Agriam vna cum templo extructum refert Ioſephus bell. Iudaic. lib. 7. c. 30.

Bucaras, &c. Suidæ] Vide v. Τεναῆη.

Buchetium, &c. forte idem cum Bucheta] *plane idem Harpocrationi.*

Budruntus, alij legunt Butuntus.] In nummo

mo veteri Fr. Gottofredi BYTONTINΩN circa ſpicam tritici legitur.

Buges, &c. Butes] ſic ms. levis differentia ex affinitate T. & Γ.

Burgaon, &c. Tingin. habet, &c.] multiplex hallucinatio. *Tigiſin* Procopius, non *Tingin* vocat; & in Numidia, non in Byzacio collocat prope Auraſium montem, non prope Burgaonem, non bene expendit locum Procopij, &c. De Auraſio monte loquitur Procopius.

Burgus Thracica regio] ſcribend. Mæſiæ inferioris, prope quem *[* Securiſca. *]* Non intellexit verba Procopij. Hæc infra ad vocem *Securiſca* transferenda. *[et lib. Notit. in Mœſia 2.]* & Tabula Peutingeriana.

* BVRRANVS LACVS in veteri donat. vocatur *lacus S. Praxedis* ad viam Prænestinam, & apud Baron. ad. annum C. 11. *Gabis ad lacum Burranum*; unde apparet *Gabios*, ubi nunc *Caſtiglione ad lacum S. Praxedis*.

* BVSTA GALLICA Locus media in urbe Roma teſte Livio lib. 22. & lib. 5. fuit etiam Vmbriæ locus ad viam Flaminiam *Buſta Gallorum* dictus, vulgo uunc *Boſta*, aut *Baſta* appellatur. Vide Cluver. Ital. Ant. lib. 2. pag. 615.

Buthia, &c. Item fluv. quoque] Confundit loca Stephani, quæ non intellexit.

Buthrotorum. &c. Coloniam vocat Plin.] & sic nummus Augusti apud M. Ducem in cujus aversa Pons ille M. Pedum Acherontis Plinio memoratus. [*Novito vocatur hodie* ab altera urbis parte versus *Zephyrum Promontor.* qui nunc vulgo *Bucorta* adhuc appellatur, ad cujus ostium est Turris *Pagliapli*.

Byzani .] leg. Βυζανὶ [*Bizane*] Βυζανὶ [Procopio] male interpretatur Procopij locum; nam Iustinianus neglectis *Byzanis* ob insalubritatem, novam civitatem Iustinianopolim alibi condidit.

C

* CABA] oppidum Bœticæ, unde in veteri marmore apud Rodericum Carum RESP. CABENSIVM lib. 3. antiq. Hispal. cap. 64. Locus hodie vocatur *Peñas Rubias*.

Cabellionum] leg. *Cabellion.* Colonia] Cabellion.

* CABERINA locus aut prædium Cappadociæ, cujus meminit Gregor. Nazianzen. epist. 233.

Cademoth.] postea *Cormos* dictus, Sedes

seu

seu habitatio principis Assassinorum, teste Benjamin Tudulensi, Cormos autem omnino Ptol. κόσμος. est.

Cadi, &c. Gentile apud Steph. Cadeni] ubi Καδηλωοὶ legendum, nam ΚΑΔΟΗΝΩΝ nummus extat apud M. Ducem, & Tristanus similem profert, sed vna litera male mutata ΚΑΛΟΗΝΩΝ legit.

Cædicius campus circa Vestinos] scribe Vescinos.

Cæligia Ptolem.] sed Veteres Interpretes & mss. Pal. non agnoscunt: legunt enim transpositis vocibus Καδήσιοι καὶ Γῆλοι.

Cænina] in veteri inscriptione apud Capacium pag. 354. *Sacerdos Cæninensis*.

Cænis, &c. à Stephano Cænisium] Stephanus Canusium eo loco intelligit.

Cæptiema] est in summo Apennino, qua ex valle Porciferæ transitur in vallem Lemuris circa viam Posthumiam.

Cæsarea, &c. Mauritaniæ urbis] *Alcaisar*, sive *Alger* nunc dicitur.

Calabria, &c. M. Cato in orig. &c.] male intellexit: nam saltus ille *Carminianensis* fuit in provincia *Calabriæ*, non ipsa Calabria. Vide infra *Carminianum*.

Calaguris, &c. Calaguris Nascica] *Calaguris Iulia Nasica* vocatur à Ioan. Franc. Andrea lib. de patria S. Laurentij, & vulgo

nunc *Loharre* dicitur,4. leucis ab Oſca.

Calauria , &c. Siparenum] *Tiparenum* Plinio.

Calenſibus Emanici , &c.] Roder. Carus antiq. Hiſpal. lib. 3. cap. 70. putat nunc *Calez* dici.

Calenum , &c. Carinula , &c. an idem cum Cales .] male. Vide Ferrar.

Cullas] vide infra *Scalas veteres .*

Callet , &c.]*Cata* hodie dicitur teſte Rod. Caro lib. 3. antiq. Hiſp. c. 70.

Callipidæ] Strabo quoque eoſdem commemorat lib. 12. pag. 550. ſed Interpretes inde Scriptoris nomen faciunt inſigni errore.

Calpurniana .] *Calpurnianus vicus*] Neapoli in veteri lapide apud Capaccium pag. 326.

Calydon , &c, Aiton dici tradit Kyriacus Ancon.] Idem affirmat Franc. Sangallus in opere antiquitatum mss. qui in edito monte ſitum ſcribit 3. m. p. à ſinu Corinthiaco remotum.

Camara] corrupte apud Melam.

* CAMBADENE. Iſidor. Charac. pars Mediæ, quæ *Cabandene* Ptolemæo, qui eam Suſianæ tribuit.

Camerienſes , etc.] ſunt *Camirenſes .*

Campana via .] *i. e. Capena.*

Can-

Campania Felix] in fine. *Campaniacum* prædium in Pictavienſi territorio Greg. VII. ep. 73.

Campi Macri, &c. Valle di Montirone, etc. Lean. Alberto] & Pyrrho Ligorio.

* CANAMA. Hiſpalenſis conventus, oppidum Plinio in editione Gelen. quod à Dalecampio omiſſum. Vnde *Lintrarij Canamenſes* in veteri lapide. Hujus loci cognitionem debemus Roderico Caro lib. 3. antiq. Hiſpal. cap. 8. In alio lapide *municipium Flavium Canamenſe*, hodie *Villa nueva del Rio*.

Candari, &c. Gandari Plinio, &c.] & ſic Melæ mſs. hoc loco per G.

Canatha] Κανάθα Concil. Chalced. act. 1. ubi ſub Philadelphię Metropoli poni videtur, quod cum Ptolemæo congruit, qui Philadelphiæ proximè ſubjungit.

Candavia] Καυδάμια ſcribitur apud Malchum in excerpt. leg. pag. 85. ubi ſine dubio Καυδάβια legendum, unde apparet non procul à Lygnido montem illum abfuiſſe.

* CANDIDA MASSA locus Africæ de quo Prudentius in Martyr. S. Cypriani.

Caninefates] In veteri inſcriptione reperta an. 1632. AVRELIO natione CANONEFAS.

Canopica] *Canopiſſæ* Numidiæ civit. Ptolemæo infra v. *Caviopita*.

Canopus,] verſus finem [unum ſuburbiorum Conſtantinopolis] leg. Alexandriæ. Vide infra hoc v.

* CANOTHA Civitas Epiſcop. Arabiæ ſub Boſtrenſi Metropoli Hierocli & Act. I. Concil. Chalcedon. veteri Latino interpreti *Canothana* civitas.

Canthele] κανθήλια ὄρη ἐν Βιθυνίας Heſich.

Canthi, etc. Saronitica] Hanc vocem apud Plutarchum corruptam eſſe non dubito; forte Σαραγγιτικὴ legendum non Σάραγγα Indiæ regio circa Oſtia Indi, de qua infra.

Capena, etc. Canapina hodie dici, &c.] *falſum*.

Caper] eſt circa Laodicen, teſte Ioan. Cinnamo de Conſtantinop. lib. I.

Capionis] P. Melæ Geryonis monumentum, quo loco meus mss. *Cepionis* legit.

Capitolias, &c. an inde Capitullenſes ?] haud dubiè, ſed legendum *Capitolienſes*.

Caprariа, etc. hodie Cabrera. Inſula Africæ] Hoc falſum, nam *Caprarium* Tyrrheni maris intelligit.

* CAPRALIS locus Cappadociæ puto apud Baſil. M. epiſt. 233.

Ca-

Capreolum, etc. iuxta Gavis oppidum] *Gabij* in via erant Prænestina.

Caprulæ] Caprensis Episcopus vocatur in epist. 16. Ioannis VIII. vulgo. *Caorte*.

Carava, etc. Gualdajara] & sic Ioan. Franciſc. Andreas, & Pyrr. Ligor. qui in nummo Gaij Caligulæ legit MVNIC. CARAC.

Caranna, etc.] an eadem cum CARINA. infr.

* CARBALAE, loci nomen in Cappadocia videtur apud Gregor. Nazianz. epist. 196.

Carbania, etc. nunc *Cerboli* dicitur.

Carbi] Κάρβαι Agatarchidi cap. 49.

Cardiæ] ubi olim Succorum claustra.

* CARDIAEI Καρδιῆς. Inter hos & Armenos nascitur Tigris fluvius Epiphan. Ancorato cap. 58. sunt *Cordyæi* & *Gordiæi* aliorum.

* CAREIAE locus in via Claudia XV. mp. ab urbe Itinerario Antonini, & Tab. Peuting. & Frontino de Aquæduct. nunc *Gadera* inter Stortam & Braccianum.

Carinæ] Κάρινα regio Mediæ ad Zagrum montem Isidoro Characeno. *Carinensem* Ecclesiam desertam Regiensi jungit Greg. M. lib. 5. epist. 9. [fortè Carima Ptol.] & *Carana* Strabonis & Stephani.

Car-

Carmina] Carminianum, locus fuit Calabriæ, unde [Carminianenſis ſaltus] Notit. Imp.

Carmon κάρμον] leg. *Carmo κάρμω*, &c. [Straboni] & nummis antiquis vulgo adhuc *Carmona*. Vide Roderic. Carum antiq. Hiſp. l. 3. [*Carmonia*, *&c. Carmona* forte hodie] dele forte.

Carnicum, *&c. Zuglio Simlero*] veriſſimum.

Carnutes] Bononiæ lapis. vet. D. M. P. V. VETTIO PERENNI CARNVTÆNO EX PROVINCIA LVGDVNENSI DVVMVIRALI SACERDOTI. ET.

* CARPANA villa ſub Rhegienſi Epiſcopo Ioan. VIII. epiſt. 232. ejus reſtitutionem deinde Ticinenſi Epiſcopo committit.

Carſeæ, *&c.*] Polyb. pag. 420.

Carſeolani, *&c. Arceolo*, *&c.*] *Città Carentia* nunc dicitur, cujus veſtigia maxima etiam hodie apparent in colle quodam, qui umbilicus eſt planitiei Carſeolanæ juxta viam Valeriam, uno circiter milliari ultra diverſorium vulgo dictum *del Cavagliere*. Nomen autem migravit in proximum vicum *Celle* antea dictum, qui nunc *Carſoli* vulgò appellatur.

Carteia, *&c. à Cluſio nominatur Cartagena*]

&

& ſic Roder. Carus.

Carula, &c.] Roder. Carus antiq. Hiſpal. lib. 3. c. 49. credit vocari nunc *Villa nueva*, vel non longe ab eo loco abfuiſſe.

Caſperia, &c. Caſperula] ſine dubio à Caſpiro, de quo vide Steph.

Caſſandrea, &c. Coloniam factam, &c.] Id teſtatur nummus Nervæ apud M. Ducem, in quo circa caput Iovis Ammonis COL. IVL. AVG. CASSANDRENS.

Caſſinatium] ſcrib. *Caſinatium*, *Caſinum* & cum ſimplici ſ.

Caſſiope] *Caſſoppe* rectius dicitur Stephano, regio ejus *Caſſopia* Demoſtheni de Hellocenſ. quæ Harpocrationi male Καασιεωτία voce Elatia.

Caſtabala] Καςάβαλα Κιλικίας ἡ νῦν Μάμιςα Append. Conſtant. Porphyr.

* CASTELLVM RIPENSE municipium ad Metaurum fluv. ubi nunc *Caſtroduranie* ex veteri ejus loci inſcriptione.

* CASTRA MARTIS, Daciæ Ripenſis caſtellum Procop. 4. ædific. Iuſt. ubi malè νῦν ςρατῶτις editur. Fuit olim civitas Epiſcopalis. Vide infra *Martis Caſtra*.

Caſtrum κάςρον] fuit colonia Romanorum. Circa finem [Caſtrum novum] in veteri inſcriptione apud Manuc. PATRONVS CASTRI NÆVESIVM. pag. 155.

155. [*Aſtrum ſive Aſtura*] fallitur omnino. Vide Cluverium in deſcriptione Latij.

Caſtulo, &c. Caſlona, la veja] ſic Rodericus Carus.

Caſuentum, &c. Leander] & Ligorius *Vaſento* [Barentinus amnis] confundit duos fluvios ὁμωνύμους. Nam *Baſentius* vel *Baſentinus* hic prope Conſentiam fluit, & mox *Crathi* conjungitur, hic in Brutijs eſt, alter in Lucania.

Cathelaune, &c. ubi Attila cæſus fuit] hæc veriſſima ſententia, ut erudita diſſertatione oſtendit Grangerius Pariſijs in 8.

Catilli, &c.] *Catillum* montem accipit Ligorius, qui ſub Tibure, in quo S. *Angeli* oppidum quod *Capocci* cognominatur.

Caucaci in Obydines] ὁ Βοδῖνης Epiſcopus in alijs Notitijs; locus etiam nunc *Bodine* ad Iſtrum in Bulgaria, ſive Dacia Ripenſe.

Caucaſiæ, etc. nunc ibi urbs quæ Derbent] veriſſimum. Vide Itinerarium Adami Olearij.

Caudi Cauponæ] *Caudi, &c.* [*Claudi legit* [*Lipſij* commentator] ſed male.

Caudinæ fauces, &c. Caudinæ Furculæ] Sic apud Plutarch. in parall. minor. pag. 306. φορκέλας Καυδίνας leg. ubi nunc φορκέντλας Κλαυδίνας interp. Furcas candidas vocat, puto errore Typogr.

Caviopitavorenſis, &c.] *Caniopitanus* in edit.

edit. Pith. *Canopiſſa* civitas Ptol. ſupra ſuo loco ponenda.

Caunos inſula, &c.] delend.

Cauraſiæ gens Bætica, &c.] delend.

* CAVRA, SIARVM, duo diſtincta oppida. Vide eruditum libellum Roderici Cari de antiquit. Vtreræ ſive Bætis & antiq. Hiſpal. lib. 3. cap. 20. *Caura* nunc *Coria* haud procul Hiſpali.

Cedias, &c. Cedianorum mem. vet. inſcr.] apud Gruterum 448. num. 4.

* CELBIANVM. Vide *Cilbanus*.

Celeζene, &c. apud Euſth. κήτζενη] ſic Conſtantin. Prophyrog. Ioannes Κήτσιωνος Epiſcopus ſubſcripſit Synodicæ Gennadij Patriar. Conſtant. Tom. 1. Iur. Græc. Rom.

Celia, &c. Cilio Leandro] *Ceglia* adhuc vulgo vocatur 4. aut 5. miliaribus ſupra Barium in mediterraneis, per quam etiam hodie via militaris ducit.

Celia à Gargano, &c.] eſt *Celia* oppidum de quo ſupra.

* CELLAS CVPIAS Corſicæ locus, cujus meminit Gregorius M. lib. 5. epiſt. 22.

* CELLVLA S. VALENTINI] in Sabinis poſita Ioann. PP. VIII. epiſt. 193.

Celſa, &c. Xelſa hodie dici] Sic Ioannes Quiñones, qui doctam ſcripſit diſſertationem de Campana Vilillenſi, quæ pro-

pria

pria ſponte ſonat, & Ioannes Franc. Andreas lib. de patria S. Laurentij cap. 1. qui *Coloniam Iuliam Celſam* in veteri nummo appellari, & nunc *Gelſa* dici ſcribit.

* CELSITA. Hiſpalenſis conuentus oppidum in Hiſpania Plinio, apud quem male *Celtica* ſcribitur. De hoc vide Rodericum Carum lib. 3. antiq. Hiſpal. cap. 3. qui circa Pennafler fuiſſe exiſtimat.

Celtica] lege *Celſita* de qua ſupra.

Celtici, &c. hodie Alcudiam habitant] Mela ponit eos in angulo Callaicæ, qui eſt à Compoſtella ad Caput finis terræ.

Cempſi, &c. Horum mem. Avienus] Sed ad oceanum eos ponit.

* CENTENARIA locus Epiſcopalis Numidiæ in Notit. Africæ Victoris.

Centon.] Κίωνσσι legunt Græci Procopij. Latinis puto *Quintum* fuiſſe. *Triſmacariam* autem librarij imperiti finxere ex *Tranſmariſca*. Vide infra hoc. v.

* CEPIONIS MONVMENTVM Melæ mss. quæ Straboni Καπίωνος πύργος ad oſtium Bætis nunc *Chipiona*.

Ceraſte] Puto eoſdem eſſe cum Corniculis, & ſic legend.

Cercetius, &c. quem Hermolaus, &c. Ampelon vocari ait.] Sed errat omnino: nam Strabo manifeſte diſtinguit. Xilandri quo-

que

que verſio textui non congruit, &c. Nicander in Alexiph. pag. 139. fluvium quoque hoc nomine ad ipſum montem Cercetium agnoſcere videtur, ſed omnino legendum ὄχθις pro ὄχθας.

Cercina, &c. κερκίνη mons] ad *Cercinium*, puto & *Cercinitem* lacum.

* CERETAPA Hierocli Phrygiæ Capatianæ civitas unde [*Ceretapeorum, &c.*] In actis Concil. Epheſini & Chalced. Κερετάπα paſſim ſcribitur. Latinus quoque interpres Concil. Chalced. act. 1. *Ceretapes* habet in ms. antiquiſſimo. Sic nummus Franc. Gotofredi Antonini Pij ΚΕΡΕΤΑΠΕΩΝ circa Minervam. Et alius Equitis Puteani Commodi circa Herculem; & in alio Commodi apud Franc. Gotofredum circa deam Phrygiam legitur ΔΙΟΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΚΕΡΕΤΑΠΕΩΝ, unde binominem fuiſſe apparet.

Cerinthus, &c. Plin. & Theophr.] & Apollonio Rhod. l. 1. v. 79.

Cerſona, &c. provinciæ Lyciæ] leg. Scythiæ.

Cerynia, &c. ex quo Cerynites] ita *Cerynitis cerva* apud Servium [*Eſt*.

Ceraunia Strabonis] Κεραύνιος πάγος Call. Vide Salmaſ. ad Solinum pag. 139.

Ceſata] *ubi nunc Hita conſpicitur*] ſic Ioan. Fran-

Franciſc. Andreas lib. de patria S. Laurentij.

Ceſſero] vide Menardum ad Concordiam Regul. S. Benedict. pag. 48. &c. *Sed S. Hubert. Varrerio*] *Sainct Tibery*, à S. Viberio ibidem paſſo cum ſocijs, teſte Vſuardo & Adone.

Ceſtrus] Κέστρα κέστρων ibidem textus Græcus habet, in alia Notitia Κεστρᾶς, ἀδ. In ſubſcript. Seldeni ad Eutych. pag. 127. malè Κυπράδων, pro Κεστρήδων. [*Vide Oeſtrus*] ea huc transferenda.

Cetaria] *Cetaria Domitiana* itinerario Antonini, Villa gentis Domitiæ cum vivario, cujus veſtigia maxima nunc apparent ad emiſſarium lacus Orbitellenſis ſub monte Argentario, & hoc nomine totum illum lacum comprehendi exiſtimo, ſive Stagnum Orbitellenſe, quæ λιμνοθάλασσα Straboni in Coſæ deſcriptione.

Cheretaporum, &c. An Κερεταπτέων] Sic Notitia Hieroclis Κερεζάπα legit.

Chalac.] Χάλα civitas Chalonitidis regionis Aſſyriæ in confinio Mediæ apud Iſidorum Characenum.

Chaldia, &c.] *Cedrenus locum quemdam Calabriæ ſic vocat*] errore interpretis pag. 538.

Chalonitis, &c. Plinio] & ſic Iſidoro Cha-

Characeno, ſed ille ſeptentrionem verſus ſupra Apolloniatim ponere videtur. *Chala* quoque civitatem in ea commemorat, unde regioni nomen.

* CHANZIT cluſura prope Melitenen. Conſtant. Porphyrog. admin. Imperij.

Charadrus.] verſus finem. *Apud Strabonem vide Nemea.*]Fuit deinde civitas Epiſcopalis, ut videre eſt Concil. Calced. act. 6.

Charandei, &c. Orpheus] verſu 751. & v. 1045.

Chazaria] Agazziri Iornandi, qui Bulgaris vicinos ſtatuit; ſed de his prolixè & perſpicuè docet Conſtant. Porphyr. principio libri de adminiſtratione Imperij.

Cheræus Proc. 6. ædif. 4.] meminit ejuſdem Nicandri Schol. pag. 29. qui Schediæ vicinum eſſe ait.

Cherroneſus, &c. An pro Coronite Corinthus legendum?] ſed ipſe Steph. paulo ante ſeorſim Χερρόνησον τὴν πρὸς τῇ Κορίνθῳ recenſet.

Cherſo, &c. Cherſoneus forte] Nihil certius, & ſic apud Melam pro *Cherroneſus* ms. *Cerone* legunt, puto pro *Cherſon*.

Cherſoneſus, &c. Cherroneſus apud Suidam videtur] errat: hæc *Cherroneſus* eſt ad Atho

montem, in ea Macedoniæ parte, quæ olim Thraciæ nomine cenſebatur. Inferius [*Calè de S. Paulo*] falſum: eſt enim in oppoſita Inſulæ parte in excelſo & undique prærupto promontorio.

* CHINDINI, gens Saracenorum clariſſima vicinis Maadenis. Nonnoſus apud Photium bibl. c. 111.

Chlarhilorum] Clahilorum in prima editione legitur. In Genevenſi *Clabitorum*.

Chliat] Chliatæ gens Scythica.

Chlorus] ὁ Χλωρὸς Τυρὸς loci nomen apud Lyſiam orat. 22. ubi Platæenſes certo menſis die convenire ſolebant, neſcio an ipſa urbe Athenienſi, an in agro Attico, vel Platæenſi fuerit. Credam tamen potius Athenis fuiſſe, vel prope urbem. Mox eundem locum Τυρὸν ſimpliciter vocat.

Choara, &c. Chorene] ſic Iſidorus Characenus.

Choatras, &c. in Græco codice Chaboras] Sed Palat. mss. Χοάθρας. Sed apud Ptol. eodem cap. 2. l. 6. idem montis nomen corrigendum, ubi male cum præcedenti conjunctione confunditur, legendum enim ibi Τὰ ὄρη Χοάθρα ὄρεα, ut de parte Mediæ intelligatur.

Chœrades, &c. Stephano Moſynœcorum

urbs

urbs est] & Scylaci.

Chomari, &c. circa Margianam, vel Bactrianam potius] Vtrumque verum: nam Ptolemæus in ultimis Bactrianorum finibus ponit, versus Margianam.

Choraſmia, &c. Choraſmi] sic etiam Cedreno dicuntur, qui Persidis regno subditos fuisse notat pag. 633. sic regionem vocat, quæ alijs χοραζεὶ, ut & nunc vulgo. [& χωραζμῆοι] sunt omnino diversi.

* CHRISTOPOLIS Asiæ civitas Episcopalis, aliàs Dioshieron dicta in subscript. VI. Synodi.

* CHRISTOPOLIS insula Larienſis sive Larij (forte quæ nunc *Isola Comacina* dicitur) lacus circa annum Christi 600. quod à Monachis coleretur, ut apparet ex epistolis Francicis Tom. 1. script. Franc. pag. 852. habebat illa Monasterium, quod Romanum dicebatur.

Chylinæorum, &c.] Ipse Golzius in Asia minore ponit.

* CIBALENSIS CAMPVS in excerptis Ammiani Mar. pag. 473. de *Cibali* autem vide Dion. Gotifred. ad Philostorgium pag. 351.

Cichyrus, &c. Ephyra, &c. auctor Strabo] & Pind. Schol. Nem. 7. pag. 389.

Cicianthi.] ms. *Cisianthi*, quod rectius

vide infra.

Cilbanus, &c.] *Celbianum* habet Miſcel. l. 22.

Cinithij.] Apud Ptol. eſt κίνυφ@ πόλις ἰαβολαὶ hinc ex genitivo rectum caſum facit Ortelius, ut ſæpè aliàs. Ita tamen apud Helychium & Suidam, ubi tamen Κίνυφ@ non Κινύφι@ legendum, niſi gentile pro proprio poſitum quis velit.

Cinuphus, &c.] Hinc Cinyphiæ canes, Gratio.

Cios, &c. Myſiæ videtur regionis] de qua Steph. v. Ἄῖσγυεα.

ΚΙΑΝΩΝ in nummo Caracallæ circa duos hircos ad craterem magnum erectos Franc. Gotifr. In alio ſupra triremem ΚΙΑΝΩΝ, & in averſa circa caput Herculis ΤΟΝ ΚΤΙΣΤΗΝ.

Cirbiæum] Heſych. & *Cyrbæos* puto Steph. à *Cyrba* oppido Pamphyliæ.

Cirphis, &c. ap. Ant. Liber. mons] Ita in argumento Græco Pythiorum Pindari.

Cirra, etc.] Κίρρος ὄρ@ Heſych.

Cirta, etc. Sittianorum Coloniam appellat (Mela)] ut & Plinius.

* CISIANTHI. Scythica gens Plinio, vulgo male *Cicianthi* legitur: hujus gentis nomen monſtroſe corruptum apud Melam: nam ubi nunc editur *Scythæ, Heniochi*

ms. codex legit Ciſſi Anthiachæ: unde eo loco legendum *Ciſianthi*, *Achæi*, exploſis correctorum ineptijs.

Ciſſa, &c. Ciſſenſis] *Baphij* [Hiſtriæ, &c.

* CISSI Epiſcopus ſub Cæſarea Cappadociæ in Notitia Leonis.

Cathariſtes] vide epiſtolam Zoſimi Pontif. Tom. 1. Concil. Gall. & notas P. Sirmondi pag. 595.

Civaro] *Ciuron* Caſtellum Sabaudiæ non procul ab Iſara fluvio. [Simlerus Solame] leg. *Solance*.

Civilitanum] adde *municipium*.

Cladeus κλαδεύς] Κλάδεως Apollonij Schol. pag. 35.

Claros, &c. Colophoniorum urbs eſt, &c.] Nicandro in fine Θηϊακῶν Κλάρος νίφοεσσα πολίχνη, qui ſe ibi natum & educatũ oſtendit, & in Gordani nummo apud Triſtanum tom. 2. pag. 538. circa Dianam Epheſiam ΚΟΛΟΦΟΝΙΩΝ ΚΛΑΡΙΩΝ legitur.

Claterna, &c. Pomponio] *Claternia* ms. optimi: hinc Λατέρνιοι Scylaci.

Claudiæ aquæ] diſtant ad Vrbe 38. m. p. ad viam Sublacenſem, & in fine [*Aurelia videtur nominari, etc.*] Figmentum Annij Viterb.

Claudiopolis, &c. Cithynidem, &c. appella-

tam ſcribit Dion, &c. Ego Malim, &c. Bithynidem legere .] Recte nam κ & β apud Græcos confunditur.

Clibanus, etc. ex eo ſcilicet] corrig. filices.

* CLIMACAE, Κλείμακες, locus Euboeæ Heſych.

* CLISMA v. *Clyſma*. quæ huc tranferenda.

Cliternum] P. Ligorius *Ciſternam* videtur interpretari, qui Nympham ſeu Nymphæum fontem haud procul à *Cliternia* naſci ait, quod haud probo. Nam Æquicolæ longe hinc diſtant, qui nunc *Cicoti*, quorum oppidum fuit *Cliternia*, & ſic idem Ligorius alibi in opere antiq.

Cliſma, etc. Liſmo Anton. eſt] Surita teſtatur in regio mss. legi *Cliſmo*, & ipſe *Clyſmo* edidit, &c. *Cliſma* eſt Tab. Peuting. & Philoſtorg. Hiſt. Eccleſ. lib. 4. c. 6. Hierocles quoque in ſua notitia ponit Κλύσμα Κάστρον,

Cnopus] lacus Bœotiæ per quem Iſmenus amnis fluit, & ſic ipſe fluvius dictus fuit teſte Schol. Nicandri pag. 49.

Coeti, etc.] Vide de his Procop. ex Arriano lib. 4. Gotthic.

Colcarrenorum, etc. mem. nummus] idem nummus eademque inſcriptio ex Goltzio corruptiſſime adducitur v. Nepr. Col. Ca-

re-

renorum qui hinc explicandus. In ipso autem nummo apud Franc. Gotifredum legitur MHTP. KOΛ. KAPPHNΩN.

Colchis, etc. Hanc Lazigim nominatam etc,] leg. Lazicam. [*Theod. Indig. Epiſc. in Lazigi*] ἐν τῇ Λαζικῇ.

Colobroſſus] v. infra *Coribraſſus*: [*Per A. in penult. ſcribit Conc. Chalc.*] & ms. Græci Ptolemæi.

Colonia, &c. Epheſ. Conc. meminit Coloniæ Δευτέρας] non intellexit ordinem verborum. Daniel ibidem vocatur Epiſcopus *Coloniæ Cappadociæ ſecundæ*; nam duæ erant Cappadociæ. Hierocles autem Armeniæ primæ eam accenſet.

Colophon] ΚΟΛΟΦΩΝΙΩΝ in nummo Macrini apud M. Ducem, exſertis literis.

Columen, &c. Puto Colonna hodie vocari.] falſum, *Columna* olim *Lavicum*.

Columna Regia] in fine [Dictam inſcriptionem, &c.] in dicta inſcriptione ad ſtatuam legitur: nam στήλη Græcis & columna & ſtatua.

Colura] Steph. ait eam fuiſſe πρὸς Πελιώλῳ, ubi facile eſſet reſcribere πρὸς Πυλιώλῳ, ſi conjectura hæc probabili aliquo argumento niteretur. Scylaci Κολχασα, eſt ad Pontum inter *Stephanen* & *Cimolin*. Idem no-

men corruptum est apud Melam ex interpolatione Her. Barbari: nam ubi nunc legitur. Tum *Cimolis* accolitur, legunt ms. Tum *Cimolis* & *Colliris*, pro quo legendum puto, & *Colusa* vel *Colura*, & ita forte apud Stephanum emendandum ἐκ Ἀρμόλεω, vel ἐκ σινώπεω.

Colyttus, &c. Hujus mem. quoque Lucian, etc. item Athenæus 8.] Plutarchus lib. de exil. pag. 604.

Comacula] Comaclum. Ioan. VIII. epist. 167.

Comana, etc. Marcellino Comiti villa est, Hierocli in Ponto Polemoniaco est, [*ad Irim fluv.*] *Tocatum* nunc esse videtur. [*Hujus etiam mem. Cæsar, Appian.*] Iustinianus nouell. 31. [*Idem Ptol.*] *cæterique* [*quam Cappadociæ cognominant.*] & sic Tab. Peuting. [*Eusthathius* ἐν τῷ *in Authenticis*] Orestiades in Cumano monte Cappadociæ habitantes habet Damascius de vita Isidori apud Photium, & circa finem. In nummo Alexandri Severi apud M. Ducem circa Lunum Deum KOMANEΩN.

Combe] puto legendum βόλβη: nam in mss. *x* & *υ* eodem ferme modo pinguntur tum ſ & *μ* præsertim in paulo antiquioribus κόſβη.

Combulteria, etc.] non multum Calatia di-

distat.

Cominium.] meminit Dionys. in excerptis pag. 534. &c. sita fuit haud longè à fontibus Fibieni.

Cominsena, &c. Camisena habet Strabo] & sic Isidorus Charac.

Comopolis] Κωμόπολις est vicus major oppidi instar, unde frustra proprium loci nomen facit.

Compitum, &c. quo coëunt via Latina et Lavicana] leg. Prænestina & Labicana.

* CONCOBAS locus Tab. itiner. inter Ecbatana & Hecatompolim. Fortè Κοίκοβας Isidori Charac. qui eam Mediæ superioris civitatem facit.

Consentia, etc. ad Barentinum amnem] *Basentinum* Iornand. & Paulus Diaconus.

Consilinum, etc.] est Cassano civitas Episcopalis Lucaniæ.

Contoporiæ] meminit Polyb. in excerptis lib. XVI. unde ejus situs perspicitur scilicet Mycenas versus in occasum hybernum. Vide notas Valesij ad eum locum pag. 15.

Contributa, vide Centrobrica] & *Iulia Contributa.*

Conuenæ Plin. et Strab.] & S. Hieronymo lib. contra Vigilant. principio. *Urbs Conuenarum* ejdem. *Cominges quondam dicebatur*] Ita adhuc hodie totus Episcopatus.

tus.

* CONVSA Κονσα *Gades* prius dictæ Hesych. male pro *Cotinusa*.

* CONTRIGVRI HVNI Menandro Protect. pag. 114.

Cophes, etc.] Κώφινα H. ad Meotin ponit Nicephor. CP. Compend. Hist. pag. 106. hic Cedreno Κωφης de quo infra hoc verbo. Vide Menandri Protect. excerpt. legat. pag. 109.

Cophos] Κωφὸς λιμὴν quasi *portus Surdus* circa Toronem Thraciæ. Vide Suidam. v. Κωφότερ@. τῆ Τοφωναίᾳ λιμέν@.

Coptos Κοπτὸς] Agatharchidi.

Cora, etc. inter Velitras & Senam] leg. Setiam.

Coracesium, &c. in Pamphylia] Sic & Hierocles *Coracisiorum* Episcopus subscripsit Concilio Ephesin.

Corbio, etc. nullum locum propiorem esse scribit Rossus quàm qui Soriano appellatur] Nugatur. Nam *Corbio* prope *Algidum* fuit. Itaque Rossus ille Æquos sive Æquanos cum Æquis Falisci confundit. Ego *Corbionem* fuisse existimo vel ubi nunc *Monte Fortino*, vel etiam ubi *Rocca Priora*.

Corcyra, &c. Hodie Corfu] Nomen habet ab oppido sive arce quæ Κορυφὼ apud Nicetam Choniatem lib. 3. ἀπὸ τ κορυφῆς puto:

puto: nam arcem habet munitiſſimam in edito montis vertice: & Lupus Protoſpata in Chronico ad annum 1081. Inſulam *Corifen* vocat. Nicetas autem dicto lib. 3. pag. 81. ἄκρῳ vocat, quod verticem montis iſthic ſignificat, non promontorium, ut vulgo vertunt, ſic paulo poſt de *Monembaſia*. Et ſic vertit pag. 85. Accuratiſſima autem hujus arcis deſcriptio extat ibidem pag. 87.

Cordulæ] Hujus *Cordulæ* frequens mentio fit in Martyrio SS. Abdon & Sennen: inde enim Decius eos Romam abduxiſſe ſcribitur: Item in Martyrio S. Polychronij apud Mombritium.

Coribraſſi] vide ſup. *Colobroſſus*.

Corinthus. Achaiæ urbs] neſcit *Achaiam*, *Peloponeſi* partem eſſe. [In medio Iſthmi Peloponeſiaci] Ideo θέθυρον καὶ θύραν *Peloponeſi* eam vocabant veteres, teſte Schol. Pindari & Bacchilides Πύλας. [Colonia Iulia, &c. apud Onuphrium] & Laus Iulia.

Corinthus in nummo Cæſaris apud Franciſcum Gotifredum.

Cornacum, &c. Lazius Karoſca] Verantius Karom.

Cornicli, &c. Corniculi] *Monte Gennaro*.

Cor-

Corpilli] apud Steph. quoque Κορωίλιι legend. Et Καρωιλικὴ ex Strabon. ubi nunc Κολπιδοὶ contra ordinem litterarum.

Corſinianum (*novum puto*)] ſine dubio; nam ita locus vocabatur antequam eum in civitatem Epiſcopalem erectum Pius II. de ſuo nomine *Pienzam* appellaret.

Corſura] eadem infra *Coßyra*.

Corticata] *Cortegana* hodie Roder. Caro. lib. 3. antiq. Hiſpal. cap. 80.

Corus, etc.] *Corum* Caſtellum Cappadociæ apud Conſtantin. Porphyr. 1. them.

Coſintum] Eſt haud dubie idem ſive locus, ſive fluvius cum *Coſſinito* Æliani.

Coſyrus, Inſula] cum ejuſdem nominis oppido [*juxta Selinuntem*] Siciliæ fluvium, delendaque ſunt verba [item vrbs & fluvius Siciliæ.] [Stephano] eadem cum Collyra.

Cotinum, &c. in Marcomannia videtur] potius in Cotinis in Quadorum & Sarmatarum confinio : nam locus monſtroſe corruptus, & pro καμῶν καὶ ααθῶν legendum Κυάδων καὶ Ζαρμάτων.

Cutriguri, Hunnica gens] *Cotragi* Nicephor. Patr. CP. in compend. Hiſtor. pag. 100.

Cotyæum] Cotyacum. In fine. Laziæ caſtellum hoc nomine habet Procop.

4. Gotth.

Crambe] In excerptis Nicol. Damasc. pag. 442. Κράμβη oppidi nomen, unde hæc Suidæ desumpta.

Cranium] Plutarch. lib. de exil. ut locum delitiosum ponit. [*Theophrast. 5. de causis Plantar.*] & Themistius Orat. 1.

Craso Κράσος vel ut mss. legunt Κράσσος civitas est Phrygiæ Capatianæ Hierocli in Synecdemo.

Crassopolis] Γράσσος Nicandri; ut puto, de qua infra h. v.

Crastus Siciliæ urbs Steph.] unde [*Epicharmus oriundus*] quod testatur & Suidas. [*Crastis Herodoti credo*] Quid si *Crathis* vicinus Sybari fl. inepta omnino conjectura, quæ Epicharmi Siculi patriam in Italiam transfert.

Crathis, &c. Crateis Plinio] Confundit duos fluvios *Crathin.* & *Crathæin*, quorum ille Sybarim alluebat; hic prope Syllam in ipsum Siculum fretum effunditur.

Cratia, &c. Gratia forte Porphyrog.] in Græco.

Cremera, &c. Κρεμέρα] *Cremeram* vero esse fluviolum, qui sub insula fluit & deinde conjungitur cum alio rivo, qui ultra primam portam influit in Tiberim.

Crestonia] eadem cum superiori.

Cro-

Crocotus, &c.] eſt *Crocius* Strabonis.

* Τὰς κρόκας, *Crocam* civitatem Albaniæ vocat Georg. Acropolita pag. 50.

Croinos, &c.] in Phrygia Capatiana.

Crymnos] leg. *Crymna*, forte eadem cum præcedenti.

Ctenus κλέν@.] leg. κλενᾶς..

Cuba] vel *Cubi*, χωρίον Cariæ apud Photium in vita Iſidori ex Damaſcio cod. 242.

Cucuſſus] *Cucuſos* alijs rectiùs. [*In finibus Imperij Rom. ſitam*] ſic quoque Antonini Itinerarium nonnulla ad eam itinera orientis finit. [*Vbi Ioan. Epiſc. &c.*] de hoc Chryſoſtomi exilio. Vide Georgium Alex. apud Photium Cod. 97.

Cuphe, &c. Euphram habet Diac. &c.] Inter Danubium & Danaprin eum collocant. Hunc fluvium Κώφινα vocat Niceph. Patr. CP. pag. 100.

Curcudalopaduſa] legend. Κόρκυρα, Λοπάδυσα.

* CVRIA, Epiri veteris civitas, cujus Epiſcop. S. Donatus, ut in ejus vita apud Mombritium.

Curobis, &c. Vide Curobitani] in vita S. Cypriani.

Cuſſa] Cuſſæi Κυσσαῖον ἔθνος, Plutarch. in vita Alexandri, qui alijs Coſſæi.

Cu-

Cuteletos, &c. mss. Eutheletos.

Cyaneus] puto esse eodem loco ubi Cycnus oppidum Plinio & Melæ.

Cylonij κυκλώνιοι]legend. *Cylonij κυλώνιοι*: erat factio quædam Civium Metapontinorum à Cylone auctore sic dicta. Porphyrius in vita Pythagoræ.

Cyno, &c. *non est Cynopolis*, &c.] Nescit hoc modo formari Ægyptiaca nomina, sic Λυκὼ pro *Lycopolis* apud Eunap. in vita Plotini.

Cynocephalæ, &c. *castellum*] Pagus erat. Vide Pindari vitam.

Cyssæum, &c.] In Bythinia, ut ex Modrena adjuncta apparet.

Cytæum, &c. *Tauricæ*] Hæc ad præcedentem vocem referenda sunt.

D

Dacia, &c. *Daces suo tempore Patzinacitas nuncup. scribit Suidas*, &c.] & Constantinus Porphyrogen. [*nos plura*, *etc.*] *nova Dacia* in excerptis Ammiani pag. 473.

Dadastana] Chronic. Alexandrin.

* DAGANES, gens vicina Colchis aut Armenis, ut videre est in excerptis Theophanis Byzantij apud Photium Cod. 64. ubi Sabiris junguntur.

Da-

Daguta, &c.] hinc Δαγουΐωνοι Constant. Porphyr. lib. 1. Them.

Daix δαΐξ] Λαΐιχ Mænandro Protect. in excerptis legat.

* DALITEMOS circa principium Rhodani commemorat Festus Avienus in ora maritima.

Dalmana] haud dubie est Δάλμιον Stephani, & sic ipse Ortelius conijcit infra v. Delminium.

Damastij ΔΑΜΑΣΤΙΝΩΝ legitur in nummo apud Cl. Menestrier.

Damatris Cedreno] pag. 642.

Damatrianos montes, &c. circa Thraciam] prope Melitenem potius.

Dandari] sunt Dardarij Plutarcho. Male apud Dionysium Perieg. *Dardani* pro *Dardares* scribitur. Sunt *Deradræ* vel *Daradræ* Ptolemæi & *Dardæ* Hecatæi apud Steph. Vide infra hoc. v.

Danūbium. Lanuvium legend. à quodam imperito, &c.] Imo ipse Stephanus similitudine literarum Λ & Δ deceptus fuit in antiquissimis Codicibus ejus sæculi.

Danubius, &c. Antiqua numismata Danuvius legunt] sic inscriptio Firmana PRÆF. RIPÆ. DANVVI.

Danuptia] Δαφνεσία Niceph. P. Constantinop. in Comp. Historiæ pag. 211. infra h. v.

Daph-

Daphnuſium] *Daphnuſia* Nic. P. CP. pag. 211. Danupſia Miſcellæ.

* DARAS. Caſtellum fuit ad Pontem in limite Barbarico, Cedreno pag. 366. Id Nicephorus P. CP. in compendio pag. 123. Δόρᾳ vocat in Gotthorum aut Cazacorum confinio,

Darcolomarum] nomen inepte confictum ex vitioſa lectione lapidis antiqui, ubi ſcribendum *Provinciæ Dac. Coloniarum Trajanarum*, vel potius *Coloniæ Trajanæ Sarmiz.*

Dardanis] Δαρδανίδα locum circa Heracleam habet Apollon. Schol. lib. 2. pag. 85. ex Androne Teio.

Dardanus Italiæ urbs, &c. ut refert Lycophron] Lycophron ſine dubio *Garganum* intellexit, & ex monte Civitatem fecit.

Daria] *Daras* vocat Procopius ſemper, ſive Δάρας: erat munimentum in finibus Romanorum & Perſarum validiſſimum, meminit & Theophanes apud Photium in Bibliot. Cod. 64. [*Græcum exemplar* Δωρας] Δάρας editum. [*Inter duo fl. conſtituit eam Calliſtus*] imperitia Interpretis. [*Nunc Taures*] hoc falſum.

Daſmenon, &c. Daſymon & Porphyrog.] Δαζυμὼν in Græco. Δαζιμὼν Baſilio M. epiſt. 272. & 370.

Daſnones, &c. Δασίωνες] & hæc vera lectio. Vide infra h. v.

Daſſaritas.] delenda ſunt hæc verba, [*quæ ſcriptura Appiani quoque eſt*]

Δασαρήτιοι ſunt Ptolem.] & Appiano.

Daſſacites, &c.] *Λυχνίτις* lacus Scymnochio.

* DAVLIVS mons apud Strabonem lib. 9. pag. 424. ad anguſtias Cephiſſi ſupra Peripotamios. Sed legend. Hedylium.

* *Δαυνεῖς*, populi inter Sarmatas & Zicchos ad Mœotidem, ut puto, paludem commemorat Epiphan. in confeſſione veræ fidei pag. 1091. *ἐν τοῖς Δαύνισιν* Petav. Daunos vertit. & ſic in Annotat. cap. 115. apparet pro Daunijs poni.

Deabolis, &c.] in Appendice Conſtantin. Porphyrog. *Σφετερος δ' υἱὸς Δεάβολις.*

Debæ] Dedebæ Agatharchidi cap. 48.

Decapolis, &c.] *Decapolis* etiam Italiæ provincia fuit circa annum Chriſti 700. cujus caput & Metropolis Ravenna, ut aiunt literæ Gregorij II. Papæ principio 7. Synodi pag. 361. edit. Rom. antea *Pentapolis* dicebatur; vide infra h. v.

Decatara, &c. Curopalati] & Conſtantin. Porphyrog.

Delmatia Italiæ regio eſt, &c.] admodum ineptè & ſine iudicio hæc confinguntur.

Del-

Delminium, &c. Dalmium & Delminum dicta fuit] Stephano & Euſtathio, &c.

Delphi, &c Salona locum hodie appellari] Δῦροὶ δ' ἀγυιὸς καὶ Σόλων append. Conſtant. Porphyrog. [*vide Pytho*] & *Meſomphalia*.

Delthanij] Horum eſt Dentheliates ager apud Tacitum lib. 4. Annal.

Deorum inſulæ, &c. Cicas appellat Plinius] In nummo Antonini Pij in Hiſpania cuſo circa figuram Abundantiæ cum cornucopia & clavo CICA. GENIO. & in medio circa figuram DD. ſic in nummo Philippi circa triremem CICALEA & ſubtus DD.

Deradræ, &c. per A in prima, &c.] & quidem rectiùs. Sunt autem ijdem, quī Straboni Stephano alijſque *Daudarij* vel *Daudares*, nec alios puto Daradæ Hecatæi apud Steph.

Derbices, &c. Derbices ſunt quoque Ptol. in Libya] Δερβίκαι ſunt Anonymo Geographo ms., ſive ut ibi ſcribitur, Δαρβίκαι.

Deſiates, &c. Daiſij] Δάϊσιοι, ſed neſcio annon Δάρσιοι legend.

Deſſæ] Triſtanus 2. pag. 405.

Develtus, &c. nunc Develton] in veteri nummo apud R. P. Sirmondum COL. FL. PAC. DEVLI ab altera parte SEV. ALEXAND. AVG. Sic etiam nummus Maxi-

mi Cæſaris apud Triſtanum tom. 2. pag. 454. Sic in nummo Macrini apud M. Ducem circa Cupidinem.

Dia, &c. Palæſtinæ urbs eſt] *Diam* oppidum deſertum Arabiæ prope Boſtra commemorat Damaſcius apud Photium in vita Iſidori: ea autem regio poſtea dicta fuit *Tertia Palæſtina*.

* DIBVS, Δίβος Indiæ regio ſive inſula, cujus incolæ *Dibeni* Δίβηνοὶ apud Philoſtorg. Hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 4. vix dubitaverim quin ſit celebre emporium Indiæ *Diu* in inſula ſitum.

Didymi, &c. ſunt & montes, &c. Strab.] & fluvij Cretæ apud Dicearchum.

* DILMAINA, gens, Διλμαΐνον, vel Διλμαλινὸν ἔθνος circa Armeniam, ut videre eſt ex Theophane Byzantio apud Photium Bibliot. Cod. 64.

Dimaſtus mons] *Dimaſtos* dictus hic mons, quod duarum inſtar mamillarum eminet, ut egregie deſcribitur in Nautica mediter. Græcorum.

* DINVMMA, locus ubi data fuit lex. 8. Cod. Theod. lib. XI. de exactionibus, puto Liguriæ, nam leges paulo ante & poſt datæ ſunt Mediolani.

Diocæſarea] fuit oppidum liberum, ut docet nummus Antonini Pij apud Equi-

tem

tem Puteanum, ubi circa templum Minervæ, ut videtur, legitur ΔΙΟΚΑΙCΑΡΙΑΣ ΑΝΤΟ. nisi hoc forte ad alteram illam Phrygiæ pertinet, quæ eadem *Ceretapis*, ut discimus ex nummo Commodi Imperatoris apud Franc. Gotifred. ubi circa eadem Phrygiam legitur. ΔΙΟΚΑΙCΑΡΕΩΝ ΚΕΡΕΤΑΠΕΩΝ.

Diodori, &c. Plinij Diodori insula] sic quoque hæc Arriani, si verba mentemque ejus recte intellexeris.

Dion, &c. interius in mediterraneis] Euseb. præpar. l. 5. cap. 31. Oraculi versum citat Φαῦσθ' καὶ Τάρρας ναέτ' Δίς τε πολύρρις inde apparet maritimam fuisse.

Dionysia, &c. est apud G. Tyrium] & in Notitia mss. & extat ejus mentio apud Photium in vita Isidori Philosophi. Vnde colligitur Dionysienses illos fuisse vicinos Bostris.

Dios ἱερὸν] postea *Christopolis* dicta, ut apparet ex subscript. VI. Synodi CP.

Diospolis, &c. Ægypti superioris urbes] Agatharchide Ptolem. &c. [*Diospolis in Thracia*] de hac appendix Constant. Porphyrog. Διόσπολις Θ' Ῥαμψῆον.

Dispontani.] ms. antiquissimus Latin. *Diosponti* ut provinciæ nomen ponit, quæ postea *Helenopontus*.

Divionum, &c. ubi Saxones fusos (Sylburgius) fuit trans Rhenum in veteri Francorum, aut Sicambrorum regione, rectius qui *Diusburgum* existimant. Vide Brovverium Annal. Trevir. lib. 4. pag. 293. & Sirmondum ad Sidonium pag. 147. Inde *Hercules Deusonienſis* in nummis Posthumi apud Tristanum tom. 3. pag. 145. qui videndus.

Doara.] Περγεδόαρα Hierocli. In Notitia Leonis Imperatoris, subest Mociſſo vna cum Nazianzo. Vide Basil. Mag. epist. x.

Doberienſes & Doberas] *Doberus* in veteri Inscriptione apud Gruter. pag. 517.

Doclea] hinc *Docleatinus* Episcopus apud S. Gregorium M. lib. 10 epist. 33. & 34 [Διοκλητιάνοι *Cedreni*] & Constant. Porphyrog. de admin. Imperij c. 29.

Dodana, &c. Bodona] Βόνδινζα app. Constant. Porphyr.

Dolenſis vici] *Dolenſis* Episcopus apud Ioann. VIII. epist. 124.

Dolichena] vide infra *Dulichia*.

Dolopes] Dicæarchus in descriptione Græciæ Ætoliam Dolopibus à meridie oppositam scribit; unde apparet illum *Dolopes* in Thessalia ultra Pindum montem posuisse.

Domitianæ viæ, &c. Domitiana statio]

Do-

Domitianus ſaltus, forte & ipſe circa Orbitellum, & Montem Argentarium fuit: unde inter oſtia Palatij olim fuit Procurator Saltus Domitiani, ut vetus inſcriptio in Notit. Imper. Oriental. pag. 59. b.

Draconon . &c. δ' ἐράκανον] apud Strab. & hanc veram eſſe lectionem exiſtimo, cum apud Heſych. legatur Δρακάνιον.

* DRAGANES, populi Hiſpaniæ ad Oceanum, Avienus.

Drama, &c. Circa Philippos] Civitas eſt Epiſcopalis haud procul à Strymone fluv. ubi ingens nunc Orizæ copia creſcit: ita mihi affirmavit vir doctus αὐτόπτης.

Drepanum, &c.] Δρέπανον τὸ ἐν Λ'ρσεῖ apud Suidam v. Γ'άβελος.

Drilo, &c. Lodrino] adhæret ex articulo Golfo del Drino; inde faciunt Lodrini tabulæ vulgatæ.

Drinius, &c. Lychnido] legend. *Lychniti.*] *Scodran alluere]* falſum.

* DRIPSINATIVM civitatis meminit lapis Brixienſis apud Manuc. pag. 163. & apud Octavium Roſſi pag. 311. fuit haud dubie in agro & territorio Brixienſi.

Dryinopolis] fuit civitas Epyri ſub Archiepiſcopo Artæ Ius Græc. Rom. pag. 233. vnde crederem potius ex Adrianopoli hoc nomen eſſe detortum.

Drymus, &c. Suidæ] Atticæ locum cum caſtello vocat Heſychius & Harpocrates.

* Δρυὸς κεφαλαὶ. *Quercus capita*, locus Bœotiæ circa Cephiſſum, de quo Philoſtrat. imag. lib. 2. in Phorbante pag. 813. Vide infra v. *Quercus capita*.

Dris, &c. ad Arum fluv.] locus corruptus.

Dulichia] Miſcell. leg, 22. *Dulichium* vocat, eidem Ptol. & Hierocli *Doliche* civitas Syriæ Euphratenſ.

Dulopolis, &c. Vicus etiam in Marica] Eſt nomen fabulæ Eupolidis Comici, inde regionem facit, ſed non animaduertit Heſychij illum locum male eſſe diuulſum.

Dunum &c. Galliæ locus] unde Dunenſis Eccleſia, quæ eadem cum Carnotenſi. Vide Sirmondum ad Tom. 1. Concil. Gallic. pag. 602.

* DVRA ſive *Duria* pagus Ripuarienſis vulgo *Dorea* Tom. 2. Concil. Gallic. pag. 49

Durio] Vide infra v. Luerionis.

* DVTIATCVM, villa puto Rhemenſis ditionis apud Ioan. VIII. in epiſt. III. Sirmond. Tom. 3. Concil. pag. 482. *Duziacum* edidit.

Dyrrachium, &c.] ΔΟΡΑΚΙΟΝ] ſic etiam in Synecdemo Hieroclis, qui Prævalitanæ re-

regionis Metropolin vocat. In veteri lapide Cardinalis Barberini DYRRAGI secundo casu legitur.

Dysteos, &c. meminit Concil. Ephes.] & Ius Græco Rom. Tom. 1. pag. 190.

E

Ebisma, etc. Abisama legunt Interpr.]& sic ms. *Ebora, &c. Liberalitas Iulia cognominatur*] COL. IVLIA. LIBERALIS. AVGVSTA Ligor. ex nummo Tiberij.

Ebora alia in Bætica.] Porto Real ex Melæ descriptione existimo, vel etiam *Puerto S Maria*.

Echinus, &c. Tolgus, &c. Melæ ἐχίναιον Procopio 4. ædific. Ἐχινεωτῶν Episcopus habetur Iure Græc. Rom. tom. 1. pag. 190. inter Ægypti Episcopos & Libyæ. *In Pentapoli, &c. urbs est*] leg. Vicus est.

* EGETA. Vide *Ageta*.

Eion, &c. Thucydides quoque Eion] leg. *Eionem* habet. [*sed eandem ni fallor*] sine dubio eadem. [*In Cherson. etiam urbs est apud Steph.*] male intellexit Steph.

Eilithyas. &c. Eusebio 3.] cap. 3. [præp. Evang.] ex Diodoro.

Elea, &c. Ælaitem sinum.] legend *Elaiten* sinum [*hinc facit Agathias*] quem Strabo &

& alij *Elaiticum* vocant. [*Vicus Suburbanus Constant. urbis Calliſto*] & Socrati Hiſt. Eccleſ. lib. 7. cap. 16. Vide Gerardum Voſſium in appendice ad S. Gregorium Thaumaturgum pag. 52.

Eleon] Ελαιὼν quoque Cappadociæ locus videtur apud Baſilium M. epiſt. 325.

Elæus, &c. ejus meminit Strabo] Procop. 4. ædific.

* ΕΛΑΙΤΩΝ in nummo Commodi circa Deam ibid. apud Franc. Gotifredum.

Eldimai, &c. corrupte puto pro Elymæi] & ſic paulo poſt apud ipſum Ptolem. legitur.

Elea, &c.] oppidi & [*fluvij nomen eſt quoque Elea*] [*Pro Elia legitur corrupte pro Velia, &c.*] errat.

Elephantina, &c. Hæc. elephantis Pompon.] & Stephano & Agatharchidæ.

Elepla, &c. Nieble eſt] ſic Rodericus Carus antiq. Hiſpal. lib. 3. c. 81. [*Vide Ilipula*] leg. *Ilipla*.

Eleutheræ, &c. Saorus] *Aorus* leg. [*Eleutheræ Bœotiæ*] meminit quoque Arrianus lib. 1. Alex. p. 8.

Eleutheropolis Suidæ] v. Μαιανὸς.

Eleutij, &c. apud Steph.] hic duo loca male confuſa apud Steph. & mutila delenda ſunt verba ſeq. [*quos à Parthenio Elephantoda ἐλεφαντηνὰ appellari ait.*]

Eli-

Eliberri Galliæ Marbonenſ.] Narbonenſis ſcribend. [*Hodie, &c. ſi creditur Vaſeo Colibre*] ſic Franciſcus Mendoza lib. 1. de Concil. Illiberitano pag. 7. qui & *Caccobiberim* dictam fuiſſe docet, quaſi *Caucorum Illiberis*, ut diſtingueretur à Bætica.

Eliſtrus] Ἡλιστρος in Græco; puto Epiri civitatem fuiſſe. Vide infra *Liſtrim.* ſed Iliſtra Licaoniæ Hierocli eidem.

Eluri, &c. Æluri Zonaræ] ἔλυροι Steph.

Eluza, &c. Eluſo corrupte apud Paulin.] epiſt. 7. imo rectè, ſed male confundit omnia. Vide Front. Ducæi & Roſvveidi notas in Paulin. p. 772. [*Eluſa quoque Idumææ*] Nilus Monachus in opuſc.

Elymnium, &c. Athi montis urbs] eſt error Interpretis.

Embaton, &c. Thucydidi, & ex eo] leg. ex Theopompo citat. Stephan.

Enaulus, &c. An pro Anaurus?] nil certius, delenda ſunt verba *Plana quoque Anchialos*.

Encaleus ἐγκάλεος] ἔγκαλος habetur in Græco.

Eneti, &c. Vnde Myrmex Philoſophus eidem] ſed fallitur: nam Diogenes Ξάνθου filium vocat.

Eordaicus, &c. Arriano in Alex.] lib. 1. pag. 5.

Epa-

Epamanduodurum.] Chiffletius locum haud procul à Monte belicardo ad Dubim fluvium esse docet vulgo *Mandeurre* dicitur pag. 152.

Eparitæ, &c. Eparis eorum civitas] esse debebat, quamvis non reperiatur, ut ait idem Steph.

Ephesus] De ejus commodo situ est locus apud Suidam v. Ἐφεσία.

Epicaria] Tabul. Peutinger. ad *Picaria* puto *Croiam* esse.

Epidaurus, &c. eandem quoque Melissam] immò expressè hæc de Argiva scribit.

Epipa] Lydiæ civitas in gestis de nomine Acacij à Sirmond. editis pag. 114. ubi de exilio & morte Flaviani.

Equilium] hinc Equilensis Episcopus Ioanni PP. VIII. epist. 18. hinc Petrus de Natalibus *Equilinus* Episcopus.

Equotuticum, &c. vide Tuticum] certum est *Trojam* esse civitatem Episcopalem vide supra v. *Æquana* & *Escas*.

Erasinij] nomen corruptum, ubi forte legend. Ἐσσηναῖοι nunc eo loco est ἱερεωσύνη civitas Episcopalis, cujus Episcopus scribitur ἱερεὺς καὶ ἁγίου ὄρους.

Eremus Helvetior. &c. Eremos insulæ quoque nomen apud Steph.] non intellexit.

Eretum, &c. potiùs grammatice quàm geogra-

graphicè.] Rectè Sabinus ex mente Strabonis & rei veritate.

Ergavica, &c. Alcannis appell. volunt Villanovanus] & Io. Franc. Andreæ lib. de patria S. Laurentij.

Erigonum, &c. in Axium fluv. ducit.] & sic Arrian. lib. 1. Alex. ubi accusandi casu Ἐριγόνα vocat.

Eriniates, &c. ex Pausoniæ] lib. 1. sed locus male intellectus.

Erravi] nomen omnino corruptum pro quo legendum puto χαλδαίων, ut vers. 751.

Erythena, &c. ex Aristotele] apud Aristotelem θαυμ. ἀκουσμ. cap. 15. Ἐρυθάκη vocatur.

Esbonitæ, &c.] à sequenti oppido *Esbunte*.

Escamus] forte *Escanus*, ut sit idem qui Tabulæ Peuting. *Escus*, nunc vulgo *Isch*, ad cujus confluentes *Oescus* oppidum fuit, nunc *Ghigen*.

Estaberum, &c. Tader] *Theodorus* fluvius Avieno.

Etennenses, &c. Polybius 5.] pag. 416. Etennensis Episcopus Act. 1. Concil. Chalced.

Etimenæum, &c. NCO] NICO in 2. edit. &c. puto esse ΝΙΚΟΜΗΔΕΙΑC ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΕΠΙΜΙΝΑΙΟΥ ΒΑΛ. . . .

Etre-

Etrephea, &c.] Palos ad Vrij fluvij oſtium interpretatur Roder. Carus lib. 3. antiquit. Hiſpalenſium cap. 76.

Εὐαζα.] *Evaza*, Aſiæ civitas Hierocli, Ε'ναγσλωεῖς ſcripta eſt epiſt. 72. S. Baſilij Magni.

Eucarpia, &c. eſt quoque Siciliæ caſtellum.] prope Hyccara; ſed locus ibi fœdè corruptus.

Euchaita Hellenopolis] leg. *Helenoponti*, Ioannes εὐχαΐτων Epiſcopus, cujus carmina edita ſunt in Britannia, Epiſtolæ & orationes extant in Vaticano. Πολίχνιον vocat Continuator Theophanis in Leone Armeno.

Eudoxiopolis, Epiſcopalis civitas] Piſidiæ Hierocli [*meminit, &c. Scholaſticus*] & Nicephorus Calliſt. lib. 14. c. 39.

* EVPHEMIAS adis locus Cappadociæ inter Nazianzum & Niſſam apud Gregor. Nazianzenum epiſt. 95.

Euphrates, &c. hodie Chober] *Chaborras*] eſt diſtinctus ab *Euphrate* fluvius, in quem influit, qui alijs *Aborras*. Vide ſupra h. v.

Euria, Epiri civitas] S. *Donato* apud Gregor. M. lib. 12. epiſt. 2. etiam corruptum. *Ἴσαυριᾶς* civitas aliquoties ſcribitur pro *Euriæ*. Et ex dictis Epiſtolis apparet idem eſſe oppidum, quod nunc S. Donati vocatur.

Eu-

Euripus, &c. etiam Episcopalis. Ita nunc Euboea à Græcis vulgo vocatur.

Euroca, &c. urbs Episc. in Epiro] est veteris Epiri, ut apparet ex Hierocle. Grammat. ms. Helladis puto in Chalced. Concil. ubi Græci tex. Ἐθρόιας Latine interp. Euriæ.

Euroma] In Græco textu Εὐαρείας legitur. Vide supra Delend. sunt verba *An vitiose pro Europæ*.

Europa, &c. Habet itaque Europa specialem suam Europam] Georgius Syngellus in Chronicis scribit Iovem abreptam è Phœnicia Europam in Thraciam abduxisse, & inde Thraciæ partem hoc nomen accepisse.

Europo] *delend. &c.*] Non intellexit Stephanum, qui de Pœnicia puella loquitur.

* Εὐρυάτων Episcopus in Calabria sub Sanseverinate Metropoli in Notitia Leonis Imperat. nunc *Imbriatico Ebuacensis*, vel potius *Ebruaticensis*, sic enim scribendum puto.

Eutresis, &c.] Homerus Il. 2. expresse inter Bœoticas civitates recenset; & sic Eustath. explicat apud Scylacem leg. Εὐξηντ@. Arcadiæ civitas non Εὔξησις, sed Εὐξήσιον vocabatur, teste Stephano.

Eutzapelus] Cedreno pag. 642. sed videtur

detur potius civitas aut regio Daciæ Mediterraneæ, ut Sardica & Naisus, quæ præcedunt.

Exoda, &c. in Melitensium regione.] leg. *Milesiorum*.

* EZERITÆ Sclavica gens in Peloponneso Const. Porphyr. de admin. Imper.

EZomitis &c. ubi Blemmiæ habitant.] & Eromitis est A'ξομῖτις ut idem alibi vocat.

F

Fabienses Italiæ] leg. Latij populos in Albano monte.

* FALIATIS locus ad Danubium in Tab. Peutinger. paulo super Ægeta.

Falisci, &c. Mons Phiscon & arx Iti] nugæ.

* FARRATICA pagus agri Brixiensis circa fines Cremonensium. Vide Oct. Rossi pag. 228. nunc *Pedengnaga*.

Faustinenses, &c. in Smetij volumine] ubi *Faustinianensis* civitas.

Feronia] nunc S. *Oreste* P. Ligor.

Fersulæ, &c. ex vetusta inscript.] quæ extat apud Manut. Ortogr. pag. 64. puto Fesulas intelligi.

Flavia, quæ Neapolis.] Eusebius Eccles. Hist. lib. 4. c. 11. Iustini verba adducit, ubi

ubi interpres Anglus ineptissime nobis Flaviam gentem fingit.

Flavia Lambris, &c. Lambrica Melæ] *Ego Bajonam* hoc nomine à Mela intelligi certo existimo.

* FLAVINIACVM Monasterium in Gallijs prope Cavillonam *Ioan.* VIII. PP. epist. 97.

Flaviopolis, &c. Cratea] In nummo Illustrissimæ Rondaninæ ΚΡΙΤΙΑ ΦΛΑΟΥΙΟΠΟΛΙC. apud Hieroclem Κρήτια legitur: de hac intelligendus nummus Severi apud Tristanum tom. 2. pag. 93. ΚΡΗΤΙΕΩΝ ΦΛΑΟΥΙ. ille male ad Cretam refert. [φλαυιόπολιν Καμαρείων] infra v. *Neapolis*.

Flavium Brigantium, &c.] vide notata ad *Thalamon*

* FLAVII SASPESANI, municipij meminit vetus inscriptio apud Rodericum Carum in libello Hispanico de antiquitatib. Vtreræ sive Vtriculæ, quæ olim Bætis: rudera enim ejus leuca una & media à dicta Vtrera seu Bæti distare ibidem docet, & optime observat *Salpesam* Plinij esse. Ita enim corrigit pro *Alpesa*; sed scimus cum multis nominibus principio id omissum, ut Asmidessus & alia.

Florentia, &c.] *Florentia* quoque dicta fuit Illiberis Hispaniæ civitas, ut veteres

lapides teſtantur, in quibus ter legitur *Municipium Florentinum Illiberitanum*.

Foronianum] Cluverius recte *Foronovanum* legit, qui locus haud procul à Parma, nunc quoque Fornuovo dicitur. Vide Cluver. Ital. antiq.

Foronovanus, &c. in Concilio Romano] nunc Sabinenſis Epiſcopatus, ut veteres inſcriptiones ejus Eccleſiæ docent. Fuit quoque civitas *Foronovana* in Piceno, ut teſtatur vetus inſcriptio reperta Romæ.

Forum Appij. Blondo autem Monaſterium Foſſanova vocatum, Caſæ novæ hodie, &c.] neutrum verum eſt: nam uterque locus extra viam Appiam eſt, in qua fori Appij veſtigia quædam apparent inter lapidem 42. & 43. locum vulgo vocant. *Caſarilio di S. Maria* tribus circiter milliaribus paulò amplius.

Forum Caſsij, &c. Guaſto nominat Simlerus] diſtat mille amplius paſſ. à *Vetralla* & *Forcaſſi*, nomen retinet.

Forum Claudij, &c. Forum Nouempagorum] *l'Oriolo* dicitur.

Forum Decij] Fuit in Valle Interocrina.

Forum Flaminij, &c. in hujus ruinis Fulginium exſtructum] falſum; diſtat tribus m. p. Fulginio & *S. Giovanni in Forfiamma* dicitur.

Fo-

Forum Licini, &c. Pieve d'Incino, Leander] & Ligorius.

Forum Novant.] Golzius haud dubie erravit in reſcribendo, dum *Forum Novani* pro *Foronovanis* legit, ut eſt in Smetij lapide qui Parmæ extat. Eſt autem hoc *Forumnovum* haud procul à *Parma*. Vide Cluver. Ital. Ant. Sic.

Forum novum, &c.] eo loco fuiſſe ubi nunc eſt Epiſcopium Sabinorum teſtatur vetus inſcriptio ejus Eccleſiæ.

Forum Siculum, &c. Iter Roma ad forum Siculum] leg. fretum.

Fundanus lacus, &c. Fundani Lacum] fuit Romæ in regione 2.

* FVNDVS EVCARPIANVS, CAPITINIANVS, FLAVIANVS, SABINIANVS in via Lavicana. Inſcript. Rom. Subterr. pag. 107.

Furconium, &c.]. φερκώνης Epiſcopus ſubſcripſit ſuggeſtioni Synodi Romanæ in Act. 4. Synodi VI. CP.

G

Gabales, &c.] Gebaldanenſis Epiſcopus Ioanni VIII. epiſt. 150.

Gabris] Scikardus altero loco Ταβείς leg. pro Ταβεΐς, & *Tauris* oppidum eſſe conijcit

admodum ſane probabiliter, quod poſtea *Trabezium*, de quo infra.

Gad, &c. Niphas] male pro *Caiphas*. Vide Πορφυρεών.

Gades Pompon. Gadira] fuit diverſa à Gadibus, ut Scymnus Chius alijque, ut ipſe paulo inferius notat. [*Cotinuſa ut Dionyſ. ait*] Heſychius malè κοτύζα ex vitio ſo aliquo codice; [*ab Epophoro et Philiſtide Erythia*] optime.

Galatia, etc. Galliam minorem] leg. Galatiam. [*Item Socrates non ſemel*] meminit quoque lapis antiquus notatus infra ad v. Γολοή.

* GALLIENSIVM CASTRVM, GALLESE, oppidum Tuſciæ ſuburbicariæ Anaſtaſ. Biblioth. in Greg. III.

Gangama, &c. Caſaubonus non loci nomen, ſed retis genus eſſe mavult] quod veriſſimum.

Gani, &c. Suidas quoque] & Harpocration ex Artemidoro.

Gardicium] ſub Lariſſenſi Metropolitana recenſentur duo diverſi Epiſcopi in veteri Notitia P. Gonei ὁ Γαρδικίου καὶ ὁ ἑτέρας Γαρδικίας.

* Γαργαειδλὼ locum Samariæ commemorat Chron. Alexandr. Vide notata ad Garizim pag. ſequenti.

* GARGARIVS locus ſub Archiepiſcopo Are-

Arelatenſi de quo vide inſcriptionem antiquam apud Sirmondum ad **Tom.** 1. Concil. Galliæ pag. 595.

Gargilianæ thermæ, &c.] vide Pancirol. var. lect. lib. 2. cap. 74.

* GARGILIANVS FVNDVS l. 4. D. lib. 32. §. Feliciſſimo, & Maſſa Gargiliana apud Anaſtaſ. Bibliothec. quæ erat in agro Sueſſano. Non dubito quin Liris fluvius hinc Garigliani nomen obtinuerit.

Garizim, &c.] Damaſius in vita Iſidori, ἀργάιζον vocat, hoc eſt Mons Garizon, atque in eo Iovis templum fuiſſe poſitum ab Abrahamo, & forte idem montis nomen excidit apud Scylacem in deſcriptione Palæſtinæ, ubi legitur ὄρος ἱερὸν Διός. Hæc autem hauſta ſunt ex Alexandro Polyhiſtore, cujus locus refertur ab Euſebio lib. 9. c. 4. de præpar. ubi Eupolemi auctoritate id aſſeritur, quem locum Ortelius male intellexit infra v. *Hieroſolyma*. Chronicon quoque Alexandrinum pag. 756. Samaritanos celebrem Synagogam habuiſſe refert εἰς Τὸ καλούμενον Γαριζεὶν, quam Zeno Imperator in templum B. Virginis convertit. Non dubito quin idem ſit locus, idque omnino confirmat Procop. 5. ædific.

Gavis] ſunt *Gabÿ* [13. *ab Vrb. millario*]

optimè ; ſed via Prænestina, non Salaria.

Gaulane ; &c.] eadem cum *Gaulon* quod mox ſequitur.

Gaulon] *Gaulane* Ioſephi.

Gaulos] eadem cum ſuperiori: nam Scylax Africæ quoque tribuit.

Gaza] delenda ſunt verba Ius ἴϑς, *Minos* Μίνϖ. [*oppidum Æthiopiæ*] & caſtellum Thraciæ Stephan.

Gazacum Γαζακὸν.] *Gazacus* Γάζακος. [*Gazaca Ptolem.*] ſic diſertim Steph.

Gazulena] legend. *Zagylena*. Sic & act. 1. Conc. Chalced. ἀζύλων Epiſcopus pro Ζαγύλων ſcribitur, ſed verum nomen oppidi *Zagylis* fuit, de quo infra.

Genabum. Puto Cenabum Antonini] Certiſſimum eſt Cenabum Antonini eſſe *Genevam* Allobrogum, ut ex ductu itineris perſpicuum eſt.

Genuſini] & *Genuſinus* ager Fragm. de limitib. vulgo *Genoſa*. *Genuſium* oppidum ipſum vocat Cluverius in Tab. Italiæ.

Geræa] vetus inſcriptio apud Ligorium. NATO. GERAEA. LVSITANO.

Gerenia] Harpocrationi mons Megaridis.

Germania, &c. Germania Metropolis eſt] patria hæc erat Beliſarij Vide N. Alemannum

num ad Procopij ἀνέκδοτα. erat autem circa Thraciam,

Germanicia] Γερμανίκια Συρίας ἡ νῦν Τγερσάρεα Appendix Constantini Porphyr.

Germanicopolis] ἡ πρὸς Γάγγραν commemoratur à Iustiniano Imperatore novell. 29. primo loco inter 6. civitates Paphlagoniæ tanquam Metropolis, cujus loco Hierocles & Constant. Porphyrog. lib. 1. Them. ipsam *Gangram* ponunt.

Gerrha, &c. unde] Agatochridæ [& *Straboni Gerræi populi*.]

Geryonis.] ms. Codd. hoc loco *Cepionis* legunt est Καπίωνος πύργ. Straboni, hodie *Chipiona* dicitur.

Gesæma] forte Γέσαρνα legendum, atque eò referendus nummus sequens.

Gessus, &c. Gæsus Herodoti] sic mss. Melæ.

* GESTAANI, Γεσταανοὶ, Illyrici populi vicini Iapodum, ut videre est ex Appiano sub princ. Illyricorum.

* GETASA, Γήταζα, locus Armeniæ minoris in itinere, quod Cæsarea Nicopolin ducit, ut videre est ex epistola 187. S. Basilij Magni pag. 968.

Gingunum γιγγῦνον] Κύγγελον legendum *Cingulum*.

Girgis, &c. Gichthis Ptol. videtur] & rectè

Giſipenſis Epiſc. &c.] *Giſipenſe Majus.*

Gletes] Straboni ἰγλῆτες : ſic Gnetes & Ignetes paulo poſt.

* GLITIS laçus, ubi Monachorum cœnobium celebre. Photius Biblioth. cap. 52. in Cappadocia fuiſſe videtur.

Goloe, &c.] eſt minoris Galatiæ. In lapide ſepulchrali ad S. Paulum Δόκιμος χωρίς Γολοῆς μικρᾶς Γαλατίας Roma Subter. ran. pag. 154.

Gonimi, &c. Stephanus in βέσβικος] falsò. Male intellexit locum Diogenis à Stephano citatum : ille enim inſulas ibi commemoratas fertiles pingueſque eſſe ait.

Gortynius, &c. Gortyna urbs] meminit ejuſdem Rianus apud Steph. v. *Melænæ*.

Gottheni, &c. Conſt. Porph.] Sed corrupte, ex mss. legendum Δαγοττλωοὶ. Vide ſupra *Daguta.*

Gradus] Venetiarum Metropolis Ioan. PP. VIII. ep. 25. Succeſſit Aquileiæ deſtructæ, unde à S. Leone IX. Gradenſis Patriarcha Nouæ Aquileię appellatur epiſt. 2.

Graſus γεράσος *& Crymnus* κρύμνος] ſcrib. Crymne κρύμνη. v. Sup. Craſſopolis.

Gratiana, &c. Meſiæ primæ ibidem Pro-] copius 4. ædific.

Gravaſiani & Pontonales] an *Gravaſcani*

&

& *Pontinates*?

Grumentum.] *Agrimonte* vulgo dicitur ad Lirim fl. prope Epiſcopiam oppidulum, hinc *Grumentinæ paroeciæ* meminit Gregor. M. Epiſt. lib. 10. cap. 48. ſed re melius expenſa puto fuiſſe *Agromento* ad dextram Aciris fluvij.

Guarmacienſis, &c. *An forte Vvormacienſe*?] nil dubitandum.

Guriauna, &c. *Ptol.*] delenda ſunt verba ſeqq. *Et altera Margianæ eidem*.

Gyaros.] Ego non dubito quin ſit *Caloiro* in tabulis Nauticis Batavorum. Et ſic And. Thevetus in opere ms. de inſulis lib. 4. cap. 41. ubi figuram ejus exhibet. Cui ego auctori aliàs ſatis fabuloſo, hac in parte fidem tribuo, quia cum tabulis Nauticis exacte convenit.

Gygæus, &c. meminit etiam Nicandri Scholiaſt. p. 30.

H

Hadrianopolis, &c. *Et aliam in Bithynia*] Hæc eadem eſt, quæ Philoſtrato Ἀδριανοὶ Ariſtidis Rhetoris patria, de qua v. *Bithynia*, ut apparet ex argumento in Panathenaicum Ariſtidis, ubi Ioniæ tribuitur. Apud Franc. Gothofredum in nummo Septimij Severi circa Apollinem cum Tri-

Tripode ΑΡΙΑΝΩΝ ΠΡΟC ΟΛΥΜΠΟΝ.

Hadrianotherus] Apud M. Ducem in egregio nummo Philippi, ſub Imperatore equitante, ΑΔΡΙΑΝΟΘΗΡΕΙΤΩΝ circum ΕΠΙ. ΑΥΡ. CΩΚΡΑΤΟΥC. ΑΡΧ. Α.

* Ἅλὸς πύργος, *Halis turris*, in Tyrrenia ab Hale Tyrrena venefica ſic dicta, Photius Cod. 190. ex Ptol. Hephæſtione.

Halycidon] delend. Eſt Barbari commentum [*Vide Lacydon*] ſic in mss. Cod. Melæ.

Halyzea, &c. Natalico vocatur à Sophiano] Ego potius exiſtimo *Alcipo* eſſe ad dextram Acheloi ripam, cum omnes auctores id in Acarnania ponant. *Natalico* autem eſt ad ripam ſiniſtram in Ætolia Franc. Sangallus *Trigordon* nunc vocari ſcribit, ubi magna ſuperſunt antiquitatum veſtigia.

Harmatus ἁρματὸς] ἅρματος [*Thucydides* 8.] & Strabo lib. 14.

Hebata] vox corrupta reſtituenda ex ms. qui legunt *Thæbata*.

Hebdomum] Meminit Suidas ex neſcio quo auctore v. Πρωκόπτουσα. [& *in Hiſtor. Miſcella*] lib. XIX.

Hecates, &c. auctor Suidas] & Harpocration. [*Hecatem circa Leſbum habet. Heſychius*] ſed ille haud dubie *Hecatæ* inſulam cum *Hecatonneſis* confundit.

He-

Hedylium, &c.] apud Strabonem malè Daulium p. 424.

Heideba, &c. hodie Schleſovich] Saxo Grammaticus.

* HELENOPOLIS, ad oſtium ſinus Nicomedienſis ab Helena Auguſta condita. Philoſtorg. excerpt. Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 13.

Helice, &c.] hæc verba (*Eſt & locus ad mare Euxinũ circa Cappadociã Orpheo*) ſunt delenda. Male enim intellectus locus v. 743.

Heliopolis, &c. Heliopolitæ & Heliopolitani olim dicti *Cumani* Capacius lib. 1. pag. 327. Eſt etiam *Heliopolis* civitas Galatiæ Hierocli in Notit. & Procop. 5. ædificiorum.

* HELLENIVM, promontorium Æginæ, ubi Iupiter Hellenius colebatur. Vide Schol. Pind. Nem. 5. pag. 370.

Heluij, &c. Albigeois ſunt Belleforeſtio] malè; vide Sirmond. ad Sidonium Apollinarem pag. 116.

Hemopſoneſtia] hæc male hoc loco ponuntur ſub nomine manifeſte corrupto. [*Veſalienſis Mopſoneſtia vertit*] optime. Eſt enim locus manifeſte corruptus. Mopſueſtia nomen Hadrianæ habebat, ita enim in veteri inſcriptione apud Gruter.

pag.

pag. 255. num. 4. Α'δριανὴ Μοψεεστία dicitur in honorem Adriani, cujus beneficijs ornata fuerat. Ad Mopſuerenem mortuus eſt Conſtantius Imperator teſte Chronico Alexand. quæ prima manſio erat à Tarſo Ciliciæ.

Heraclea, &c. Cariæ urbs ad Latinum cognominata] à Strabone lib. 14. & [Ptolem.] [*Prima in Sintica regione*] Hæc hodie *Bagna, Bebuſco*, ſive *Bilibuſca* vocatur, & ſubeſt Epiſcopo Sardicenſi.

Hericulius, &c.] Circa Eubœam] in Bœotia, vt ex loco apparet.

* HERCVLENSIS regio civitatis Neapolitanæ, cujus mentio extat apud S. Gregorium M. lib. 3. epiſt. 59.

Hermianenſis, &c.] & Facundus *Hermianenſis* Epiſcopus notus ſcriptor.

Hermonia, &c.] Haud dubiè ab ijſdem auctoribus ſunt *Herminones* Plinij & Melæ, & *Hermionia* hæc Orphei.

HIENIPA Bœticæ oppidum ex lapide antiquo, ubi *ordo Hienipenſium* legitur, locus vulgo *Alcala de Guadaria* dicitur, vide Rodericum Carum antiq. Hiſpal. lib. 3. cap. 40.

Hiera, &c. Inſula in Cretico pelago] Stephano & Plinio.

Hieraco Coryphe, &c. caſtellum in Pamphy-

lia

lia] vicinum Attaliæ [*Nicetæ Choniatæ*] & Ioanni Synnanio.

Hierapolis] in Cerreſtica, quæ Syriæ non Phœniciæ regio ab ipſo Ptolemæo vocatur, & ſic Stephanus ſimpliciter Syriæ tribuit, ut & alij.

Hieroſolyma, &c. Agarizin eam nominat Eupolemus] Id falſum, loquitur de monte Garizim. Vide ſupra hoc v.

Himeria] Procop. lib. 2. ædificior. Himerium vocat.

Hippadis] legend. *Hippalus*. Vide notas ad Ptol. p. 284.

Hippo Carauſiarum] legend. *Orippo Caura Siarum*, ut docet Rodericus Carus libello Hiſpanico de antiquit. Vtreræ ſive Bætis.

Hippon] In ſubſcriptione libelli Leporij. Auguſtinus Epiſcopus Hiponne Rejenſis regionis, & Florentius Epiſcopus Hipponienſium Diarritorum. [*Hypzaritum*] ita in Catalogo Epiſcoporum Africæ *Marianus Hypzaritenſis*. [*Mendoſeforte*] ita eo tempore, ut Zabulus pro Diabolus. [*Hippon Antonino* nunc vulgo.

Biſerta.] Petrus Epiſcopus Ἱππῶς Palæſtinæ apud Epiph. Hær. 73. pag. 874.

Hippos, &c.] *Stephano quoque inſula Eretriæ eſt*.] legendum ibi Ἐρυθραίας pro Ἐρεσίας.

Hirrenſium, &c.] prope Atellam.

Hi-

Hiſconienſes, &c. regione Ferentana] leg. Frentana.

Hiſpaniæ, &c. Item quondam Igletas] ſup. v. Γλῆτες.

Hoplias, &c.] eſt & Peloponeſi fluvius ſive Rivulus Ὁ πλίτας haud procul ab Eurota teſte Polyb. lib. 16. in excerpt.

Horonon. ὁρονῶν Caſtellum Tzanicæ regionis à Iuſtiniano ædificatum. Procop. 3. ædific.

Huni, &c. Hunni Acatiri ſunt apud Suidam in verbo Ἀκατίροις & *Abares*, &c.

* HYDMAVTI Epiſcopus legitur Lycaoniæ ſub Iconienſi in actis Græcis Concilij Chalcedonenſis Act. 6, pag. 268.

Hydraca] delendum v. Hydrax.

Hydrax Syneſius, &c. Pentapolis vicum appellat] quamvis ex illo ipſo loco appareat habuiſſe tum ſuum Epiſcopum. Idem locus qui ſupra *Hydraca* male appellatur.

Hydrus, &c. Hodie Otranto] medio ſæculo Otorantana civitas dicta fuit: nam ſic Pius PP. in ſuis epiſtolis tom. 2. Conciliorum Gallic. pag. 45.

Hyla. Apud Apollon. Pegæ] Vide infra v. *lucus* [*Etiam locus in Cypro, &c. Lycophroni*] & Stephano.

Hylatunctorum] hoc eſt *Latrantium*.

Hyllarima, &c. Theſtrotonitiam] leg.

Stra-

Stratoniciam.

Hyllis, &c. Cabo Ceſte hodie dicitur eſt *Sabioncello* ſive peninſula Stagni.

Hyllicum, &c. circa Corcyram nigram intelligit.

Hyllica] peninſula eſt longus ille tractus terrarum, qui paulo ſupra Raguſam, ſive Epidaurum ab oppido Stagno ab ortu verſus occaſum protenditur inter pharon inſulam, & Corcyram nigram vulgo *Sabioncello*..

Hypacyris, &c. ὑπάκαρις per A] ſic mss. Melæ.

Hypaſis] apud Dionyſ. ὑφανις. Male *Hypanis* editur pro *Hypaſe*.

Hypelæus, etc. Athenæus] & Strabo lib. 14.

Hyperácrij] Herodotus lib. 1. part. 22. triagenera conſtituit. Athenienſium τῶν ὑπερακρίων τῶν ἐν τῷ πεδίῳ, καὶ τῶν ὑπερακρίων.

Hyperborei, etc. Meminit Orph. cujus verticem Calpium nominat] Ego puto Orpheum ſomniaſſe neſcio quid de *Calpe* ad Herculeum fretum. Nam paulo poſt Alpes commemorat apud Cimmerios illos. Sed Geographiæ rationem exactam ab illo ſcriptore exigere ſtultum eſt.

Hyrcania, etc. Hyrcania urbs] ὁ Ὑρκανίας Epiſcopus in Lycia ſub Sardicenſi Metropol.

pol. in Notit. Episcop. Leonis Imperat.
Hyrgis, etc. hodie Scosna dicitur] & sic apud Pomponium Melam editur, ubi ms. legit *Butes*. Vide supra v. *Buges*.
Hyseis] est *Oasis* magna & parva.

I

Iadas] sunt Ionicæ civitates, sive Ionum coloniæ [*Æliano variar.*] *Iadas* vocat feminas Ionicas.
Iadera] COL. CLAVDIA. AVGVSTA. FELIX. IADERA. Notat ex nummo Claudij Ligorius.
Iaßa, etc.] *Dacorum Iassiorum* meminit inscriptio apud Gruterum 259. 8. fortè *Iassi Vvalachi, etc.*
Iberia, &c. Steph. videtur eos Ilaraugatas app.] sine dubio Ilurgetes Hispanos intelligit, ut apparet ex testimonio Hecatæi in Europa.
Icius, &c. Hodie Cales est] Chiffletius docto Commentario de hujus portus veri situ edito putat fuisse *Mardych.* prope *Dunkerkam.*
Ida, &c. Chrysomallus nunc dicitur χρυσομαργ. in append. Constant. Porphyrog. sed alterum rectius.
Idithya, &c. Ilithyia legendum] verissima

sima correctio.

Ieria, &c. Leria] mss. *Leros*, is nunc *Leriz* dicitur,

Iguini ισθμον] leg. *ιγεῖον* [*Niger vult hoc Eugubium Iuficum Ptol. esse*] hoc falsissimum. [*vetus autem lap. qui est Folingi Iguvinorum mem.*] quod rectissimum. Vide Cluverium.

Ilercaones, &c. Ilercavonia [ILLERGAVONIA Ioan. Francisco Andres.

Ilienses] Iolenses Ἰολεῖς legendum docet Salmas. ad Solin. pag. 29.

* ILIPLA, quæ & *Elepla*, nunc *Niebla* Bœticæ oppidum, ut ex nummis alijsque antiquis monumentis ostendit Roderic. Carus lib. 3. antiquit. Hispal. cap. 81. Hæc diversa ab *Ilipa* & *Ilipula*: nam *Ilipa* est *Penaflar* & *Lapa magna* Ptolemæi. *Ilipula* autem *Granata*.

Illiberis.] de Illiberris nomine & situ & antiquitatibus, vide doctissimum Mendozam lib. 1. ad Concilium Illiberritanum, qui duplicem in Hispania fuisse docet. Apparet autem ex lapidibus antiquis habuisse cognomen *Florentiæ*, ita enim ter habetur MVNIC. FLORENTINVM. ILLIBERRITANVM.

Illipula, &c.] Vide supra v. Itipla.

Ilistirus] *Ilistra* Lycaoniæ civitas Hierocli.

Illitargis , &c. Anduiar] ſic Rodericus Carus de antiquit. Vtreræ qui antiquas inſcriptiones teſtes laudat .

Illyricum] In veteri inſcriptione LEG. PRO. PR. DIVI. AVGVSTI. CIVITATES. SVPERIORIS. PROVINCIAE. ILLYRICI .

Inariacium , &c. ab Appollonio Rhodio Arecos vocatur] ejus verba ſunt lib. 4. v. 312. τὴν μὲν καλέουσιν Ἀρήκους , ubi ancipiti lectione legi poteſt καλέουσι Νάρηκας ut mirer Hartungum cæteros omnes ex dubio loco voluiſſe emendare . Simile quid notavi ad Amnitarum inſulas ex Dionyſio Afro .

Indi, &c. Nicephorus Calliſtus] & ante eum Phyloſtorgius unde ille hauſit. *Indos Maritimos vocat Curtius*] *Guadel* nunc dicitur. *Indi ſunt in Æthiopia*] ſic ex Ephoro vocabant omnes ad Auſtrum gentes .

Inopus , &c.] Tzetzes ad Lycophronem .

Interamna, &c. Vrbino] ineptum [*Terni*] certiſſimum. [*alia eſt in Samnio*] Campania. *Interamnates Succaſanos*, legend. Succaſinos quia ſub Caſſino [*Interamnam Iſola hodie vocari*] hoc falsũ, ſitus ejus & veſtigia extant clariſſima , ubi nunc *Torre di termine* dicitur. [*in Præguntijs*] leg. Prætutijs [*Thermolo*

molo vel Termile] hic duo loca confundit, nam & *Teramnũ Interamniam* vocat Ligorius *Termole* autem *Cliterna* fuit quam *maritimam* facit. Sic Interamna Lirinas dicitur.

[*Interamna Fluminea*] Flaminiæ. *Interamna Palæstinæ Piceni*] *Prætutina* legend.

[*Balbi ms. Interamnæ Flaminiæ*] optime.

Vide *Plistina*] Tabula Peutingeriana aliam *Interamniam* habet in Lucania inter Nerulos & Cosentiam, quam ego vel Saponaram ipsam, vel haud procul inde fuisse dixerim, ex ductu itineris situque loci.

Iohanninorum] est Archiepiscopatus Epiri Τὰ Ἰωαννίνα Græcis.

Ionia, &c.] Ælianus variar. 8. c. 5. Strabo principio lib. 14. Suid. v. Ἰωνία, sed corruptè; & Harpocration: nam ibi Ἀνδρομλ. pro Chio, & Lesbus pro Lebedo legitur.

* IONTORA, Ἰοντώρη Galatiæ civitas in excerptis Diodori pag. 386.

Iopetorum, &c.] imo Palæstinæ, ubi Titus rem gessit.

Ios, &c. Est & Libyæ urbs] scribend. *Lydiæ*.

Iporcensis, &c.] sed Rodericus Carus lib. 3. Antiq. Hispal. cap. 71. recte diversa facit: nam *Constantia* est Laconimurgi cognomine *Constantia Iulia*.

* ISAVRANORVM CASTELLVM in Perſiæ finibus habet Procopius arc. Hiſtor. pag. 10.

Iſaurianos] quoque milites habet Arrianus.

Iſindorum] Ἴσινδα apud Stephanum v. Ἄμβλαδα.

Iſſa] *Liſſa* Plinio [*Eſſios*] Ἄισος.

Iſter, apud antiquiſſimos auctores Iſtriæ fluvius eſt] Communis hæc opinio, vel potius fabula, de duplici oſtio Iſtri fluvij, de qua Scylax, Strabo, Scholiaſt. Apollonij lib. 4. ad v. 282. & Euſtath. ad Dionyſ. alijque plures.

Iſtriana, &c.] regio ad Adriaticum mare. Ariſtot. θαυμ. ἀκουσμ.

Iſtros, &c. quæ Artemidoro *Iſtrona* dicitur] ſcribend. quam Artemidorus *Iſtrona* dicit.

Iſtruns Ἴστρους.] ſcribend. *Iſtrus* Ἴστος.

Iulium Apulum, &c. oppida Opulentia, & Haſta.] *Pollentia* alij. *Aſta Liguriæ*] *Iulia Criſopolis in via Claudia*] Male interpretatur *Aſta*. De via Æmilia hæc intelligenda, in qua paſſus eſt S. Donninus, loco qui ab ipſo nomen accepit, medio inter Parmam & Confluentiam itinere. [*Antonini Julia fama*] Antonino *Contributa*. Roderi-cus Carus lib. 3. antiq. Hiſpal. cap. 70.

do-

docet nunc *Fuente de Cantos* vocari. [*Onuphrius ex nummo*] est nummus M. Aurelij, habet cistam mysticam cum duobus serpentibus ex ea prorepentibus.

Iulienſis] IVLIENSIVM respub. in veteri inscriptione Vasionensi.

Iulium Præsidium, &c. Santaren Osorio] & Roderico Caro lib. 3. cap. 80. quasi *Sant'Irene*, cujus hæc fuit patria.

Iunonium, &c.] Vide sup. *Heræum*.

Iustini montes, &c. Vestini] sic Salmasius ad Plinium.

Iustinianopolis] quam à Iustiniano conditam refert Procop. 3. ædific. in regione dicta *Tzumina*.

* IVSTINOPOLIS Cappadociæ 2. in subscription. apud Seldenum quæ & Μώκρασα, vide Μώκασος.

Iuturna, &c. Viturnæ lacus, &c. circa D. Georgij fanum] Hoc falsum esse convincit Ligorius ex ipso P. Victore. Putat autem fontem *Iuturnæ* esse qui nunc *S. Mariæ in via*, cujus aqua etiam nunc febricitantibus prodesse creditur. Fontem autem illum ad S. Georgium putat esse fontem Euripi, qui in Circo maximo fluebat.

* IVVENTIANVM] in veteri donatione S. Gregorij M. in Regesto Farfensi vocatur, quod nunc vulgo *Genezzano*.

K

* KAPITOLIAS, vetus inſcriptio apud Manuc. pag. 67.

L

Laconimurgum, &c.] cui cognomen *Conſtantia Julia*. Vide Rodericum Carum lib. 3. cap. 70. antiq. Hiſpal.

Lactoratenſium, &c.] Vide *Choul* de relig. Rom. pag. 88.

Lacydon, &c.] *Halycidon* ex Barbari emendatione in ms. *Lacidon*.

Læpa] Ego omnino ex locis vicinis apud Ptolemæum *Ilipam* eſſe exiſtimo, quæ nunc *Penna flor.*

* LAGNI Λαγνὶ, Hiſpaniæ oppidum prope Numantiam. Vide excerpta Diodori pag. 358.

Lamotis] Hinc Antiochia ἡ Λαμωτιὰς in Concil. Chalced. act. 3.

Lamura, &c. Limyrus dicitur] ſic quoque Stephano.

Laphyſtiæ, &c.] De Laphyſtij Iovis templo extat narratio apud Herodotum lib. 7. rectè enim ibi Λαφυστίῳ in margine legitur pro Ἀφλυστίῳ.

Laribum] leg. *Laribus*] civitas *Africæ*

in

in Numidia [*mem. hujus Procop.*] 2. Vandal.

Larolum, &c.] inter Ocricolos & Narniani.

Larymna] Λαβρώνα ſcribitur apud Polybium in excerptis l. 20. pag. 105. undę apparet oppidum fuiſſe maritimum in extremis Bœotiæ finibus.

Laſos] an *Latos*, ut inde Λάτιοι in antiquo marmore Venetijs.

Laſtigi] nunc *Zahara* dici putat Rodericus Carus lib. 3. antiquit. Hiſpal. cap. 61.

* LATII, Populi Cretæ in antiquo fœdere Latiorum & Olontiorum Venetijs edito.

* LATMICVS SINVS à Latmo monte prope Miletum. Strab. lib. 4. in Græco Λατμικὸς male legitur.

Latone,] non à Latona, ſed à Lato piſce hanc urbem nomen habuiſſe teſtatur Theodoretus Θεραπ. Serm. 3.

Laurium Λαυρίον] leg. *Laurius campus*. Λαύριον πεδίον ſupra Iſtrum flumen, quem accolunt Sindi: Scholiaſtes ejus dicit Scythiæ campum eſſe. Vocat & *Syndorum campus* paulo poſt: Hic locus puto à Sophocle, &c. appellatur, &c.

LAVS IVLIA CORINTHVS in nummo Cæ-

ſaris apud Gotiſr.

Lauſonium] *Laozonenſis* Eccleſia dicitur Ioanni PP. VIII. epiſt. 110. ſed epiſt. 243. *Lauſonenſis* recte ſcribitur.

Lauzadus Ciliciæ urbs.] ſcrib. *Iſauriæ urbs* apud Porphyr. & Hieroclem in Notitia.

Lea, &c.] nunc *Plana* vocatur prope Aſtypalæam.

Lecithus, &c. Euboëæ] ſcrib. *Ad Athos.*

Lemonius, qui eſt à Porta Capena via Latina] ergo inter Appiam & Latinam viam fuerit; nam à porta Capena incipit via Appia, à Latina autem ejuſdem nominis via.

Leontopolis, &c. Eſt quoque in Ægypto urbs] Λεοντῶ Metropolis Auguſtamnicæ II. in Notitia provinciarum gr. mss. Vide infra v. Lycon. [*Helenoponti urbs*] quam alij Armeniæ tribuunt.

Lepinus, &c.] Intelligit (Columella) magnum illud montium jugum quod inter Latinam & Appiam viam interjacet, & duas provincias *la Campagna*, & *la Marena* diſtinguit, vulgo *le Montagne di Segni* dicuntur, & ubi deinde altius conſurgit, *la Montagna di Carpineto.*

* LEVATAE. Mauri, qui ſupra Leptin magnam degunt. Procop. 2. Vandal.

Leuca Ore.] Βίτ@. Epiſcopus Λεύκης ὄλβης Candidæ Syluæ ſubſcripſit ſuggeſtioni

ſtioni Synodi Romanæ ad VI. Synod. CP. Act. 4. fuit in regione ſuburbicaria circa Romam. [*Albi montes*] Schol. Apollonius lib. 2. pag. 82. Ἀ ξιναῖον Χαλόφον vocat. Vide ſup. hoc v.

Leuci] Adeodatus Epiſcopus Eccleſiæ Λεύκων ſive Leucorum Legatus Eccleſiæ Gallicanæ ad Synodum Romanam ſub Agathone in Synodo VI. CP. Act. 4.

Liba, &c. locus circa Nicomediam Cedreno] pag. 371. [*Libum hoc forte Anton.*] & *Libium* Miſcell.

Libyſtini, &c.] Stephano natio Colchis vicina.

Ligir. fl. circa Plateam] legend. Γαλατίαν *Galliam*.

* LIGVLA fluvius prope Terracinam in actis S. Cæſarij M. puto eſſe illum qui nunc *Levola* dicitur.

Liguria, &c.] *Liguriæ Inalpinæ* videtur opponi *Liguria plana* à Caſſiodoro lib. XI. epiſt. 14. quę Comum & Mediolanum uſq; eo tempore protendebatur. Hinc libellus provinciæ Schonhovij, *Liguria in qua Mediolanum*.

Liguſticæ & Liguſtinæ] *Ligurinæ* Alpes Gratio.

Lilybæum] fuit Colonia Romana, ut teſtantur lapides & nummi antiqui, in quibus

bus vocatur Colonia Heluia Aug. Lilybetana. Vide Triſtanum tom. 2. pag. 16.

Limæa, &c. cui Oblivionis cognomen eſt Limia.] ms. *Milia*.

Limnea Sphaltis] Λιμνὴ ἀσφαλτὶς hoc eſt *Lacus bituminis*.

Limnitæ, &c. Cedreno] pag. 636.

* LIMODORES, live *Dores Fabelici*, in Græcia ad Ætam, Scylax & Heſychius vel ut alij circa Coridum & Rhodium.

Liparæ] falſum, nam Inſulas circa Cyzicum fertiles pingueſque eſſe affirmat.

Lipezus, &c. circa Pallenem] ἀΓχόθι πολλήνης *prope Pellenen* legitur apud Orpheum v. 154.

Lipſydrium] Heſych. [*Suidas in dictione* ὁπλεψυδρείῳ] & in v. Λυκόπους.

Liquentia.] Liquentiæ pons Cod. Theod. lib. XI. tit. X. lib. 2. ubi nunc *Lamotta* teſte Hieron. Aleandro.

* LIRIANDVS Λιριανδ, locus Cappadociæ in quo neſcio cujus hoſpitalis reditus conſiſtebat. Gregor. Nazianz. epiſt. 233.

Liſitanæ] Civitatis deſtructæ meminit S. Gregor. M. lib. 2. epiſt. 25. ubi ms. *Liſſitanæ* & *Æliſſitanæ* legunt.

Liſſus] fuit poſtea attributa Prævalitanę pro-

provinciæ, ut apparet ex Hierocle.

Liſta, etc. à Matiera] ſcrib. Matiena: ſed leg. à Reati 24. *Stadijs, &c. Halicarn. lib.* 1.] non intellexit mentem Dionyſij.

* Λισσὸν] civitas novæ Epiri Hierocli. Hæc puto Η'λισσὸν in actis Concilij Epheſini Act. 1. unde Martyrius *Eliſtrenſis* Epiſcopus.

Litarbis] *Litarba* Iulianus Apoſt. epiſt. 27. qui Λίταρβα neutro plurali vocat.

Lithbada] *Lituania*. *Littou.*

Lithbunum] eadem cum præcedenti.

Lobitzum, etc. apud Cedrenum] pag. 643.

Lobrini, etc. in Phrygia] aut locus Cyzici [*unde Rhea Lobrina Nicand. Schol.*] ad principium Alexipharm. ubi duos ait eſſe montes *Cyzici Didymum* & *Lobrinum*.

Locri, etc.] hæc verba *Hos Dionyſius Afer cognominat Zephyrios, eoſque ad Atlanticum deſcribit Oceanum*, delenda. Eſt n. ineptus error: nam apud Dionyſ. v. 29. Λοκρὸς eſt Epitheton Zephyri, unde gentis nomen confingit Ortelius: nam Dionyſius cum *Locros* in Italia *Epizephyrios* cognominari ſciret, vice verſa *Zephyrum Locrum* cognominavit, quàm bene, hic non diſputo.

* LOCVS IMPVDENTIÆ,] χῶρος ἀναιδείας circa Troadem. Vide Nicolai Dani excerpt.

cerpt. p. 442.

Lolliani fontis, &c.] Hunc fontem suo tempore detectum scribit Ligorius in regione piscinæ publicæ ad radices Cœlij montis.

Longini fossatum, &c.] βερσωνόκη] βερσωνόδη puto ibi legendum qui δ pro κ in ms. accedit ad similitudinem x. literæ.

Lotophagites, &c. Girba appellari crediderim] & sic Chronic. Alexandrinum pag. 78. Γῆρβα ἡ νῦν καλουμένη Μιδίγλα.

Lubra] *Rubra* sive *Rubræ* vero nomine olim dicebantur IX. ab Vrbe milliario, circa Primam portam.

Luceolum] *Luceoli* [*habet Diaconus*] & Anastasius Bibliothecarius. Cluverius eum locum *Ad Ensem* quoque dictum putat.

Lucimagnensis Episcop.] oppidum ipsum *Lucus magnus*.

* LVCRETIVS pagus in Arelatensi ditione. Vide inscript. antiq. apud Sirmondum ad Tom. I. Concil. Gall. p. 595.

Luculli horti, etc. hodie vulgus Cento Camerelle] Id falsum: nam Phædrus in Fab. ostendit fuisse sitos in loco edito in Miseno monte, qui Misenensem villam vocat, aitque eam prospicere Tyrrhenũ & Siculum mare; sed Ortelius *Lucullianos hortos* villam & Collem male distinguit, cum omnia

ita

ita fuerint conjuncta.

Lucus] Steph. v. ὕλη ait fuisse ὕλλω Sylvam sive lucum inter Sabinorum & Romanorum civitatem; puto eum hunc lucum intelligere.

Lucus Augusti, etc. Hispaniæ urbs apud Antonin in Germania superiori] in Tribocis, ut eadem inscriptio docet, quæ corrupta legitur apud Gruterum pag. 850.

LVCVS MINERVAE, locus agri Brixiensis in veteri lapide, nunc *Manorbio*. Octav. Rossi pag. 193.

Luerionis] Hæc ex conjectura Casauboni: nam textus Strabonis corruptus est, in quo emendando viri docti varie se torquent, id certum est, eandem hic intelligi civitatem à Strabone, quam *Acusionem* Ptolemæus vocat; Si Casauboni emendatio aliquo probati auctoris testimonio niteretur, esset hoc *Liuron* oppidum ad dextram ripam Dramæ amnis, atque ita simpliciter legere mallem Λιυάεφνα sine ulla ferme literarum mutatione, vel potius Λιυαείωνα, atque ita paulo inferius pro Δρείωνα etiam scribendum. Sane ut *Liuron* antiquum locum existimem faciunt cætera civitatum provinciæ nomina antiqua eodem modo formata [In fine: *idem supra*. scrib. *infra*.

Lu-

Luſius, etc. in verbo Ἄλφειος] ex Polybio lib. 16.

Lycariſus, etc.] habetur in collectione Geographiæ ad Conſtantinum Porphyrogenitum.

Lycaſtus, etc.] legitur v. *χαδισία*.

Lycon] Λυκὼ vocatur ab Eunapio in vita Plotini, ſic n. hæc nomina vulgo formabãtur. Vide ſupra v. *Cyno*, nec opus eſt Iunij emendatione. [*Strabo et Steph. habent* Λικῶν] ſcribend. Λυκῶν πόλις; ſic Λεον τὸ πολις, Λεον τὸ in Notitia ms. provinciarum, ſic Ἱερὸ apud Steph. quæ Straboni alijsque *Hieronpolis*.

Lycormas, etc. Centaureum ſcio eum cognominari à Statio 4. Theb.] Vide Philoſt. in imaginib. pag. 862.

Lycus, etc. Lycus in Macedonia] Hinc puto Λύκειον Thucyd. unde Λυκειακὴ.

Lydda] fuit civitas Epiſcopalis, ut apparet ex ſubſcriptionibus Concilij Chalcedonenſis Act. 1. ſed ibi duo diverſi ſunt Epiſcopi Λύδδων, & Λύδδης.

* ΛΥΡΒΕΙΤΩΝ habetur in nummo P. Lic. Valeriani in Collectione manuſcripta Æneæ Vici apud Caſſ. Puteum.

Lyrneſſus, etc. ſcribit. Heſychius Lyrneſum.] qui & *Tenedum* ſic dictam affirmat.

M

* MAAĎENI. Vide *Madenam*.

Macella] ms. legunt Μάκαλλα, ut apud Lycophronem, idque rectissime, & ita restituendum apud Aristotelem Θαυμ. ἀκ. c. 115. ubi Μαλακὰ nunc legitur, qui rectissime prodidit eam CXX. stadijs, hoc est XV. m. passuũ à Crotone distare. iror Ph. Cluverium hunc locum in Italiæ descriptione omisisse. Est & Siciliæ locus Μάκελα, quam Athenio fugitivorum Dux munivit, & inde in Mamertinorum agrum excurrebat, teste Dione in Excerptis pag. 637.

* Μακρέμβολα nescio quis locus, unde Eumathius Μακρεμβολίτης, qui de Ismenes & Ismenij amoribus scripsit; nam ita auctor ille vocatur in ms. Cardinalis Barberini.

* Μάκρης Episcopus sub P. CP. legitur in iure Græco Rom. pag. 15.

Macrobios] apud Athenæum lib. 13. pag. 566. ex Dione commemorantur οἱ Ἀθίοπες καλούμενοι Αἰγύπτιοι, qui ijdem haud dubie cum Macrobijs, nisi error subsit & Ἄλαπες legend.

Macrocephali Μακροκέφαλοι *Colchis vicini populi sunt apud Harpocrationem, etc.*] ita locus hic

hic emendandus.

Macrontichos, etc. Suidas in Ἀναξάσι.] & v. Τεῖχ. μακρόν.

Macynia.] Μακυνίον, & Μακυνών quoque dicitur. Fuit caſtellum arduo & difficillimo loco ſitum, expugnatum à Philippo, de quo extat Epigramma Alcæi lib. 1. Epigr. pag. 15. ubi Interpres Latinus ineptit.

Madaura, etc.] P. Ligorius credit nunc *Oran* dici.

Madenam, etc.] *Maadeni*, Nonnoſo apud Photium cap. 3. *Mardeni* Steph.

Madiſanites, etc. ob Meſſenam inſulam] Ammianus Marcell. lib. 24. *Meſenen* vocat ad mare magnum, hoc eſt ſinum Perſicum ſitam. Strabo quoque libro XI. Μεσηνῆν Suſianæ regionem habet.

* MAGAN. Vicus Serdiæ regionis in veteri lapide apud Capaccium Hiſtor. Neap. pag. 331.

* MAGVLIENSIS MASSA via Nomentana milliar. plus minus XI. D. Gregor. M. lib. 5. epiſt. 44.

Maguſæi, etc. Euſeb. 6. præpar.] cap. 10. ex Bardeſane Syro & Baſilio M. epiſt. 325.

Maiores populi, etc.] Ineptum hoc. *Thermenſes Majores* vocantur ad diſtinctionem *minorum*: erant enim duo oppida ejuſdem nominis. Vide infra v. *Termiſſus*. Sic

Lepte

Lepte Majus & Minus. Sic *Tuburbum* in Africa, & *Vci majus & minus*.

Malaca, etc. in Phavorini Lexico] ex Aristotele Θαυμ. ἀκουσμ. §. 115. est Μάκυλλα Lycophr. & Steph. nam ita ms. etiam legunt pro Μάκυβλα.

Malicum, etc. Volo, Theveto] est *Pagaseticus sinus*.

Malli, etc. Circa Indi fluminis originem] Hoc falsum; habitabant enim circa Hydraotem fluvium.

Mallia] legendum *Nalia*. Vide Stephanum v. Μῆλος.

Maluntem, etc.] non intellexit declinationem Græcorum.

* MANDANAVCENSIS Episcopatus circa Venetias in epist. 18. Ioann. VIII. nescio an *Medoacensis*, nam epist. 25. vocatur *Matemautensis*, vide infra *Methamaucum*.

* Μανδεσῶν Episcopus legitur in subscript. Synodicæ Gennadij Patr. CP. tom. 1. Iuris Græco Rom. pag. 189.

Mantiana, etc. van vocant] nam hoc oppidum lacui Actamar imminet.

Mantzicierte] Sic Constant. Porphyrog. de administ. Imp. cap. 44.

Maracanda, etc. Maracadartos] Μαρακανδάρτης vocat Plutarchus lib. 1. de Fort. Alexand. pag. 327. lib. 2. pag. 341. ἐν

Μαλλοῖς vitioſiſſime legitur, ubi eadem Hiſtoria bis refertur : eadem pagina Μαιρήναδα deinde vocatur .

* MARAPHII . Perſica gens Herodot. lib. 1. & Steph.

Marathuſa, etc.] *Camorathuſa* ms. Melæ.

* MARCAEVS . mons agri Trojani iuxta *Gergithem* oppidum .

Marcellam] *Vercilla* legend. [*Caſtri Marcellorum*] vide Nicephorum P. comp. Hiſtor. pag. 207.

Marcellianenſis, etc. Hiſt. Miſcellæ] pag. 680.

Marcia, etc. Coloniam facit Onuphrius] & ſic Rodericus Carus antiquit. Hiſpal. lib. 3. cap. 51.

* MARCIANA, civitas Epiſcopalis Lyciæ in Notitia Sedis Conſtantinop. & Leonis Imp. Eam à Marciano Imper. originem nomenque accepiſſe non dubito; unde in Iure Græco Rom. tom. 1. pag. 190. ſub Gennadio Patr. CP. Auguſtinus νέας Μαρκιανῆς Epiſcopus legitur, puta quia recens tunc fuerat extructa .

Mardaitæ] hoc puto eſſe *Maronitas* .

Mardi] *Mardienſis Campus* Thraciæ in excerptis Ammiani Marcell. pag. 474.

* MARDONES, Epirotica gens Steph.

Mardus] diſtinguendus omnino *Mar dus*

ſive *Amardus* fluvius à *Margo* : ille enim juxta Cluſios fluit , ſed *Margus* in Margiana .

Mare Rubrum , &c. ſinui Maris Rubri applicuimus] error Interpretis . [*An eum ſinum velit , &c.*] hoc certiſſimum .

Maredeſſum] Edeſſe nummus eſt .

Margum] *Margus* in excerpt. Legat. fuit civitas Epiſcopalis . [*Margum pro flumine agnoſcunt, &c. Æthicus*] & tab. Peutinger.

Marianduni , etc. Mariandunum regio] leg. *Mariandunia* .

Marinus Lacus , etc.] expungendus ; infinitos enim alios commemorat .

* MARMANIA villa in pago Alhenſe Lingonenſis parochiæ . Ioan. PP. VIII. epiſtol. 96.

Marmarium , etc. Marbarium] ex mala ſcriptura poſteriorum Græcorum , qui υ , & μ confundunt .

Maron] Μάρων mons Heſych.

Marſaqueus] MARSAQVIO Ligor.

Marſias , etc. Alius Marſyas] *Marſyas* hic poſtea *Aſopus* dictus videtur . Vide Philoſtrati iunioris Icones pag. 837. ubi pro Παρσίᾳ legendum Μαρσύᾳ .

Martha , etc. non eſt fluv. nomen] eſt omnino fluvius , qui viam Aureliam interſecat .

Martianopolis] ponend. ſup. *Marcianopolis*. [*ad Pontum Euxinum*] falſum. Eſt nunc quoq; celebris civitas Bulgaris *Preſlavv* dicta quaſi civitas illuſtris, Turci Conſtantinopolim veterem vocant. In nummo Caracallæ apud F. Gotofred. MAPKIANOΠOΛEITΩN legitur in alio Severi Alexandri circa ſerpentem tortuoſum ΤΛΦΗΣ ΤΟΥ MAPKIANOΠOΛEITΩN.

Martis] fuit civitas Epiſcopalis Daciæ Ripenſis. Hierocl. apud Procop. de ædific. Iuſtin. corrupte *Stramartis*.

* MARTVRANVM, Tuſciæ ſuburbicariæ oppidum in donatione Ludovici Pij, quod nunc *Barberano*, ut ex ordine locorum apparet.

Martyropolis] diſtat 15. mil.paſs. à Fontibus Tigris Notit. Epiſcop.

Maruvium, etc. Marno] ſunt duo diverſa loca, hic ad lacum Velinum, alter ad Fucinum: prior ille nunc *Morrò* dicitur. Marſorum civitas plane extincta eſt prope piſcinam.

* MASCALAE, locus Siciliæ, ubi *Monaſterium S. Andreæ ſuper Maſcalas* commemoratur D. Greg. lib. 3. epiſt. 57. fuit in Tauromenitana Diœceſi.

Maſoga, etc. Aſſacani regia.] Apud Strab. lib. 15. pro εἶθ' ὁ Ἀσακανὸς leg. Ἀσακανή.

Addit

Addit enim ſtatim ὅπως τὸ βασίλειον τῆς χώρας. Vbi expreſſe oſtendit ſe non de principe aliquo, ſed de regione locutum.

Marsij Perſica gens] Herodotus lib. 1. & ex eo Steph.

Maſſa, etc. Lamnas territorij Cartiolani] leg. *Carſeol.* extat in Tabula Peutingeriana.

Maſſilia, etc. Athenopolim] forte *Antipolin* ſomniat.

Maſtira, etc. apud Demoſthenem] Harpocration.

Maſtramelle] Stephano oppidum & ſtagnum Galliæ, & ſic quoque legendum apud Plinium.

Mateolani] oppidum *Mateola* nunc *Matera*.

Mattiacum, etc. Mattiacos fontes] vulgo *Vveiſbaden.*

Matylus, etc. Magydus] ita in veteri Notitia Μάγιδο in edita Leonis Imper. ὁ Μαγιδίς.

* MAVRECIVM. Vide *Myricium*.

Maurianenſis Epiſc.] *Mauriennam* urbem vocat Greg. Turon. Mirac. lib. 1. cap. 14. & ad Taurinenſem urbem prius pertinuiſſe refert. Ibidem miraculum de digito S. Ioannis Baptiſtæ, unde nunc oppido nomen.

Mazaca, etc. in Cappadocia oppidum.] Sic Vitruv. l. 8. c. 3. [*Cæsarea etiam dicitur*] ita Cæsarea πρὸς τῷ Ἀργαίῳ dicitur Palladio Histor. Lausiacæ c. 86.

* MEDIA, Μηδία, civitas Thraciæ aut Mœsiæ inferioris maritima ad Pontum, cujus meminit Nicephor. Patriarcha in Comp. Hist. p. 208. & Cedren. pag. 382. Miscella pag. 698. *Mœsiam* male vertit, quam & Vvolfius sequitur.

Media Μηδία, *etc. Cedrenus*] pag. 634. [*eam Aspracam, etc. nuncupat.* [Βασπραναν] Βασπαρανανὰ Constant. Porphyrog. pag. 139. de admin. Imp. ubi male Βασπαρανικὰ editur.

[*Medmasus*] legend. Μέδμασα apud Steph.

Megalepolis] alij distinctis vocibus μεγάλη πόλις scribunt; alij una composita Μεγαλόπολις [*Lyciæ Insula sic dicta Steph.*] falsum μεγάλη νῆσος ait Steph. vocabatur, quæ nunc *Lycias*. est illa quam paulo ante commemorat ex Steph.

* MEGARMITANÆ Ecclesiæ sive Aquensis in Africa meminit subscriptio libelli Leporij.

Megasa,] delenda sunt hæc verba. *In qua Aroteres* ἀροτῆρες *et Sitophagi* σιτοφάγοι.

Melanchlæni] Stephanus tantùm Scythicam

cam gentem vocat.

Μύκαλις ὄρεων,] mons sive jugum sive promontorium videtur prope Mycenas apud Nicand. Alexiph. p. 136.

Meldita, &c.] Plinio & alijs *Melzita*.

Melesobe, &c. in responsis Patriarch. Orientalium.] Et apud Theophylactum epist. 32. ubi Μαλεσόβη legitur, vulgo nunc *Milesevo in Servia*, & habetur in tabulis Geographicis ad gradum latit. 44. longitud. 45.

MELIA fons Thebis ad Ismenium fanum, cujus meminit Pindari Schol. Pyth. 11. p. 318.

Meliunta locum habet Strabo] pag. 613. Locus corruptus, forte legendum. Μιμαντία nam hic mons Erythris imminebat; & Pausanias refert Erythris Herculis templum splendidum fuisse, ut non sint quærendæ aliæ Erythræ.

Melos, &c. inter Halicarnassum & Melon] legend. & *Myndum*.

Melzitanum oppidum] Meldita Ptolem.

Mendus.] Sic quoque ms. Eunapius in Maximo pag. 69. Μένδης legit pro Μιλήσιος.

Menine] omnino existimo esse Mens [*quidam volunt esse Muræ, &c.*] id mihi nequaquam videtur, quia Ptolemæus eas ab Rhodano remotas scribit.

Menoba] vide Rodericum Carum antiquit. Hiſpal. lib. 3. c. 7.

Menoida] In Concil. Chalced. Act. 1. legitur Zoſimus Μηνοείδης *Mènoidæ*, vel ut ms. *Minoidenæ* civitatis Epiſcopus.

* MERSELLA, locus Pannoniæ Itinerario Hieroſolymitano, qui *Murſella* Ptolem. & alijs. *Murſa minor* Tab. Peutinger. quæ x. paſſ. mil. *Murſa majore* diſtat, nec dubium quin hinc quoque *Murſella* corrigendum.

Merula, &c. Conta] leg. *Cento* & ſic Cluver. vulgo *Centa*. [*Lemuris fortè*] Plane contra ſenſum tabulæ, ex qua perſpicuè apparet *Lemurin* eſſe fluvium, qui ſub Voltaggio fluit, & vulgo nunc *Lemo* dicitur.

* MERVLANA domus Romæ regione 3. juxta quam Eccleſia S. Severini Greg. M. lib. 3. epiſt. 19.

Meſchia, &c.] *Meſchorum* hic quoque meminit Procopius lib. 3. Gotthi, & *Meſchiorum* Conſtantin. Porphyrog. de adminiſt. Imp. & Cedrenus pag. 636.

* Μεσομφαλία vocabatur meditullium Delphorum; ipſa vero civitas umbilicus erat aut credebatur orbis terrarum Heſych. Hinc Euripides apud Clement. Alexandrinum in Protreptico de Apolline

ἰς μεσομφάλυς ἕδρας νάσει.

* Μεσοθυνία quasi pars aut vicina regio Bithyniæ adjungitur à Georgio Logotheta pag. 74.

Messua, &c.] *Missua* & *Messua* apud Procopium.

Mestus] Sic omnes manuscripti codices constanter legunt, teste Salmasio ad Solinum, & in nummo Caracallæ *Nicopolis ad Mestum* legitur.

Metachœum, &c. Item Metachœrum] verba corrupta Stephani.

Metagonium, &c.] diversum est *Metagonium* Pomp. Melæ ab illo quod Ptolemæus & Strabo commemorant, quod nunc *Capo de tres forcas*: nam illud Hipponi regio vicinum post Ampsagam fluv. unde Africa propriè dicta incipit Ἑπτὸν, Straboni Τίτον dicitur, nunc vulgo *Capo di ferro*: neque solius Pomponij Melæ hæc est opinio, sed eamdem fuisse Timosthenis sententiam ex Strabone apparet: nam cum ipse ex Posidonij mente prodat *Metagonium* oppositum esse Carthagini novæ, addit deinde Timosthenem non recte affirmare id contra Massiliam jacere, atqui nunc constat ex optimis tabulis nauticis dictum *Capo de ferro* Massiliæ ferme è Diametro oppositum esse. Idem igitur

Me-

Metagonium Timosthenis & Melæ.

Metanœa.] erat asceterium pœnitentium mulierum, quod nomen habuit à celebri Monasterio Alexandrino in suburbio Campo, cujus mentio in actis Concilij Chalcedonensis Act. 3. & in præfatione ad regulam.

Methamaucum] Hinc Matemautensis Episcopus epist. 25. Ioannis PP. VIII. qui epistola 18. male *Mandenaucensis* dicitur.

Methuriades, μθυριάδες Insulæ] scribend. *Methuria μθυρία* Insula.

* METIANAE civitas Episcopalis Cappadociæ sub metropoli Mociisso in Notitia Leonis Imperatoris.

Metracha] erat Metropolis *Zicchia*, ipsum vero oppidum erat circa ostium Mœotidis. Constant. Porphyr. qui *ταμάχα* præposito articulo vocat, in Notitia Leonis *Matracha*, quod verum est nomen.

* MICATINI NOMADES *Οἱ τῶν Μικατανῶν Νομάδων ἔθνος* in excerptis Diodori pag. 282.

Midea, &c.] est & alia Lyciæ, eodem (Stephano) teste.

Migirpa, &c.] in catalogo Episcop. Africæ *Migirpensis*.

* MI-

* MILENGI, Sclavica gens Spartanam regionem Peloponneſi incolens. Conſtant. Porphyrog. de adminiſtr. Imper.

Mimalces, &c. Mimaci] Μίμακες, uti Anomym. Geograph. ms. nam Ptolem. Μιμάκων in genitivo plurali ſcribit.

Milto Seleucus, etc. Mons Seleucus] inter Vapineum & Diam Vocontiorum.

Miltus, &c. in ſinu Perſico Ptol.] Inſignis error Interpretum, qui pro colore minij oppidum nobis ſubſtituunt.

* MINDINIANI, gens prope Perſidem Menandro Protectori except. Legat. pag. 109.

Minio, &c. Mugone] Minione ſeu Migrone nunc dicitur. [*Cæritis amnis vocatur*] hoc falſum.

Minnæi, &c. Sic quoque Ptolem.] & Agatharchides cap. 44.

Miſcera Sicaniæ] puto legendum *Sithoniæ*, ut ſit *Miſcela* Melæ & Plinij, unde *Phyſcelam* correctores faciunt.

* MISENENSIS VILLA, Luculli in Miſeno monte, poſtea Tiberij Imp. Phæd. in Fab.

Mnizum] *Minizi* Epiſcopus legitur in Concilio Chalced. Act. 6. Græce Μνίζης.

Moaben, &c. in Lyborum regione] leg. *in Lybium regione*.

Moa-

Moabitæ] ex Moab filio Loth. Ioſephus lib. 1. c. 22. Cæleſeriæ gentem affirmat.

Mociſus, &c. Muciſſus.] Hanc Iuſtinianus reſtauravit, & Metropolin fecit Cappadociæ 2. nomen quoque Iuſtinianopolis dedit.

Modrena Bithyniæ urbs] Notit. Leonis.

Modrimen] eſt eadem cum ſuperiori.

Mœſia, &c. Mœſiam minorem Scythiam nuncup. &c.] diſtinguunt excerpta Ammiani Marcell. pag. 474.

Monettium Μονήτιον] ſcrib. Monetium, Μονήτιον.

Mons Peſſulus.] Vide infra v. *Sextatio.*

Mons Seleuci. Vide Miltoſeleucus] & *Muſtum Seleuci.*

Mopſocrene, vide Hemopſoneſtia] quæ huc transferenda.

* MOSOMAGENSIS Eccleſia ad Rhemenſem Epiſcopatum pertinebat. Vide epiſtolam Remigij tom. 1. Concil. Gall. pag. 205.

Mullicienſis, &c. An Hiſpaniæ?] ita ex loco ipſo perſpicue apparet.

Murconenſis] infra *Nurconenſis.*

* MVRGVLI, locus Colchidis apud Conſtant. Porphyrog. de adminiſt. Imperij.

* MVRSA MAIOR, ET MVRSA MINOR

x. mil. paſs. diſcreta in tabula Peutingeri habentur.

Murſa et Murſia, &c. circa Dravi confluentia] Iulianus Imp. Orat. 2. pag. 110. & 11. [*Murſa Ioniæ*] leg. *Pannoniæ*.

Murſella, &c.] hæc Tabula Peuting. *Murſa minor*.

Murtius, &c. Margus quidam Eutropij codex habet] & ſic Vopiſci ms. & veteres editiones habere teſtatur Salmaſius.

Muſicani, &c. hodie Malaca] ſed Strabo cæterique auctores eam Indiæ non adeo ad auſtrum producebant. [*Coniacos, &c.*] an non hi potius à Corij promontorio?

* MVSTINAE ſive ὁ Μυσίνης Epiſcopus in Lycia ſub Sardienſi Metropolita in Notitia Epiſcop. Leonis Imp. edita & mss.

* MVSTVM SELEVCVM, locum circa Galliam commemorat Chron. Alexandr. pag. 680., ubi Magnentius poſtremùm victus fuit à Conſtantio Auguſto ſup. v. *Mons Seleuci*.

Mutalaſca] *Mutalaſſa*.

* MVTILA mons in Sabinis. Frontin. de qual. agr.

Mutugenna, oppidum Epiſcopale, ut ex collatione Carthag. apparet. paulo ſuperius.

Mu-

Mutuſcæ, &c. Trevi hodie] *Monte Leone.* [*Mutuſcæ nunc appellantur Trevi*] hoc falſiſſimum eſt *Monte Leone* in Sabinis uti inſcriptiones teſtantur ibidem repertæ.

Myliſin] corruptus locus, leg. Μυλιεῖς.

* MYRICIVM, Galatiæ oppidum Epiſcopale in Notitia Græca & Hieroclis Μυρικιῶν, qui & aliud Μυρικήιον ibidem commemorat.

Myriocephalum, &c.] meminit etiam Conſtant. Porphyr. de adminiſt. Imp. inter Galatiam & Cappadociam.

Myron, &c. facile crediderim eumdem eſſe cum Limyra] falſum. Vide Conſtantinum Porphyrog. lib. 1. Themat.

Myropolon, iuxta Thermopylas] Imo longe inde diſtare ex ipſo Procopij loco apparet, qui in Illyrico ponit.

Mytilene, vide Mitylene] quæ hic rectius ponenda.

N

Nacraſa] legendum *Acraſa*; Hierocli *Acraſſos*.

* NAISVS Civitas Daciæ mediterraneæ Hierocli in Notit. Prov. Conſtantini Magni patria, eam alij alijs temporibus in Mœſia vel Dardania ponunt. Vide infra ad

ad v. *Neſtus*: nam varie corruptum legitur hoc nomen paſſim. Sic lex. ult. Cod. de dolo malo data fuit à Conſtantino A *Neſſo* ut vulgo legitur pro *Naiſſa*: nam Codex Theod. *Naſſo* legit.

Napitiam] NAPETINÆI v. Vocantur oppidani in antiq inſcript. apud Gruterum P. Ligorius in antiquo nummo ſe legiſſe ſcribit NAΠEITINΩN.

Narcaſus &c.] NAPKA ΕΩΝ nummum profert P. Ligorius cum templo Apollinis figuræ rotundæ, in quo ipſe Apollo viſitur cum lyra; ab altera parte effigies Auguſti Cæſaris.

* NARMALCHA fluvius circa Babylonem Ammiano Marcell. qui *Armacales* Euſebio præparat. Evang. lib. 9. cap. 41. Vide *Euphrates*.

Naron] à *Narona* colonia ad Naronem fluvium ijdem *Arentani*, vel potius *Narentani* Conſtantino Porphyr. de admin. Imper. cap. 36. cui urbs ipſa *Arenta*, quæ rectius *Narenta*, ut nunc vulgo dicitur.

Narthecium, &c.] Plutarch. in Apophth. Lac.

Natho] vide ſupra v. *Athos* locum Euſebij corruptum.

Naxuana, &c.] Naſſivan nunc dicitur.

Nea-

Neapolis, &c. Phalerum vocatam] Flavia Neapolis Syriæ Palæſtinæ patria Iuſtini Philoſophi, cujus ipſe meminit in Apologia; hæc φλαυιόπολις Σαμαρείων in Goltzij nummis, vide ſupra v. *Flavia* [*Ptolem. præterea Neap. eſt in Piſidia* :] Notit. Hieroclis, [Neapolis ad ἀνάζαρκον] ſup. v. *Anaſartha* in ms. Florentino vocatur *Neapolis* πρὸς τῷ ταρσῷ.

Nearti] locus corruptus.

* NEAVLA, Aſiæ propriæ civitas Epiſcopalis Hierocli & Concil. Chalced. Act. 6.

Nebriſſa.] Apud Strabonem hæc vox corrupta: nam lib. 3. pag. 140. ubi vulgo ἡ κὴ Ἄσσαν ἀνάχυσις κὴ ἀνάβρασις in ms. Cod. conſtanter legitur καὶ Νάβρασιν, unde ego omnino Νήβρισσαν legendum exiſtimo, vel Νάβεισσαν; nam ſic in veteri nummo Ti: Claudij Imp. ſcribitur teſte P. Ligorio. COLONIA. VENEREA. NABRISSA AVGVSTA.

Nemitzi, &c. ego pro Niemechis, &c. habeo] optime; ſic enim Poloni cæteriqui Slavi Germanos appellant.

Neocæſarea, &c. Alia eſt Syriæ Euphratenſis in lib. Notit. & Conciliis] & apud Procopium 2. ædific. [*eadem forte cum libri Notit.*] haud dubie.

* NE-

* NEPHELOCOCCYGIA, Fictitium urbis nomen apud Aristophan. in auib. & ex eo Stephanus.

Nepr. &c. ex Gordiani Imp. nummo] Ad Carras pertinet hic nummus, in quo scriptum fuit MHTP. KOA. KAPPHNΩN. Idem refertur supra v. *Col. Carrenorum*.

Nertobriga, &c. In Hispania Tarraconensi urbs] & sic ex Appiano Suidas v. *μεξιοπαγῶν*. *Ricla idem interpretatur*] & sic Ioannes Franciscus Andreas de patria S. Laurentij.

Nervios, &c. D. Paulinus meminit Nervici littoris ad Victric. Rhotom. Episcop.] epist. 20. Vide ibidem Front. Ducæi notas.

Nescania, &c.] Vide Rodericum Carum lib. 3. antiq. Hispal. cap. 64.

* NESIA, *νησία*. Insulæ Magnæ Græciæ civitas Episcopalis: hinc Basilius Episcopus *τῆς νησίων* in vij. Synodo legitur. Vulgo *l'Isola*

Nessus, &c. à Græcis Mestro] In omnibus mss. codd. Plinij, Solini & Marciani constanter. pro *Nestus* scribitur *Mestus*, ut notat Salmasius ad Solin. pag. 158. Sic in nummo Caracallæ Vlpia Nicopolis ΠΡΟC ΜΕCΤΟ quæ ad Nestum fluvium.

Nestus.] Naisus verum hujus loci nomen

men, quæ Conſtantini Imperatoris patria fuit, teſte Stephano, vidi in veteri nummo Romæ, *Naiſitani*, & ſic Stephanus. [*Neſtus urbs & fluv.*] diſtinguendus à *Naiſo* & *Neſto* ſeu *Neſſo* Thraciæ [*apud Steph.*] & Scylacem.

Netium, &c. at Neritum ſcribendum] Sed hanc emendationem Strabonis locus non admittit; erat enim hic locus in via Appia.

Nica Νίκη, &c.] Baſilius M. epiſt. 82. locus Arrianorum conciliabulo famoſus. [*Nicæa Plinio*] hujus luculenta extat deſcriptio apud Nicolaum Clemangis epiſt. 39.

Niconia νικονία Ponti urbs ad Iſtri] leg. Tyræ ex Strabone. [*Niconium Ptol. Mœſiæ inferioris, quod tamen paulo remotius, &c.*] imo ponit inter Hieraſum fluvium & Tyram, & ut Strabo, conjungit *Niconium*, *Ophiuſam* & *Tyram*: ut nullus ſit dubitandi locus.

* NIGEVNVS, locus Corſicæ apud S. Gregor. Mag. lib. 5. epiſt. 22.

* NILOMETRIVM putei nomen circa Nilum.

Niſates] Mons Armeniæ Stephano.

Miſæa, &c. Nigæa legit idem (Ptol.)] & ſic etiam ms. Pal. priori loco habent,

ſed

sed Isidorus Charac. quoque Νίσαια vocat: & Parthorum lingua Παραταίνισαν dictam ait.

Nistrææ, &c. apud Strabonem] idem cum *Nitria*.

Noba.] Hispaniæ citerioris oppidum. Epit. Liv. lib. 35. Hujus meminit nummus Augusti. NOBA. MVNICIP. AVG. ROMAN. Hoc est *Noba* seu *Nobanum municipium Augustum Romanum*, & in veteri lapide apud eumdem NOBANA. AVG.

Nobiliacum, &c.] Nobiliacense Monasterium apud. Greg. 7. epist. 73. huc pertinet.

Noega-Vcesia, &c. Mela tantum Noega habet] ms. Melæ *Noeta* & *Noeca*, legunt, estque eadem cum *Noeba* Plinij, fuit in sinu Coronnensi.

Nubæ, &c. Dabæi, &c. auctore Steph.] hoc non dicit Stephanus. [*Nubi*] error interpretis; *Nubæ* enim sunt, non autem *Nubi*.

Nuceria, &c. Hanc Luceriam appellant Plinius, &c.] In veteri nummo Fr. Gottifredi, inter radiolos rotæ legitur LOVCERIA.

Numeria, &c. populabundus ad Numeriam conuertit] *lo Nuceriam*.

* NVMIOSA locus Epiri veteris in vita S. Donati apud Mombritium.

Nurconenſis] ſup. v. *Murconenſis*.

Nymphius] Hiſt. Miſcel. l. 18.

Nyſſa, &c. hæc Ptolemæi] & Dicæarchi [*Niſa.*]

O

* OBANIANVM prædium Lucij Iunij Obanij via Oſtienſi ad 3. lapidem ab Vrbe ad ripam Tiberis, ut docet antiqua inſcriptio ibidem reperta. Pir. Ligor.

Obila, &c.] & nummus Tiberij Auguſti P. Ligor.

Obolion] vulgo *Vbeda*. P. Ligor. In nummo Auguſti vocatur municipium Romanorum teſte eodem,

Obotritæ, &c. Germaniæ populos] populus Sclavicus, qui eam Germaniæ oram inundavit, ut ex Hiſtoria patet, ſuntque haud dubie ijdem cum Abotritis de quibus ſupra. [*Obotritos*] ſuo tempore [*Kerегos.*]

Obucula] Antoninus inter Carmonam & Aſtigi ponit. Rodericus Carus lib. 3. antiq. Hiſpal. cap. 41. *Manclovam* nunc dici exiſtimat, cui ob eximiam horum locorum peritiam merito fides adhibenda eſt.

Obul-

Obulco.] De hoc loco vide Gutherium de Iure manium lib. 2. pag. 168.

Obulensij] *Obulenſes* vertend.

Ocbas, &c.] ex Evagrio Hiſt. Eccleſ. lib. 6. cap. 14.

* OCE, Ὄκη, vel Ὤκη, civitas provinciæ Helleſponti Epiſcopalis, ſub Cyzico Metropoli in Concil. Chalced. Act. 6. & Not. Provinc.

Ocelum, &c.] *Otaero*, ſive Otero, Caſtiliæ oppidum. P. Ligor.

* OCTAVIANVM, villa Octavij Imperatoris ſub Veſavo monte 5. m. p. Neapoli & 7. ab urbe Nola, ubi etiam mortuus eſt. Adhuc vulgo *Octaviano*. Hæc P. Ligor. puto ex conjectura, ſed ſatis probabili.

Octaviolca] legend. *Octaviola* ita nummus Auguſti OCTAVIOLA OLCA COL. FELIX. AVG. Tab. adverſa parte IMP. CÆSAR. AVGVSTVS cum facie Cæſaris Auguſti.

Octodurum] urbs poſtea dicta *Campus Gothorum* ab incolis Gothis teſte Creſcentio Bibliothecario Lateranenſi, nunc vulgo *Toro*, hæc P. Ligor.

Odeſſus] Thraciæ civitas ad Pontum Euxinum vel m. m. ut ex Artemidoro.

Oducia] Rodericus Carus antiquit.

Hiſpal. lib. 3. cap. 8.

Oea, &c. vide Oeea] Africæ civitas de qua vide *Ocea*, quæ huc transferenda. Fuit eò deducta Colonia Romanorum ab Antonino Pio, ut teſtatur nummus, in quo duo boves terram exarantes cum hac inſcriptione COLONIA ÆLIA ANTONINA OEA AVGVSTA.

Oeſcus] *Iſcus* apud Procopium 4. ædificior. *Oſcius* Thucydides infra hoc v. forte etiam *Oſmus* Cedreni; ſitus ſane convenit, & planities illa ad Iſtrum: *Iſch* hodie dicitur.

Oeſtros, &c. Ceſtrus eſt etiam Nicandro, quamvis hic eum Ciliciæ attribuat] Scholiaſtes tamen Pamphyliæ vel Ciliciæ dubiè vocat.

Oeſtrymnis, &c. Aut hallucinor, aut hoc promontorium eſt] eſt veriſſima hæc conjectura.

Oeta, &c.] ΟΙΤΟΣΚΥΡΟΣ Apollo & ΟΙΤΟΣΚΥΡΑ Dea in lapide antiquo reperta in exquilijs neſcio utrum à loco. P. Ligor.

Olapia, &c.] Item Ōlopia ſive ὁλωπία, inquit P. Ligorius, cujus meminere nummi Trajani, Philippi & Gordiani, ut idem ait.

Olarſo, &c.] vulgo dici ſcribit P. Ligorius

gorius & Oyarz.

Olbia, &c. *Pomponius Olbidam vocat*] ms. *Olbian* legit.

Olcachitis] vulgò Alcon, Pirrh. Ligor.

Olcades, &c. *Carthag. novæ vicinos facit Suidas*] leg. Heſych.

Oleanus loci nomen] leg. fluvij nomen. [Μίεζας.] forte ſic legendum apud Steph. v. Μίεζα, ubi legitur Ὄλγανον.

Olivula] Olivolenſis Epiſcopus in epiſt. 16. Ioann. VIII.

* OLMA locus Romæ ad ripam Tiberis prope Portam Portuenſem, ubi nunc campus Iudæorum, ubi effoſſa hæc inſcriptio OLMA DOMITIANA FIGLINA. P. Ligor.

Olmi Steph. &c. quæ ſuo tempore Seleucis vocabatur] falſum.

* OLMIA, nomen balnei Puteolani teſte inſcriptione veteri reperta à Diomede Caraffa loci illius Domino. P. Ligor.

Olmius, &c. *Bœotiæ fluvius eſt*] quod etiam ex Luciani citato loco apparet, qui Hippocrenæ eum adjungit, ut pote Muſis Sacrum.

* OLONTII populi Cretæ inſulæ, quorum fœdus cum Latijs nuper editum Venetijs ab oppido *Olonto*, vel potius *Olunte*.

Olura] Hinc ΟΛΥΡΑΤΩΝ nummus, qui

ab una parte caput Martis, ab altera Victoriam præfert, teſte Ligorio. Item alius ΟΛΥΡΑΣΑΙΩΝ cum effigie Pallidis ab una parte, & Iovis ab altera, quod nomen ex recto Ὀλύρας format Ligorius, neſcio quo auctore, & Cretę oppidum eſſe ait, ex Strabone lib. 9. Idem infra *Olyßa* dici videtur, unde ΟΛΥΣΣΑΙΩΝ nummus meminit, in quo Iovis effigies, & ab aduerſa parte Capra Amalthea.

Olybama, &c.] delend.

Olyſippo.] ΟΛΙΣΙΠΩΝ in nummo Auguſti apud Fr. Gottifredum legendum nova voce ὁλυσιππῶν. [Idem Plinius] ſic quoque inſcript. Gruteri 252. nu. 5. *Felicitas Iulia*, poſtea COLONIA MESSIA TRAIANA dicta; ut teſtatur nummus Trajani Imperatoris teſte P. Ligorio.

Ombrea] ΟΜΒΡΕΑΤΩΝ meminit nummus Trajani circa effigiem Iovis victoriam manu tenentis & innixi haſtæ. P. Ligor.

* Ὀνάρια Notitia Imperij Græca mss. vocat inſulas Siciliæ, quæ *Aſinelli* vulgo vocantur. Ὀνάριον, autem Aſinellum vocat, & Arrian. diſſert. lib. 2. cap. 24.

Onoba.] Roderic. Carus lib. 3. antiquit. Hiſpal. cap. 75. erudite diſſerit de Onoba, ejuſque ſitu, quam nunc *Gibraleon* vocari oſten.

oſtendit, olim *Luxturia* cognominata; quia inter *Luxiam Vriumque* ſita eſt, oſtendit ibidem apud Plinium male *Oſſanobam* ſcribi pro *Onoba*: ſunt enim diverſa oppida: nam *Oſſonaba*, nunc *Eſtombar* in Luſitania civitas olim Epiſcopalis. *Onoba* autem Antonini inter *Rubras* ſive *Cabeças rubias* & *Ilipam* nequaquam ad littus maris, & ſitum loci *Gibaleon* trahi poteſt; longius enim à mari diſtat.

Onogoris] *Oniguri*. Menandro Protectori in excerpt. Legat. qui cum *Zalis* conjungit.

Onoſartha] ſupra v. *Anaſartha*.

* ONYTESIA FIGLINA, ut in antiquis inſcriptionibus, ſeu vaſis legitur, fuit in Vaticano; in alijs legitur OPVS DOLEAR. FIGLINA. L. ALLI ONYTESI.

Ophir, &c. Σωφείρ] *Supara* Ptolem. *[& terram Auream] & Aoriam apud Euſeb. lib. 9. cap. 30. &c. Melanis*] in Ælanis. In fine. Poſt omnium divinationes, id certo tenendum, *Ophir* non fuiſſe aliam regionem ſeu locum præter σώπατρα Indiæ emporium celeberrimum Ptolemæi Arriani, & Coſmæ Indopleuſtæ, quod LXX. σώφιρα vel ζώφιρ. Apud Photium Cod. 52. Σωφαρηνῶν gentis Epiſcopi mentio extat, quod forte eodem referendum: nam religionem

gionem Christianam ijs locis iam olim floruisse ex Philostorgij Historia Eccles. constat.

Ophiusa, &c. in Balearico mari] Plinio & Melæ *Colubraria*, vulgo *Monte Colibre*, neque me movent Avieni fabulæ, qui *Ophiusum* Peloponneso comparat; quinimo plane diversa est Avieni *Ophiusa* à Balearicis insulis, quippe quæ septem dierum itinere ab ostio interni maris distat in Oceano externo sita.

Opis, &c. Arrian. 6. Alex.] & Herodotus lib. 1.

Opius, &c. Pityusa legunt Interp.] & mss. Græci.

Oppidoneum] In Græco Ptolemæi distincte legendum ὄππιδον νέον, quod est *Oppidum novum*.

Opulentia, &c.] est *Pollentia*.

* ORA SOLIS. Vide *Solis Ora*.

Orcelis] *Origuela* P. Ligorio.

Orestiades] Comanum Cappadociæ montem incolebant, teste Damascio de vita Isidori apud Photium, vide supra *Comana*.

Orethus la muraglia] *la Merella* P. Ligorio.

Orgadem, &c.] Harpocration v. Ὀργάς.

Oricum, &c. Ciliciæ urbem] Nicandri

Scholi

Schol. pag. 25. in Creta ponit; si vera est scriptura.

Orippo] vide supra *Hippo Caurasiarum*: nam apud Plinium quoque *Orippo*, *Caura*, *Siarum*. Leg. Rodericus Carus de antiquitat. Bætis urbis.

Orippo] autem nunc vulgo *Dos Hermanas* dicitur teste eodem Caro lib. 3. antiquit. Hispal. cap. 20.

Oritæ] Ὠρῖται vocantur Cedreno, qui cum Chorasmis Persidis regno tribuit pag. 633.

Ornithon, &c. inter Tyrum & Sydonem] Scylaci Straboni, &c.

Oroates Ptolem. Ruates] sed capite præcedenti bis legitur ὀρρατίδ, atque ita hic quoque emendandum.

* OROMOSCI, gens supra Alaniam. Menand. Protect. excerp. Legat. p. 109.

Orontes, &c. Tarsato] sic P. Ligorio.

Orospeda, &c.] *Sierra di Granada*. P. Ligor.

Orthosiada, &c.] est *Orthosias* Phænices.

* ΟΡΘΩΣΙΕΩΝ legitur nomen in nummo M. Aurelij Philosophi, & in duobus Trajani & Adriani apud M. Ducem.

Ortospana, &c. Carura] Κάβεα legit Interpres edit. Rom. unde Schickardus recte censet hanc esse hodie *Chabul*.

Osca,

Oſca, &c. ex nummis antiquis, &c.] P. Ligor. teſtatur ſe legiſſe C. V. V. OSCA, quod ipſe interpretatur COLONIA. QVINTA VICTRIX. OSCA.

Oſi, &c. eſt hæc in Suetico mari] oppoſita Livoniæ.

Oſmus, &c. apud Cedrenum.] pag. 643. non dubito quin ſit *Oeſcus* fluvius, vide ſupra hoc verbo.

Oßonaba] *Luſturia* cognomen eſt *Onabæ*, non *Oßonobæ*, ut male apud Plinium ſcribitur. Onoba *Gubalion*. *Oßonoba* autem *Eſtombar*. P. Ligorio *Silueira* [*ipſe Luſitanus Eſtombar*] & ſic Rodericus Carus.

Oſterlingi] ita vulgo appellant Saxones.

Oſtra, &c. urbs Senonum, &c. Ptol.] ejus veſtigia maxima viſuntur ſub *Monte novo* ad ripam Miſæ flu. qui iuxta Senogalliam in mare effluit.

Oſtracine] eam ut *ἀνυδρον* perſtringit Gregor. Nazianz. ep. 12.

Oſtrenus, &c. ὀξλω& eſt.] Puto iſthic *Ἀξλωὸς* legend. nam *Ἀξαι* erant inter Tigrim & Euphratem, an potius ex *Otryis* Phrygiæ de qua pag. ſequenti.

Othronus, &c. aut ſecundum alios Melitenæ, &c.] non aduertit locum Stephani eſſe corruptum.

Otryæ,

Otryæ, &c.] Ὀτρῦς in Concilijs & Notitijs Episcop.

Oxymum, &c. Saginensis Episcopalis Sedes] *Oxomensis* vel *Oximensis* Episcopatus, deinde *Sajos* translatus, ut notat P. Sirmondus ad Tom. 1. Concil. Gall. pag. 602.

Ozizalensis] Ὀζίζαλα, fuit locus, quem incolebat Amphilochius Cappadociæ vel Isauriæ, cujus meminit Gregor. Nazianz. ep. 12. qui inde ad se mitti petit. Gentile ὀζιζαλῶς, & epist. 163.

P

Pacti] an *Parici* Strabonis?

Pactyica Persiæ regio versus Aquilonem] imo Indiæ circa Indum fluvium, ut ex loco Herodoti apparet, si recte consideres.

Pacyris] ad hunc fluvium *Pasiris* oppidum à Ptolem. ponitur, quod hanc lectionem confirmare videtur.

Peoplæ Herod.] lib. 5.

Pestum, &c. Acropoli] falsum.

Petalia] πεταλία isthic scribitur infra hoc v.

Paganorum insulam] Vide Constantin. Porphyr. admin. Imper. c. 29.

* PAGVS LIVII, Vet. Lap. agri Brixiensis

ſis locus nunc *Bagolino* Octav. Roſſi pag. 193.

* PAGRI πάγροι, gens Hyrcanis vicina, ut apparet ex Arriano Alex. l. 3. pag. 69. ſed nomen haud dubie corruptum, legendumque *Tapori*.

* PALVCENSIS oppidum Sacaſtanę provinciæ Iſid. Characeno propę Drangianam.

* PALÆA etiam dicta fuit pars civitatis Antiochenæ, ut videre eſt apud Theodoretum Eccleſ. Hiſt. lib. 1. cap. 3.

Paleſtinæ, &c. Salutaris meminit lib. Notit.] habetur etiam in ſubſcript. Concil. Epheſini Act. 1. ubi Saidas Epiſcopus, Phænus δ Σαλθαείας ſive *Salutaris Palæſtinæ* legitur.

Palæviſca, &c. Palæbiſca Phavorino] & ſic Syneſio in textu Græco.

* PALLANVM locus ſive oppidum Italiæ in Frentanis in Itinerario Auguſtano Peutingerorum, ubi inter *Anxanum* & *Hiſtonium* ponitur 4. mil. paſ. ultra *Sangrum* 2. m. p. cis *Hiſtonium*, ego *Pollutrum* crederem: ſed inquirendum amplius à locorum iſtorum peritis.

Pallienſes] legendum *Allienſes*.

Pambeſtitana.] leg. *Lambeſitana* vide ſupra hoc v.

Pam-

Pammonia.] Παμμώνια ὄρη.

Pandataria, &c. Palmarola, &c. Palmaia] falsum hoc : nam *Palmarola*, *Palmaria*, Melæ, Plinio & Martiano dicitur, rectiùs esse dixeris quæ vulgo *S. Mariæ* dicuntur; altera vero Melæ *Phytoniam* esse crediderim, eam quæ vulgo dicitur *Ventotienę*.

Pandonia] Asiæ civitas.

Pannonia, & Savia, sive Ripensis] Hæc Σαβία, *Suavia* Procopio est lib. 1. Gotth. & populi *Suabi* pro *Savia* & *Sabi*.

* PONORMOS, insula prope Constantinopolim Chron. Marcell. Comn. an. 490.

Panormus] est Cyzici portus Apollon. Schol. gr. p. 46. in textu non habetur.

Pantalia] & *Petalia* Steph. infra v. *Pautalia*.

* PAPIRIANVS lacus in bullis Leonis IX. in Archivo S. Petri, qui vulgo *Lago di straccia cappa* conjunctus lacui Alleatino & Beccanensi inter vias Clodiam & Cassiam.

Pappa] forte idem locus cum Παῦλου Κώμη ut est in veteri inscriptione ad S. Paulum : nam ad Galatiam pertinere conijcio ex alia simili prolata supra ad vocem *Goloe*.

Parachoatra] apud Ptolem. lib. 6. cap. 2.

2. nomen hoc distinguendum, ubi Occidentalis Mediæ pars dicitur Τὸ παράδεισος ὄρος.

Paradamium] *Parada* A. Hirtio.

* PARÆPAPHITIS, regio Carmaniæ apud Ptolem. Drangianæ & Gedrosiæ proxima. Vnde ego in hoc nomine *Paræiacenen* illam Isidori Characeni latere existimo, quam ille eamdem cum *Sacastana* esse dicit: & *Sageſtan* hodie eodem situ visitur.

Parallus] παράλιος in Notitia mss.

* PARANASVS, Cappadociæ civitas Episcopalis in Notitia Leonis Imper. sub Metropoli *Mociſſo*. Sed alijs rectius *Parnasus* vel *Parnaſſus*.

Parasia, &c. Parasij] leg. Παρράσιοι utrobique.

PARASOPIA, regio circa Asopum Bœotiæ fluvium Steph. v. *Hyria*.

Paropaniſus, &c. Eodoa & Himaonum.] *Emodi & Imaus*.

Paropaniſus] idem cum superiori.

Parthenopolis, &c. in regione Europæa] In Thracia Parthenopolin ponit vetus inscriptio. [*Testis Chalced. Conc.*] Act. 1. sec. Βυρναλίων in Græcis.

Parthia, &c. Parthyæi. *Strabo eos non semel sic appellat l.* 2. sic & Arrianus in Alexand.

Pa-

Pasiris] forte *Pacyris*, ut fluvius quo alluitur.

Paternum] Paterni Episcopus erat Legatus ad VI. Synodum Constantinopolitanam ab Agathone Papa, & Synodo Romana, cujus in singulis Actionibus mentio.

Patricum] Habetur in donatione Ludoici Pij. Est autem *Patrica* sive Pratica di Campagna, à quo diversus est locus ille ad Numicium.

Patrocoli] ms. legunt Παζόκλε χαραξ, hic error ex abbreviatura ortus Πρό κλε pro Παζόκλε; ita enim semper Græci scribunt.

* Παζωνίδα, &c. locum vel regionem sub Parnasso in Phocide ponit Plutarchus in Sylla pag. 461.

Patycos mediterranea, &c. Paula est Gab. Barrio] atque hæc est maritima.

Patzinacæ] Vide Constant. Porphyrog. de administ. Imp. cap. 1.

Paulitalienser] est *Pautalienſis* infra v. *Pautalia*, & sic editio Sirmondi hoc loco legit.

Pautaliotarum] *Pautalia*, Daciæ mediterraneæ Civitas Hierocli cæterisque notitijs antiquis, unde *Pautaliotarum*, &c. Et sic apud Stephanum rescribendum ordo lite-

rarum docet, ubi nunc male Παταλία editum legimus. In duobus nummis antiquis Caracallæ *Ulpia* nomen ei tributum legi; ibi enim exſertè ſcriptum legitur ΟΥΛΠΙΑC ΠΑΤΤΑΛΙΑC. Supra v. *Pætalia*, *Pantalia*, & *Paulitalienſem*.

Paxæ] Plutarch. de defectu Oraculorũ.

Pedalium, *&c.*] Melæ Promontorium Cariæ: An *Pædaſium?*

Pedo] *Pedonenſium* populi plebs in Miſſali S. Ambroſij Tom. 1. Liturg.

Pamel.] pag. 438. ubi paſſus fuit S. Dalmatius Martyr. videtur fuiſſe in agro Ticinenſi] *Caſſiod.* 1. *Variar.*] ep. 36.

Pelagiæ, *&c. inſulæ ſunt numero quinque*] Πελαγίας inſulas eo loco vocat Ptolemæus *Coſſuram* & Melitam, & opponit alijs αἱ τῇ ἀφείκῃ θαλάσσῃ) nam illæ alto in pelago procul à terra jacent.

Pelaſgicus] hoc nomen corruptum pro *Pegaſiticus*.

Pella] hoc tempore vocatur τὰ παλατίσια, hoc eſt *parva palatia*, & eſt locus ſub ditione Beroœenſium, ubi quotidie marmora cum inſcriptionibus & regiarum ædium fundamenta effodiuntur, ubi incolæ Regiam Philippi & Alexandri fuiſſe credunt. Hæc à Critopulo habui. [*Ieniza Sophiano*] *Ianizza* eſt novum oppidum à Turcis primum

mum excitatum distans octo horarum itinere à Beroea, & Turcarum lingua idem significat quod civitas nova, ut affirmavit mihi Critopulus.

Pellana, &c. Plinio est Arcadiæ Vrbs] & Apollon. Scholiast. p. 9.

Peltuinum & [*Peltuinates, &c. Peltuini legit*] tabella ænea, &c. Gruter. 443. 6.

Pentacomia] fuit Castellum Syriæ Euphratensis apud Procop. 2. ædif.

Pentadactylus, &c. in S. Spiridionis vita] Mons etiam Poloponnesi supra Maleam. Constant. Porphyrog. de Administ. Imper.

Pentapolis, &c. in Asia minori est] erant quinque civitates Doridis *Lindus, Ialysus, Camiros, Cos, Cnidus*. Vide Scholiast. Theoc. ad Idyll. 17. p. 137. ubi male editur Ἄλυσος pro Ἰάλυσος. Vide Herodot. lib. 1. c. 144. Cæterum alterius quoque *Pentapolis* regionis in Italia circa Anconem meminit Nicephorus Patr. CP. in Compendio Hist. & ex eo Historia Miscella lib. Ejus civitates in VI. Synodo CP. Act. 4 commemorantur. *Ariminum, Pisaurum, Phanum, Nomana, Auximum* & *Ancona*. Alias commemorat Rubeus in Histor. Ravennatium. Crevit postea numerus fœderatarum civitatum usque ad denarium numerum, unde *Decapolis* tunc appellata fuit. Vide supra hoc v.

* PENTVMA locus ad Montem Soracte, cujus mentio apud Gregor. M. lib. 3. ep. 50. & in Dialogis, ubi de S. Nonnoſo Abbate.

Pentri] meminit horum Dionyſius Halicarn. in excerpt. lib.

Pepere] ms. recte Περπέρη apud Ptolem. quæ *Perperene* Straboni & Plinio, & *Parparon* Steph. Ejus loci vinum laudatum Plinio & Galeno, poſtea *Theodoſiopolis* dicta. Vnde in veteri Notit. Epiſcop. ὁ Θεοδοσιουπόλεως ἤτοι περπερείνης ſub Epheſo.

Pergus, &c. Percus habet Firmicus] libello de errore prof. Relig.

* Περικώμης Epiſcopus in Lydia ſub Sardienſi Metropolita, eadem alio nomine *Aureliopolis* dicta Notit. Epiſcop. Leonis Imper.

Periconneſus, &c.] ſcrib. *Proconneſus*.

Perrhæbi, &c. Ætoliæ populi apud Plin.] Appiano Illyrica gens à Perrhæbo Illyrij filio ſic dicta.

Petelia, &c. Strongili] hoc verum ex antiquis Inſcriptionibus ibidem repertis conſtat. [*non Policaſtro quod in Lucanis, &c.*] ſed *Policaſtrum* Barrij eſt inter S. Severinum, & Bel caſtrum.

Petovio] Volpia *Petavio* vocatur in veteri inſcriptione apud Cardinalem Barberi-

rinum. C. IVLIO. C. F. PETAVIONE. &c.

Petra, &c.] *oppidum in agro Piceni*] *Pietra lata vulgo, corrupto vulgus nomine Bretinorum appellat*] alibi *Petram pertusam* appellat, ubi angustias, vulgo *Furlo* dictas graphice depingit Procopius Gotth. 4. [*Procopius 2. Persicorum*] civitatem à Iustiniano factam testatur idem 3. ædificior.

Petrodava] Opilius situm fuisse existimat, ubi nunc *Pedrodan* pagus Vvalachorum in Transilvania, quamvis *Zeugma* eo potius locos fuisse addubitat.

Phœcasia] *Fecussa* Bordonij in Insulario sub Naxo.

* PHÆNEBVTHIS pagus Panopolitæ nomi in Ægypto, patria Orapollinis Grammatici. Suidas v. Ὡραπόλλων.

Phæno, &c. Phinon] φινὼ LXX. [Ἐπίσκοπος Φαίνης.] Sic Act. 1. Concil. Chalced. Cajumas Episcopus *Phænus*.

Phalacrina, &c, Marius Victorinus] paulo sub civitate regali, haud procul à fontibus Velini.

Phaneas, &c. Paneas forte] falsum sup. *Phæno*.

Pharos] Vide quæ Eustath. notat ad Dionys. pag. 38. ex Lycophrone. [*Idothea speculam vocat*] sic ipse Dionysius Perieg.

v. 259.

Phaſis, &c. Boas circa fontem dici] quod tamen 3. Gotthic. rectius de Acampſi fluvio prodit.

Phatilanus] mons prope Melitenen Conſtant. Porphyrog.

Phauſiana] locus Epiſcopalis Sardiniæ, cujus meminit D. Greg. M. lib. 3. epiſt. 29. & lib. 9. epiſt. 1.

Phenneſus] Φεννήσιος, eſt gentile ex Pheno Græco more formatum, quod Latine Phenenſe, nam uno tantum n ſcribendum. Sed Nicephorus eodem capite mox Φέννηζον locum ipſum appellat, & ſic apud Theodoretum lib. 4. c. 2. unde Nicephorus hauſit.

Philadelphia, &c. D. Hieronym. in loc. Hebr.] Hinc Phyladelphena regio Epiph. hær. 58.

Philæ] eſt aliorum *Phila*.

Phile, &c.] regio Byzantij Pomp. Mela. [*Steph. Nicetas*] & alijs φινέα, quibuſdam etiam φινέα teſte eodem Steph. φιλία Scymnus & Ptolem. apud Arrianum corrupte φευγία in Hiſtoria Miſcella lib. 20. pag. 631. Aphilea neſcio an barbari interpretis vitio, an librariorum. Suidas Φιλαίας ſcribit per diphthongum: ait tamen in alijs exemplaribus rectiùs legi

φιλέας

φιλέας per ε & eundem locum φινέαν vocari.

Philia.] vox corrupta, legendum φίλα de qua supra ex Diodoro & Herodoto.

Philippi, &c. quæ olim Crenides] hic subjungenda quæ mox leguntur v. *Philippos*; nam eadem urbs est.

Philippos, &c. Hanc Ptolem.] errat Ptolemæus cum *Philippos* & *Philippopolim* diversas facit, & hanc cum Adrianopoli confundit.

Philippopolis] eadem cum Philippis. [*Trimontium*] manifestus error in Codicibus Ptolemæi, quo duæ civitates vicinæ quidem, sed tamen diversæ confunduntur. Sed ipsius Ptolemæi error est qui Philippos & Philippopolim diversas facit. [*Adrianopolis & Philippopolis duæ sunt urbes Sex. Rufo*] & alijs bonis auctoribus, &c. eadem cum Bostris.

Phocæa, &c. ad Plin. 5. cap. 30.] Sic Steph. & Scylax.

Phœnebythis] Φοινέβυθις per αι scribit Suidas. Φρεβονίτιν fuisse Valentinum scribit Epiphanius, haud dubie diversa: neq; enim Πανοπολ nomus maritimus erat.

Phœnice, &c. Phæniciam Libanisiam] id est *Libanensis* [*Vrbs Epiri.*] fuit postea civitas Episcopalis, ut videre est ex subscript.

Concilij Chalcedon. Act. 1. ubi vetus versio malè habet *Phœniciæ Helladis*: neque enim Helladis erat, sed veteris Epiri, ut apparet ex Hierocle Grammatico.

Phœnicon,] locus vel regio Arabiæ, quam Saraceni incolebant. Nonnosus apud Phot. c. 3. Hunc Iustinianus Imperio Romano acquisivit teste Procopio lib. 5. ædificior. Hujus Phæniconis mentio extat apud Agatharchidem cap. 44. apud Photium pag. 1367. sed interpres non intelligens *Palmetam* vertit.

Pholoe, &c.] corruptum hoc nomen apud Philostratum iun. in icon. p. 862. ubi φιλόη pro φολόη male editur.

* Φόρκυνος Βῆσσα, locus Achaiæ à Phorcyne Deo marino sic dictus. Didymus in Odyss. v.

Phravone, &c.] ea huc transferenda. Dicitur & φραγωνὶς S. Athanasio & Notitijs Episcopatuum manuscriptis.

Phrygia, &c. Arriano locus Thraciæ] corrupte. φιλία legendum.

Phthenotes, &c. Goltzius] & Tristan. tom. 1. p. 692.

* PHVA, locus Ægypti Monasterijs celebris. Ad ejus loci Monachos scripsit Cyrillus. Vide Concilium generale V. pag. 646.

Phu-

Phula, &c. quam Calliſtus,] ſcribit vnitam cum *Suda*. Sic & Codinus Curopalates Eadem ſupra corrupta *Bullæ*.

Phycocle] Ravennatem Eccleſiam vacantem *Ficulino* Epiſcopo commendat D. Greg. M. lib. 4. epiſt. 20. ubi ms. Vatican. *Ficuclino*; & Ioan. PP. VIII. ep. 308. Faventinam Eccleſiam *Ficoclenſi* Epiſcopo commendat.

Phyllis] Φυλλὶς, mons Sami videtur apud Nicandrum ad quem Παρθενίη ſive Samia terra reperitur. Alexiph. p. 139. Scholiaſt. p. 57. pro tota inſula accipit, ut φυλλὶς idem ſit quod Μεγάμφυλλος.

Phyſcella. Pomponio, &c.] Vtrobique correctorum Comment. nam ms. *Miſcellam* vel *Mycellam* legunt. Vide *Miſcera*.

Phytonia] Vide ſupra v. *Pandataria*.

* PHYSONITÆ, qui & Danubij vocantur Sclavonica gens Cæſario Dial. 2. Interrog. 110.

Picenum, &c. Pentapolis] vide ſupra hoc v.

* PIDRA] Vicus Anatolici thematis; continuator Theophanis in Leone Armeno, puto fuiſſe in Phrygia; mox enim illi Philomelium conjungit, ut vicinum.

Pimpleus] Πιμπλείας χωρίον περὶ Πιερίαν. οἱ δὲ πρὸς τῇ κώμῃ πηγείας. Schol. Apoll. p. 2.

Pina-

Pinara] Πιναρῶν καὶ Διδύμων Episcopus apud Epiphanium Hæres. 73. pag. 874. Hæc Δίδυμα sunt Σίδυμα Ptolemæi, sed puto corruptam ejus lectionem, & Δίδυμα scribendum, eritque idem locus, qui Δίδυμον τεῖχος Stephano. Sed vide infra ad Sidyma.

* PINETA, locus prope Tarracinam ad mare, in Actis S. Cæsarij M.

* PIVM seu Πίον oppidum habetur in excerptis Diodori pag. 302. sed interpres in Notis rectè conijcit ibi legendum *Τίον Tium*.

* PISIDIVM, Πισίδιον Asiæ minoris oppidum maritimum haud procul à Seleucia. Excerpta Diodori pag. 378. sed puto Ποσείδιον legendum.

Pisinda] hæc puto *Isinda* supra hoc v.

* PITERMENI, populus Galatiæ: nam vetus inscriptio Romæ in Ecclesia S. Martini in montibus meminit ΓΑΛΑΤΩΝ ΠΙΤΕΡΜΗΝΩΝ.

Pityus] Procopius à Iustiniano destructam narrat, ne à Persis occuparetur 3. ædificat. Sed ibi male πιτυοῦντα scribitur pro Πιτυ & sic alibi erratum apud eumdem Procopium. Meminit quoque hujus loci Iustinianus præfat. novellæ XXVIII.

Plera] *Gravinam* esse ex Itineris ductu

& intervallis conijcio.

Pleurone] *Bozichiſtram* nunc vulgo vocari notat Sangallus Architectus in libro mss. Bibliothecæ Barberinæ.

* PLOADES INSVLÆ NATANTES. Πλοάδες Theophraſtus lib. 4. h. pl. c. 11. & 13. in lacu Orchomenio, & in Ægypto.

* PLVSIAS, Πλυσιὰς, oppidum in Ponto circa Heracleam & Sinopem. Nicetas Choniates in Balduino Flandro.

Podando, etc.] Hierocli in Notitia Cappadocię Pηγεποδάνδος, ſed Baſilio M. Ποδάνδος epiſt. 361. [*vide Polyandus*] Illa hinc corrigenda, & huc transferenda.

Pœanthe] non puto hoc proprium nomen eſſe Inſulæ ſed Ποιάνθης poni pro herbida vel viridi, quod vel eo potiſſimum confirmatur, quod duobus fluvijs eam circum allui ſcribit, tum præcipue verſu 1052. crediderim potiùs hanc Carocondamen eſſe ad Boſphorum Cimmerium.

Pœtanion. In Hiſpaniæ] ora maritima, in Luſitania puto.

Politium] πολλίτιον in Græco legitur. [*Diodorus* 19.] pag. 739.

Politorium, &c. apud Anton. in ſuo Fragm.] fictitio.

Polium] Πόλιον legitur apud Nicol. Damaſc. in excerptis. 442.

Po-

Polyægos, &c. alia videtur à πολυαίγιον] certiſſimum eſt diverſas eſſe : nam Mela ſuam ad Thraciam ponit, Ptolemæus ſuam ad Cretam.

Polyandus, &c. Interpretes habent Padiandus] ſic mss. Græci. Sed verum nomen eſt *Podandus*, fuit oppidum Cappadociæ primæ in Notit. Hieroclis. [*Podandum Anton. non procul hinc abeſt*. Eſt idem omnino.

Polychalandus, &c. apud Epiphanium] hæreſi 73. pag. 874.

Pompejum, &c.] *Scafati* putat Cluverius, ſed ejus veſtigia vidi paulò ſupra turrem Græcorum.

Pons] *Pons longus*.]

* PONS LIQVENTIAE In agro Forojulienſi, oppidum quod nunc *la Motta* dicitur Hieronymi Aleandri patria, ubi etiam nunc fluvius ille ponte tranſitur. meminere Paulus Diaconus, & in Codice Theodoſiano leg. XI. tit. 10. [*Nebius à flumine Nebi*:] *Pons Sanguinarius*. Vide infra v. *Sanguinarius*.

Pontico, &c. Pontigo alibi lego] ita in optimis editis.

Porata, &c. Prut hodie dici putat Peucerus] veriſſimè. Ejus mentio apud Conſtantinum de adminiſt. Imper.

Porcifera, &c. Procobera forte] ſine dubio.

Por-

Porphyreum] Porphyreon Scylaci, Procopio, Ptolem. & Stephano, &c. In Notitia manuſcripta Epiſcopat. recenſetur primo loco ſub Tyrio Metropolitano.

* PORSIAS amnis Phrygiæ *Aſopus* poſtea dictus ad quem Apollo Marſyam vicit Philoſtrat. junior in imaginib. pag. 837. ſed omnino legendum Μαρσίας pro Περσίας.

Portuenſis via, quæ ab Urbe ad Oſtiam] leg. ad Portum [*ducebat* .]

* PORTVS ABVCINI oppidum Maximæ Sequanorum in Notit. Gall. vel *Portus Lucini*, quia ad Lucinum fluvium, nunc *Port de Lene'*.

Poſtropæa] ſcribendum *Proſtropæa*, ſive ad *Tropæa*, vel ad *Trophæa* Latine dicere velis. Vide infra v. *Tropiana*.

Potamoſacon] delenda hæc verba *proprium Sacorum nomen* [*eſt Inſula, &c.*] Stephanus enim ait eſſe proprium nomen, ſcilicet hujus fluvij & inſulæ, quæ ex appellativo & proprio nomine conjunctim appellabatur.

Practium] apud Arrianum lib. 1. male Πρᾳγάντιον ſcribitur.

Præcauſenſis Epiſcopi.] *Præciſum* dici videtur in Synodo Carthaginenſi Bonifacij: uterque enim locus in Byzacia ponitur.

Præmonſtratum, &c. unde Ordo] Præmonſtra-

ſtratenſium [*nominatus* .]

Prænetum , *&c.*] & apud Conſtantin. Porphyrog. lib. 1. Thematum . Πείνετ@. in Notitia Hieroclis.

Præpeſinthus , *&c. hodie Arzentara* .] hanc ego *Cimolon* exiſtimo .

Priamum] Πειάμον , *Priamon* apud Strab. lib. 7. apud Arrianum ſcribendum Πειάπε πόλιν .

Prianeorum] ex *Priene* , ſeu ut Dores *Priane* .

Priene] Dorica Dialecto : ijs enim proximi erant .

Primuliacum] Vide Roſue vidi Not. pag. 779.

Promona] Προμόνα , & aliquoties Προμόνα , delenda verba *Græca* , *non vidi* .

Pronus φρόνος] ſcribend. Proni φρόνοι .

Proſactium] legendum φράκτιον . Vide hoc verbo.

Pruſa , *&c. Theopolitana*] Θεόπολις ἡ νῦν φρῦσα append. Conſtant. Porphyr.

Pſamatæ , *&c.*] eidem Bœotiæ ψαμαθὼ locum aut fontem Bœotiæ vocat Nicandri Scholiaſt. pag. 48. unde Nicander Σίδας ψαμαθηίδας dixit , quamvis ipſe Scholiaſtes de lectionis fide dubitet & ἀμαθηίδας ſubſtituere conetur ; cui Plinij auctoritas opponi poteſt .

Pſam-

Pſammathus.] *Pſomathea* nunc dicitur in Nautica Græcorum.

Ptera] τῆς λεομένης πτερὸν τὸ Κανώβε meminit Olympiodorus in Phædon. mihi pag. 45. ubi Ptolemæum XL. annorum ſpatio Aſtronomiæ operam dediſſe affirmat.

Ptiſciana πτισσιάνα] ms. legit. πτισσιάνα.

* PVLCHERIOPOLIS, Civitas Epiri novæ in Notitia Hieroclis, ubi malè Πολυχειεύπολις pro Πελχερ editur, accepit autem nomen à Pulcheria Aug. cujus tempore hæc notitia ſcripta videtur. Conſtant. Porphyr. Them. lib. 2. πελχερόπολις legit.

* PVLLI PYRECHMÆ, Græce πῶλοι πυρέχμαι, locus in Bœotia ad Heraclium Hu-men. Plutarchus in parallelis Græc. & Roman. pag. 307.

* PVLTARIENSE Monaſterium habet Ioannes Papa VIII. epiſt. 210. & 211. in Gallijs.

* PVRCHANVS, oppidum ſive locus ad Veſuvium montem Conſtantin. Porphyrog. lib. 2. Themat, cujus memoria extat prope *Reſino* ubi Eccleſia S. *Mariæ de Purchano*.

* PVRPVRILLA locus extra Vrbem, ubi Scorta proſtant. Dictus eſt autem iſto vo-

vocabulo, quod matronæ ſtola, libertinæ toga, proſtitutæ purpurea veſte uterentur. In Gloſſis vetuſtis Biblioth. Vaticanæ num. 3321.

Pylæa.] Marcian. Heracl.

Pylos, &c. Abarinus Sophianus habet.] Nautica Græcorum Anabarinum vocat.

Pytho, &c. Pythonem poſtea Delphos appellatam] ſic Pindari Scholiaſt. Pyth. 1, pag. 187.

Q

Quidienſis, &c. in Numidia] leg. in Mauritana. Eſt *Quiza*.

Quiza, &c. apud eumdem (Ptol. Coloniam vocari, &c.] ſic ms. Palatinus. Κολωνία.

R

Rabath. &c. Petra Metropolis] ſic in Notitia Epiſcopatuũ Sedis Hieroſolymitanæ. Sedes tertia *Arrabba Moabitis*, id eſt *Petra deſerti*. Vide ſupr. v. *Areopolis*.

* RADIA, Ῥαδία, vicus prope Ctesiphontem, ubi Iuliano Imperatori viſum obiectum. Chronic. Alexand. pag. 69

Ratiaria, &c.] *meminit lapis antiquus in ſcri-*

ſcriptus] poſtea Daciæ Ripenſis metropolis fuit, ut ex Hieroclis Notitia apparet; Ῥαζαρία legitur. Procop. lib. 4. ædificiorum Ῥαζιαρία, quæ Arezar nunc etiam Bulgaris dicitur.

* RAVGOMA, oppidum Armeniæ in Itinere quod Satalis ducit ad Artaxata. Tab. Peutinger.

Recentoricus] an legendum *Centoripicus?*

Regenſes] vide Sirmondum ad Tomum 1. Conciliorum Gallic. pag. 596.

Regina, &c. in Bætica] Roder. Car. Antiq. Hiſp. lib. c. 71.

* REII APOLLINARES, qui male vulgo *Regenſes*. Vide Sirmond. ad Sidon. pag. 115.

Remiſiana, &c.] eſt Civitas mediterranea Hierocli, inter Naiſſum & Sardicam, puto eo fuiſſe loco, ubi nunc *Piros* oppidum eſt inter Niſſum & Sofiam. Scriptoribus Chriſtianis antiquis *Romatiana* dicitur, ut Gennadio de Viris Illuſtribus cap. 22. & Martyrologijs, cujus Epiſcopus fuit Nicetas S. Paulini amicitia clarus.

Rhæti] RAITVS in veteri lapide ad S. Paulum.

Rhætinum, &c. veſtigia ejus ad promontorium Cumanum Hyllidis peninſulę, extare ſcribit Hiſtoria Slavor. pag. 184.

Rhagæa & Ragaura] hæc Ῥαγαῦ Iſidor. Charac. in provincia Apavarcticene.

* RHAMA MILIARIA Syriæ oppidum vel vicus in inſcriptione Trevirenſi apud Bronverum Annal. p. 71.

Rhegedora.] Hierocli Ῥεγεδόαρα rectius, vide ſupra *Doara*.

Rhegepodautos. Ῥεγεποδαυτος.] eſt *Podannus*.

Rhegium, &c. cum aſpiratione in prima] ſine aſpiratione 3. Inſcriptiones antiquæ. [*Idem Dionyſius coloniam ab Auguſto factam addit*] is Rhegium Iulium haud dubiè appellavit, ut Ptolem.

Rhene, &c. Hodie Phermene] falſum: nam hæc eſt *Cythnos*.

Rheſina, &c. Rhiſina vel Rhaſena] ſunt duo diſtincta oppida in eadem provincia apud Ptolemæum, prior illa eſt Stephani, quæ *Reſſania* dicitur Tab. Peuting. ſita in itinere à Zeugmate ad Niſibin; altera autem *Rhæſena*, vel ut Pal. M. *Rheſena* inferius in mediterraneis jacet. Hæc Coloniam Romanam accepit à Sept. Severo, ut teſtatur nummus Decij CCΠ ΡΗCΑΙΝΗ-ΙΩΝ ΚΟΛ. apud Franciſc. Gotofred. ſimilem profert Triſtanus.

Rhittium, &c. Salonchemen] *Szlan-Kamen* ſcribit Verantius in Itinerario.

Rhi-

Rhizinium, &c. *hodie Riſano*] *Riſino* in Tabula quam habeo accuratiſſime confectam ms.

Rhizus] ejus incolæ *Riziani* Arriano de re militari.

Rhyme, &c.] delendum. Quid enim hoc ad geographiam? multa ſimilia habet Stephanus, &c. merè Grammatica.

Rhymnus, &c.] ſεὶ χ Conſtant. Porphyrog.

Rigomagum] delend. (*circa Seguſianos*) inter Ticinum & Auguſtam Taurinorum Cluverius recte docet lib. 1. Italiæ antiquæ. Idem oppidulum eſſe quod nunc *Trino* vulgo dicitur; ſed Rigomagenſis civitas in Notitia provinciarum omnino diverſa eſt, & vix dubitaverim affirmare eamdem eſſe cum *Caturigo-mago* quæ Antonino, alijsque *Caturiges* dicuntur, vulgo *Chorges* haud procul ab Eburoduno.

Riphaces] ms. *Rimphaces*.

Ripiani, *ſunt Danubij accolæ*] vide nunquid Daciæ Ripenſis incolas intelligat.

Rodantum, &c. *Porphyrogennetæ*] lib. 1. Thematum.

Roma, &c. *Feſtus eam primo Valentiam appellatam ſcribit*] ex nugis Annij Viterbienſis, qui non intellexit Dionyſium.

Romanopolis, &c. *Curopalati*] & Conſtant.

Porphyr. de admin. Imper. prope Melitenem.

Romatianæ] Remaſiana dicitur Antonino & Hierocli in Notit. eſt autem Daciæ mediterraneæ civitas Hierocli & alijs.

* ROSCELLENSIS Archidiaconatus circa Venetias apud Ioan. VIII. PP. epiſt. 25.

* RVBI, locus Apuliæ inter Canuſium & Baſſium in via Appia Itiner. Anton. hodie civitas Epiſcopalis *Ruvo*; unde *Rubuſtini* de quibus hac pag.

Ruſiana] Ruſiniana colonia P. Ligorio, ſed nullos citat auctores.

S

Sabatus lacus, &c. Anguilariam:] idem cum *Braccianenſi*.

Sabona, &c. Sabiona legit Diac.] *Sabion.*

Sabora] Vide Roderic**um** Carum antiq. Hiſpal. lib. 3. cap. 66. *[Idem Ioan. Marian]* & Gruterus.

Sacapena] legend. Σακασιων' de quo inferius.

Sacaſina] *Segeſtani* Ammiano Marcel. Ptolem. regio illorum corrupte Σακαπινη pro Σακασινη vel potius Σακασιων', & ſic veteres Ptolem. Interpretes ex correctioribus libris *Sacaſena* verterunt. Iſidoro Characeno

raceno Σαναξλων vocatur ; sed hæc longe diverso situ ab eo describitur inter Drangianam & Aracheſiam , quæ provincia adhuc *Segeſtan* dicitur : *Segetanos* vocat Agathias in 4. Vide . *Segeſtani* .

Sæna] malè per diphthongum ſcribitur [*Coloniam Senenſem*] & ſic Plinius vocat in Tabula Peutinger. *Sena Iulia* vocatur . [*Senienſis legit Lipſius*] ſic & Plinij quædam exemplaria manuſcripta legunt ; ſed peſſime faciunt , qui Taciti locum ad Seniam Liburnorum oppidum trahere conantur , quæ nunquam P. R. colonia fuit .

Sagienſis Epiſcopi] Sirmondus ad Tom. 1. Concilior. Gall. pag. 602. dictus quoque fuit *Salarienſis* , ſive *Salarius* Epiſcopus , ut notat Menardus præfat. in Sacrament. S. Gregorij .

Saiorum civitatis] *Sagiorum* civitas in editione P. Sirmondi.

Sala , &c. apud Herodotum eſt urbs littoralis] hic locus corruptus apud Herodotum.

Salacia] vetus lapis ad S. Paulum Romæ D. M. L. CORNELI. SECVNDI. EX. PROVINCIA. LVSITANIA. SALACENSIS.

Salamis , &c.] Iuſtinianus Imper. eam novam Iuſtinopolin. vocavit . [*Antonius Curchinus*] leg. Hiſtor. Miſcella [*dicit eam;*

&c. funditus everſam] hoc veriſſimum [*Euſebio auctore*] Hæc de Inſula Atticæ affirmat ex Porphyrio Euſebius [*Hodie Famagoſta* ,] hoc eſt ἀμμόχως & Ptolemæi.

Salaria , *&c. Salaria via*] Duplex ea, vetus & nova in Hiſtorijs Martyrum , & donatio quædam Caroli M. in Archivio S. Petri. P. Ligorius neſcio quo auctore vocat hanc viam *DECIAM SALARIAM*.

Salia] *Rio de Sella* inter Villam vicioſam & *S. Andero* ; nam inter hunc fluvium & Sueronenſem ſinum Hiſpania contrahi incipit.

Saline , *&c. oppidum*] *Sollinienſium* civitas Notitiæ provinciarum Galliæ ; neque enim dubitandum quin idem locus ſit, nunc *Seillans* appellari exiſtimo. Vide infra v. *Sollinienſium civitas*. [*Salinæ Daciæ*] Has *Salinas Dacicas* Tabula Peutingeriana inter Apulum & Napucam ponit ; unde Opitius eam *Torda* nunc appellari cenſet in poëmatis ſuis Germanicis pag. 107. cui magis credo ; quia magnæ illic & copioſæ etiam nunc Salinæ.

Salo , *&c. Salo* Σαλὼν *Dalmatarum navale*] leg. oppidum. [*Salona Sophianus*] & ſic in Tabula ms. accuratiſſima Slavoniæ , quam habeo medio ferme loco inter *Sebenico* & *Trav.* [*Cliſſa*] aliquot pauculis milia-

miliaribus distat *Clissa à Salone*.

Salsubium, &c. Leander] & Ligorius ex lapide veteri.

* SAMBRACITANVS sinus in Provincia Galliæ, Anton. Itiner. marit. nunc *Golphe de Grimaut*.

Samnites, &c. Antium] error est in Codicibus Livij lib. x. ubi Antiatem agrum pro Atinate male legitur; & miror Cluverium non perspexisse vitium adeo manifestum pag. 1199.

Samos, &c. Δείσα *Aristot.*] Hesychio Δρῦσα.

Samothracios, &c. in Thracia habet Herodotus] Deceptus est ab Interpretibus; nam τείχεα apud Herodotum non muros, sed castella significat, ut manifeste ex Herodoti loco lib. 7. apparet, qui ultimum inter Τὰ τείχεα Mesembriam ponit, ita & Scylax hac voce utitur.

* SANGEORVM mons in finibus Bithyniæ terræmotu eversus apud Gregor. Nyssæn. lib. contra fatum pag. 909. In Græco legitur Τὸ τῶν Σαγγαγῶν ὄρος, ubi Interpres Σαγγαρίων legisse videtur in suo codice.

Saniana, &c. Porphyrog.] lib. Themat. [*Galatorum*] *corrigend. Galatarum. [Ita hæc in Asia minori videtur*] & quidem in finibus Cappadociæ.

Saphar] *Taphar* in Philoſtorgio & Niceph. Calliſto . [*Saphar legendum puto*] optime .

* SAPHRIS Σαφρὶ Vicus Parthiæ Iſidoro Charac. puto eſſe Siphacen Ptolem.

Sapires , &c. Sabiri ſunt quoque apud Agathiam] & Theophane Bizi apud Photium Cod. 64.

Saporda , &c. Polybio 5. p. 415.

Saracena , &c. Hos Iſmahelitas Nomades] Hinc Arabia Numidarum Vitruv. lib. 8. cap. 3. Scylax quoque hoc loco Nomadas ponit .

Saranga .] Vide *Canthi ſinus* .

Sardica , &c. Triadizza Sophianus vocat] atque ita nunc quoque vulgus Bulgarorum . Græcis & Turcis eſt *Sofia. Cedrenus* & *Curopalates*] & Balſamon ad Canones Sardic. [ἐλπία σερδικὴ , &c. *eadem forte* .] Sine dubio . ΟΥΛΠΙΑΣ ΣΕΡΔΙΚΗΣ circa figuram cum clipeo & haſta in nummo Caracallæ apud Franc. Gotofred. Sic quoque in nummo Severi apud M. Ducem circa Aquilam . *Iuxta Neſſum*] *Naiſſum* . Vide Itinerarium Busbequij . *Ex quo duæ videntur*] falſum .

Sardopatris] vidi nummum antiquum apud Iac. Sirmondum cum inſcriptione CΑΡΔΟΥΠΑΤΡΟC .

* SAR-

* SARDOVM mare, olim totum internum mare dictum ab Italia vel Sardinia, usque ad fretum Herculis, Aristot & Apulejus lib. de mundo, Anonym. Perieget. Græcus; sic Apollonius Rhodius lib. 4. v. 633. & Polybius lib. 3. ait Rhodanum effluere in Sardonium mare, idque recte ex mente antiquitatis.

Sarepta, &c. Sareptini Vini] *Sareptenum* vocat Fulgent. lib. 2. pag. 194.

Sarianæ] est puerilis error ex voce ΚΑΙΣΑΡΙΑΝΗΣ sive Cæsariensis natus, cujus primam syllabam male pro articulo conjuncto accipit.

Sarmatia, &c. Iaxamatæ quoque legitur] *Xamathæ* Mela ms. & *Iximatæ* Steph.

Sarpedon, &c. ante Hæmum, &c. describit eum ejus Schol.] pag. 11. *Est quoque Atticæ urbs*] ibi forte ΑΣΙΑΝΗΣ legendum: ea enim Thraciæ regio est ad Hæmum montem. [*Ciliciæ urbs est Pomponio*] & dicto Apollonij. *Scholiasta* [Ejusdem regionis, &c. Straboni] & Oppiano Halieut. lib. 3. v. 207. qui prope Corycum esse docet.

Sars, &c.] Ortelius & auctores Hispani, quos sequitur, insigniter fallunter, qui hunc fluvium juxta Lucum defluere, & in Minium influere existimant, cum Pomponius de ora maritima agat.

[*circa*

[*circa turrim, &c. decurrit*] *Rio Lezaro* prope caput finisteriæ.

Sarsura.] *Sassura Vicus*] Tab. Peuting.

Sarus, &c. Plinio & Appiano] & Procopio 5. ædific.

Satala] *Arsingam* nunc esse puto.

Satriani.] Sunt *Satræ* Herodoti.

Satula, &c.] Interpres Latinus & mss. Σέπλα.

Savinas, &c. Episc. Savinati, &c. an pro Sabinati.] Quis dubitet? scribit enim de Ecclesia S. *Laurentij, unde nunc Poggio di S. Lorenzo.*

Saurium] ms. *Saunium.*

* SCALAE VETERES, locus apud Procopium 2. Vandal. ex Ios. Scaligeri emendatione & Grotij versione, in Græco Καλλας βάταξας legitur, videndum num forte idem sit locus cum *Callas* Antonini sup. hoc v. sed ille in Mauritania ponit.

Scampis] *Scampa* Hierocli ms. fuit civitas Episcopalis Epiri nouæ, quæ & *Scampina* civitas in *Epistolis* Hormisdæ Papæ pag. 489.

Scandille] *Scardira* apud Plinium legitur.

Scardona, &c. Nomen adhuc retinet apud Sophianum] & sic in tabula mea geographica ms. Dalmatiæ paucis miliaribus supra Sebenicum, Castrum Turcarum.

Scar-

Scarphia Steph. Plinio, &c. Scarpe Strabo-ni] ibi Τάρφη ex Stephano recte Casaubonus restituit.

Scetin] Cyrillus scripsit ad Monachos τοὺ ἐν τῇ Σκήτῃ. Vide Concilium V. generale pag. 646.

Schedia .] Scholiast. Nicand. pag. 29. Schediæ hujus prope Alexandriam mentio extat lib. 3. Machab. cap. 4. ubi Interpretes omnes *ratem* explicant, nec quisquam verum loci sensum intellexit.

Schinussa] adhuc nomen retinet, si qua fides Burdoni Insulario pag. 45. b.

* SCITII Σκίτιοι Pannoniæ populi Steph. v. Σκορδίσκοι si locus vitio careat.

Scodra] Ligorius ex nummo Claudij Imp. Coloniam facit, in quo legebatur: COL. CLAVDIA. AVGVSTA. SCODRA.

Scœdisa, &c. Straboni 11.] p. 497. sed lib. 11. pag. 548. Σκυδίσσης legitur Stephano v. Ἐπὶ ἀκρωμ] Σκυθικὸν ὄρος, sed corruptè.

Scordisci, &c. Strabo eos Illyricis] *sic Appianus princip. Illyr.*] *Galatas sex ijs facit, qui cum Brenno Delphicum templum spoliaverant*] Vide Appianum hanc expeditionem narrantem principio Illyricorum, ubi etiam de illorum migratione trans Istrum fluvium.

Scu-

Scupi] Rosvveidus ad Paulinum carm. 30. p. 871 erat autem metropolis ejus provinciæ, ut apparet ex Notitia ms. Hieroclis.

Scybelus] *Scybela* Σκύβελα.

Scythæ, &c. Sagæ, &c. vel rectius Sacæ] Vide Apollonij Rhodij Schol. lib. 4. pag. 189. [*Patzinacos*] vide v. *Dacia*. [*Scythia minor*] *Scythiæ minoris* meminere excerpta Ammiani Marcellini pag. 474. & Iornandes cap. 50.

* SCYTHIA MINOR, Iornandi provincia illa Imperij Constantinopolitani ad ostium Istri, cujus metropolis erat Tomis proxima Mœsiæ inferiori.

Scythicum Hispaniæ videtur, &c.] non perspiciunt mentem Melæ. *Asiæ tribuit*] optimè.

Sebasta] Αὐγόσα vocatur à Steph.

Sebastia & Sebastopolis Cappad. urbes] Has quoque vicinas exhibet Itinerarium Antonini & 36. mil. pass. intervallo separat. [*Sebastopolim. &c. Ponto*] hæc diversa est, de qua infra.

Sebastopolis Colchidis urbs, &c.] Alia est *Sebastopolis* Cappadociæ de qua paulo ante in v. *Sebastia*.

Sebennyticum, &c. Sybenniticum Stephano] falsum.

Sebrithites, &c.] infra v. *Tenesis*.

Se-

Securriſca, vide Burgus] ea huc transferenda. In tab. Peuting. *Securiſba* editum eſt, quod ex Procopio & Antonino corrigendum.

Seganes] vide ſupra *Sacaſena*.

Segeſtani] vide ſup. *Sacaſina*. [*Segetani*] & Σεγεσανοὶ.

Segeſterorum, &c.] *Secuſteronenſium* fines Higyn.

* SEGOLAVNI, qui male *Segovellauni*.

Segoncia, &c. Epila] hæc XVI. paſſ. mil. diſtat Cæſarauguſta teſte Antonino.

Segovellani] *Segolauni* vero nomine in quibus Valentia. [*incolæ vocant Saillans*] hoc veriſſimum; unde apparet quam male Cluverius *Tricaſtinorum* & *Vocontiorum* fines conſtituat in tabula Alpium.

Segovia, &c. eſt & Segovia in Bætica] Vide Rodericum Carum lib. 3. antiq. Hiſpal. cap. 50.

Selbyſſena] *Elbeſij* & *Olbisij* alijs, vide ſupra.

Selene] magna quædam inſula, vel ſaltem cæteris major inter Hecatonneſes. Sic intelligenda mens Stephani, nec repetenda ἀπὸ κοινοῦ vox πόλις. Delenda vero hæc verba *Vrbs inter centum inſulas* ἑκατόννησος.

Selentidis] leg. Σηλυνίδος.

Se-

Seleucia , &c. Scio Steph. &c. in Syria de-ſcribere] prope Syriam ait Steph. [*quam Seleuceum*] inepte ἐθνικὸν cum primitivo confundit. [*Pieriam*] *Seleucia* prope Antiochiam dicitur Clement. Alexand. Protrep. pag. 31. [*Alia eſt ab ea , &c.*] hoc jam ſupra dixit. [*Sed Piſidiæ eam non recte attribuit*] ſunt duæ diverſæ, ut apparet ex ſubſcript. Concil. Nicæni [*Pamphyliæ enim eſt regionis*] fuit Civitas Epiſcopalis, cujus Antiſtes Quintianus ſubſcripſit Concilio Nicæno. [*Seleucia eſt ad Euphratem*] hanc Seleuciam Meſopotamiæ vocat Steph. v. φέλλα.

* SELLA pro *Dolona* apud Statium lib. 5. Silv. in epiced. patris. Graja refert *Sellet.*

Selybria , &c. Eudoxiopolis] prius *Salabria* Piſidiæ civitas Hierocli , quam male in Thraciam transfert , quia *Salabriam* cum *Selybria* confundit . Hoc inde quoque apparet, quia Philippus ex Apamea Eudoxiopolin translatus fuit, quæ & ipſa Piſidiæ civitas Hierocli .

Sepphoris] ΣΕΠΦΩΡΗΝΩΝ nummus in Trajani honorem cuſus extat apud Triſtanum tom. 1. pag. 415.

Septumani] *Septimani terra* Ioan. PP. VIII. epiſt. 102.

Serabis] *Sorobis* ms.

Ser-

Serdica] *Serdicæ* regionis vet. lap. apud Capaccium p. 331. erat autem in Bessis.

SERGIDAVENSIS populi plebisque in Dacia prope Vlpiam Trajanam meminit lapis antiquus apud Gruter. pag. 163. n. 6.

Serippo] scrib. Seripo, &c. Rodericus Carus fuisse putat ubi nunc *Villa de los Molares* prope Salpesam lib. 3. antiq. Hisp. c. 63.

Serpa] nomen hodie retinet ad sinistram stare ripam. Vide Rodericum Carum lib. 3. antiq. Hispalens. c 7.

Serræ, &c. Nicetas & Theophylactus ep. 9.

* SERZMARAGDIA, haud dubie Daciæ civitas legitur in inscriptione Trajani Imp. apud Card. Barberinum forte *Zermizirga* Ptol. infra h. v.

* SETENSIS Episcopus ὁ Σετ. sub Sardiensi metropolita in Notit. Episcop. Leonis Imp. In alia Notitia ms. ὁ Σετ. legitur.

* CETPOTAOYIANΩN circa Apollinem cum lyra in nummo Severi apud M Ducem clarissimis litteris legitur, pertinet ad vocem *Tavium* infra.

Sevo, &c. Dofrini] Fiellen vocant Sueci totum hunc tractum montium inter Norvegiam & Sueciam, ut mihi affirmavit

vit D. Guſtavus Horn. In his montibus genus avium eſt candidi coloris Attagini magnitudine ſimilis, vocant *Fiel ruper*, ea cum ex montibus in ſubiectam planitiem deſcendit, hyemem ſæviſſimam præſagit.

Sextatio] *Serratio* Tab. Peuting. *Soſtantio* Itiner. Hieroſol. *Subſtantio* legit Petrus Marca Concord. lib. 2. c. 3. ubi mille paſſibus Montepeſſulo locum abeſſe ſcribit in arduo ſitum, ubi de ejus comitatu diſſerit. Vide ſupra *Monſpeſſulus*.

Sexti, &c. à Carth. lapide] quarto legitur in editione Gryphij.

* SIAGITANVS S. P. Q. legitur in Tabula ærea Brixienſi apud Oct. Roſſi pag. 183. ex Africa.

Siarum, &c. Carragatin.] *Sarrocatin* rectius & *Sarro* vocari oſtendit Rodericus Carus libello Hiſpanico erudito de antiquit. Vtreræ, ubi *Siarenſium* municipium & ordo *Siarenſium* ex inſcriptionibus antiquis legitur. Vide ejuſdem Cari antiquit. Hiſpalenſes lib. 3. cap. 20.

Siceum] σικεὸν in Menæis Græcorum, unde ipſe Theodorus Σικεώτης dictus.

Siculum mare] ab antiquis dictum, quod à Sicilia ad Cretam uſque ſub Ionio mari extenditur. Appollon. Rhodig. lib. 4. v. 291. Τριηκάκριον πόντον vocat: ubi Scholiaſtes

ſtes falsò exiſtimat eum Τριναύριον pro Τυρ-ρηνικὸν καλαχρηστικῶς poſuiſſe, id enim ex ſequentibus ſatis apparet: quamvis ſciam antiquos nonnullos etiam Siculum mare ſupra Siciliam Neapolin uſque produxiſſe, ut Phædrus in fabulis.

Sideras loci nomen] Idem exiſtimo cum *Succorum* clauſtris, eæ enim *Portæ ferreæ* ſive *Derbent* dicuntur Turcis. Vide infr. v. Succi.

* SIDERVM CASTRVM in limitibus Orientis Romani Imperij ponit Hiſt. Miſcella lib. 21. ultra Cappadociam, ut videre eſt.

Sidrona, &c. vide Stridon] eſt omnino eadem cum *Sidrona*.

Sidyma] legendum Δίδυμα. Vide ad v. *Pinara*. Sed in antiquo mss. Hieroclis Σίδυμα quoque ſcribitur non Δίδυμα ut editum; & ſic Hypatius *Sidymenſis* Epiſcopus ſubſcripſit Epiſtolæ Synodicæ ad Leonem Imperatorem. Vnde nihil muto. Et in alia Notitia ὁ Σιδύμων vocatur.

Sigguitanæ Eccleſiæ] eadem quæ *Siguitenſis*.

Signitenſis, &c.] Siguitenſis in edit. Pithæi.

Sigriani, &c.] vide Conſtant. Porphyr. Them. lib. 1. cap. 4. & de adminiſt. Imp.

cap. 25. ubi Theophanis Hiſtoria Sigriana laudatur.

Sigua] *Siguenſe metallum* in Africa apud S. Cyprianum epiſt. 80. & hinc forte *Siguitenſis* Epiſcopus in Collat. Carthag. fuit in Numidia, ut ex Cypriano apparet: nam omnes iſthic damnati Epiſcopi & Clerici Numidiæ erant. In Collat. Carthag. alio loco *Sigiutanus* ſive *Sigguitanus* vocatur.

Silicenſe flumen, &c. Rio de las Alzanijdas putat hodie Moralis & Rodericus Carus lib. 3. antiquit. Hiſpalenſ. cap. 50.

Silva] Epiphanius Silvæ Candidæ Epiſcopus ſub Zacharia Papa anno Chriſti 745. Tiberias *Silvæ Candidæ* Epiſcopus tempore D. Gregorij M. ut videre eſt lib. 3. epiſt. 38. in ſubſcriptione privilegij S. Medardi.

Silvium] nunc dicitur *il Gorgolione*.

Simedicitas, &c. Adeſodatus] leg. *Adeodatus*. [*Collegium*] leg. *Collatio*.

Sinaca] putò legendum *Siracca*: nam regio inde Σιρακλινὴ, ut legunt mss. Palat. Iſidoro quoque Characeno Σιρακὴ civitas illa dicitur.

Sinda, &c. Ἴσιδα] utrobique hoc nomen corruptum, legendumque Γ'σινδα ut mss. Steph. legunt.

Sine-

Sinera] hæc *Sinara* Tabul. Peutinger.

Singidonum, &c. in vita Iovin. Imp.] Ita quoque Itineraria, Procopius & alij apud Procop. 4. ædific. Σιγηδὼν ſcribitur, ſed annexa ſequenti particula ἐν, legend. Σιγηδόνιον nunc *Zenderin* ſedes non ita pridem *Deſpotæ Serviæ* paulo ſub Tauruno. Simocattæ apud Photium cod. 65. Σιγηδὼν.

Siphare] eadem puto Σαφεὶ Iſidori Characeni.

Sipphara] Σιππαρῶν πόλεως meminit Euſeb. præp. lib. 9. c. 41. in Meſopotamia ad Euphratem.

Siraces, &c.] vide ſupra ad v. *Sinaca*.

Siſium, &c.] σίσια Not. ms.

Slotna in ſcriptis lapid.] Lapides illi ficti & ſuppoſititij, ſed Aurarias illic fuiſſe certum eſt.

Smaragdites] ἕλλυες ζῶα ἐν πῷ σμαραγδίτῃ πόταμῷ Heſych.

Smintha] *Sminthe* inſula Higyno cap. 120.

Sollinienſium, &c. forte Senez] falſum: nam hæc civitas *Sanicienſium*, ſive *Sanitium* & *Saneſium* proxime ſubjungitur. Corruptum eſſe hoc nomen vix dubito: ſed omnino exiſtimo *Telonenſium* eſſe legendum: nam *Telonenſis* Epiſcopus legitur in ſub-

ſubſcriptionibus Concilij Aurelianenſis IV. & V. Vide infra ad v. *Telumnũ*, ſed ſcrupulũ mihi movet, quinam *Telonenſis* civitas ſub Ebrodunenſi metropoli fuerit, cum Aquenſi Metropolitæ Forojulienſis ſubſit civitas & Antipolitana. Itaque alia quærenda correctio. Id pro certiſſimo habeo eamdem civitatem eſſe cum *Salinis Suetriorum* Ptolemæi, quam vulgo *Salluzze* interpretantur, haud levi errore: nam cum Ptolem. inter Vintium & Sanitium Sallinas illas in Suetris ponat, non dubito, quin eædem ſint cum hac *Sollinienſium* civitate; quam ex Suetrorum ſitu à Cluverio recte aſſignato, omnino exiſtimo locum illum eſſe, qui nunc *Seillans* vocatur, inter Sanitium & Antipolin.

* SONDIS, mons Thraciæ, Malchus in excerpt.

Sophone, &c. Sophena eſt Ptol.] & excerptis legat. Græc. pag. 20.

Sora, &c. urbs Paphlagoniæ eſt] Hierocli in Ζωνεδή, & Iuſtiniano novell. 29. ubi Interpres civitatis nomen in tumulos convertit, & cum ſequenti *Amaſtri* confundit.

Soron] Ζῶρα Hierocli & Conſtantini. Porphyr.

Soſſubenſem] legendum *Oſſonobenſis*, ut docet Rodericus Carus lib. 3. c. 35.

So-

Sozopolis, &c. Pamphyliæ.] Situm describit Io. Cinnanus lib. 1.

* SPALATHVM Illyrici oppidum prope Salonam, nunc civitas Archiepiscopalis, Tabula Peuting. meminit ejus, & Notit. Imperij. Sed illa *Aspalatum* vocat, quamvis editi Codices male divellant *à Spalato*, pro *Aspalato*. Vide supra v. *Aspalathus*.

Spelunca, &c. In Italia] Est oppidum *Ostuni*, quod itineris ductus & intervalla accurate ostendunt.

Specchius, &c. Ptolemæo] & Appendici Constantini Porphyrog.

Sphagia] Tres insulæ Plin.

Spodendum] ms. recte Ποσανδὸν vocat.

Stagira, & Orthagoria] ὀρθαγορεία καὶ Στάγειρα ἢ νῦν Μάκρη Append. Constant. Porphyr.

Stalia, &c. in Synodo v. Constantin.] ubi Phocas *Stalienſis* Episcopus Provinciæ Prævalienſis.

Staveni, &c. Astaveni] sic ms. Palat. & recte. Ἀσταυηνὴ vocatur eorum regio Isidoro Characeno.

Stauropolis] Ταυρόπολις Steph.

* STEGON Tanagriæ regionis vicus nominatur à Plutarcho in quæst. Græc. pag. 299.

Stratonica, &c. Hanc Adrianopolim] falsum.

Strobus] eſt *Stobos* ſive *Stobi*, quod erat municipium iuris Italici.

Strumpitza, &c. Strobitza, &c. ſine P.] στρομβίτζη Theophylacto epiſt. 32. unde apparet fuiſſe civitatem in accuratiſſima Tabula manuſcripta Bulgariæ, vocatur *Strumnitza*, & ponitur ad Strymonem fluvium haud procul ſupra Amphipolin.

Stygis, &c. Fons Ptol.] De hac aqua Stygia vide accuratam narrationem Damaſcij apud Photium in vita Iſidori.

Sublacum, &c. hodie Sollago] *Subiago*.

Sublectinus, &c.] oppidum hoc *Syllectum* Procop. 1. Vandal.

* SVBVRBICARIVM MARE, quod eſt circa oſtia Tiberis fluvij veteres Gloſſ. ad Iuven. Satyr. 5.

Succaba, &c.] prope Iſidis inſulam & portum.

Succaſani] lego *Succaſini*, qui ſub Caſino ad Lirin poſita, fuit hæc *Interamna*, cujus veſtigia clariſſima extant.

Succi, &c. ibi munimentum eſſe putat Lazius] Sed errat toto cœlo: nam *Succorum clauſtra* ſunt inter Sardicã & Philippopolim, Turcis *Deruent* dicta, quæ egregie deſcribit Buſbequius.

Succinienſe oppidum, &c. Flavinium] ſed an illa oppida terræ hiatu abſorpta? puto op-

pidum hoc ad Ciminum lacum fuisse.

Suda] Σέδαν τὴν πρὸς λίμνην ἔζαν commemorat Photius in excerptis Damascij Cod. 242. puto eumdem esse locum.

Sudernum, &c. Muderno] Tabulæ Itinerariæ *Materno*. Hujus civitatis vestigia maxima extant in via Claudia paulo sub civitate Castri. Idem Leander *Maderno* adhuc dici affirmat. [*Tudernum in Ant. fragm.*] ab Annio confictum.

* SVLFVCIVM videtur loci nomen in veteri lapide apud Capaccium pag. 329. ubi legitur *natione Suffucienſis*, sed ibi scribendum. *Seleucienſis*.

Summuranum.] est diversorium in via publica paulo sub *Murano* : nam ipsum *Muranum* paulo extra viam publicam in edito colle ad dextram Roma euntibus situm est.

Supara] Hæc est *Ophir* S. Scripturæ, ut ex Procopio in lib. 1. Regum apparet.

Superæquani, &c.] vocatur nunc vulgo *Castel vecchio de Surreco* haud procul *à Goriano*, ut Inscriptiones antiquæ ibidem extantes testantur, in quibus SVPEREQVANI scribitur, unde etiam nunc *Vallis Surrecana* nomen retinet.

Susacis, &c. Susacenses, &c. Niceph. lib. 9.] sunt *Succi* Ammian. Marcell.

Sybaris, &c. eſt fons ad Parnaſſum montem.] *Sybaritis* fons prope Sybarim Schol. Theocr. ad Idyll. 5. v. 126.

Sycamazon] locus Epiſcop. cujus non ſemel memoratur in Concil. Epheſ. Cujus Epiſcopus Dionyſius. Eſt in Palæſtina Hierocli.

Syedra, &c. Steph.] Concil. Chalced.

Sylæus] ſcrib. *Syleum* σύλαιον, &c. apud Porphyr. inter Attaliam & Pergen.

Syllectum] ſupra *Sublectum*.

Syloes, &c. etiam Σολόεις *legitur*] rectius, ſic & Scylax.

Symbolon, &c. in Taurica Cherſoneſo eſt] Nauticæ Græcorum Τζίμπαλα memine-runt.

Symes] *Caucaſum* intelligit Orphæus.

Symtti, &c. recentiores, &c.] Imo mss. Mediceus antiquiſſimus ſic legit.

Sipheum, &c. Summuranum] ſub *Murano* legendum, ut alibi in eodem Itinerario, ſub *Coſa*, ſub *Labico*, ſub *Anagnia*, ſub *Lupatio*, nam *Muranum* diſertim antiqua inſcriptio vocat.

Syrna] *Syros* Pauſan.

T

Tabreſium] ſcrib. *Tabrezium*. Vide ſup.

sup. v. *Gabris*.

Taburnum, &c. Caudini saxa Taburni, habet Gratius Poëta] ergo & ipse Samnitum statuit.

Tachari, &c. pro Tachoris Ptol. habeo] nec dubitandum. Vide infra v. Τόχαροι.

Tadinates] *Tadinatem* Ecclesiam Eugubino Episcopo, ut pote viciniori commendat Greg. M. lib. 7. epist. 87.

Tagina Vicus] *Tadinum* prope Gualdum supra Nuceriam.

* Ταλλαίων montium meminit vetus inscriptio apud Gruter. fuere pars Idæ monetis, ut apparet in postrema editione Venetis, *Tallæi* vocantur.

* TALMIS, locus Ægypti superioris ubi Blemmyes habitant. Olympiod. apud Photium cod. 80.

Tamaris, &c.] *Tambre*, vel *Tamara* tabulæ vocant.

Tamaritium, &c. Spalmax legunt] inter Messanam & Tauromenium.

* TAMATRACHA, civitas ad ostium paludis Mœotidis, Constant. Porphyrog. de admin. Imperio, alijs *Metracha* videtur hoc v.

Tamulluma] *Tamallumum* S. Eugenij exilio clara, civitas Byzacenæ provinciæ. Vide infra *Thamalla* & *Themelanum*.

Ta-

Tapara emporium] non unum ſed multa emporia hoc nomine comprehendit. Arrianus. Sed legend. Τὰ Πέρα, de quibus ad ipſum Arrianum notavi pag. 18. *Tapharum* in adverſa continente Arabiæ fuit. Hoc *Aphar* vel *Saphar* vide ſupra.

Taphra] *Taphrura* Ptolemæo.

Taphrura] *Taphra* Plinio & Melæ.

Taron] Τάρων, Τάρανος [*In Syria fortè*] potius Cilicia. Vide Conſtantin. Porphyrog. lib. de adminiſt. Imp. c. 43. fuit Civitas Epiſcopalis in Armenia Syriæ vicina, ut habet Anonymus de rebus Armeniæ App. Bibliot. SS. PP. inde Ταρωνίτης apud eumdem Conſtantinum & Theophylactum epiſt. 37. & 4. Sed maxime epiſt. 26. videnda.

Tatta, &c.] *Dioſcorides* 5. *cap.* 126.

Taureni] montes Arabiæ quos Saraceni accolunt. Nonnoſus apud Photium cap. 3.

Taurentium] apud Pomponium Melam corrupta hæc vox in *Glanon* ubi ms. *Laurion*. Sed legendum haud dubie *Taurentum*, vel potius Græca formatione *Taurois* vulgo *la Ciotat*.

Tauropolis. Num idem cum Stauropoli?] haud dubiè.

Tauropolion, &c. in Samo] malè intelle-

xit

xit Strabonem : est enim error manifestus.

Taxus] Harpocration v. Καβύλη.

Tearo] In veteri epigr. niss. Θέαρο. Eustath. ad Hom p. 1263.

Telephius, &c. Steph. & Menæchino] scrib. ex Menæchmo.

Telo martius.] Vide v. sequens.

Telumnum, &c. Telonum] Parisiensi Concilio IV. subscripsit Desiderius Episcopus *Telonensis*. Cyprianus Episcopus *Tolonensis* subscripsit Concilio Aurelianen. IV. ubi Sirmondus in Indice *Telonensis* legit, sed ego *Tolosensis* potius legerim. Sed Aurelianensi v. subscripsit Palladius *Telonensis* Episcopus, & Severus Presbyter Arelatensi v. *Telonensis Baphij* in Gallijs meminit Notitia Sconhovij: sed cum omnia cætera *Baphia*, quæ ibidem recensentur in locis maritimis fuerint, hoc quoque in Oceani, vel mediterranei maris potius ora fuisse existimo, ut & cætera omnia. Forte *Tolon* & in VI. Synodo Constantinopol. Act. 4. Taurinus Diaconus Ecclesiæ *Telonensis* Provinciæ Galliæ, ubi Græcus Codex habet Ἀηλοένσις, ubi male ex veteri illa versione latina rescribunt Τηλώνς. Scribendum enim potius Τηλονένσις: ita enim ibi omnia ista nomina, quæ in

ensis

enſis finiunt apud Latinos formantur; ut Ε'κκλησίας Α'ρχαγέτης (ubi item male Αρελάτης ſubſtituunt) Λαωδίκης, Τικένης, Ακκένης, Ασένης aliaque ibidem plura.

Temeni Porta, &c.] In tribus nummis antiquis, quorum copiam mihi fecit Ill. D. Peireſcius legitur ΤΗΜΕΝΟΤΡΕΤΣΙ; & ſic in inſigni nummo Valeriani & Gallieni Imper. apud Franc. Gotofredum. Vide Pauſan. in Atticis pag. 66. apud Ptolem. male Τραμψωδυεί) ſcribitur.

Temeſa, &c.] Abundantius Epiſcopus Eccleſiæ *Tempſanæ* provinciæ Brutiorum ſubſcripſit in Act. 4. Concil. VI. Conſtantinopolitani. [*prope Lucitum*] Ligorius locum, ubi fuit, nunc *Teſa* appellari ſcribit.

Tenericus, &c. Pauſanias] & Pyndar. Schol. Pyth. n. pag. 318.

Teneſis, &c. Sebritæ] hinc *Sebrit hites nomus* ſup. hoc v.

Tentyris, &c. Ægypti oppidum] Agatharchidæ, Plinio, &c.

Terbuniotæ, &c. Teruniotæ] Conſtant. Porphyrog. lib. de admin. Imp. cap. 29. civitas eorum hodie *Trebigna* ſupra Raguſium in mediterraneis.

Teredon, &c. Ptolem.] & Abydeno apud Eu-

Euſebium lib. 9. cap. 41. præpar. Euangel. qui videndus.

* Τέριζοι una cum *Crobyzis* nominantur ab Etymol. & Suida v. Ζαμόλξε puto ex Herodoto, qui videndus.

Termera, &c. Latini Codices Pepere legunt] & ms. Græci Περωτέρη, quæ veriſſima lectio. Vide ſup. hoc v.

Termiſſus, &c. In Piſidia] ita vetuſtiſſimum S. C. apud Ald. Manutium in Ortograph. pag. 409.

Ternesij, &c. Tarteſſis?] rectiſſimè, legendũ enim omnino illo loco Ταρτησσοῦ.

Ternobum] fuit ſedes primaria Principis Bulgarorum, Epiſcopus non ſolum Metropolita, ſed Tetrarcha, ſive Autocephalos. [*Trinabus legit Laconicus*] rectè.

* TETRACOMIA, regio Bœotiæ circa Tanagram quatuor pagos complexa *Eleonem Harma, Mycaleſſon, Pheras*. Strabo lib. 9. pag. 405.

Tetrapolis, &c.] apud Baſilium M. Epiſt. 57. Armenia *Tetrapolis* cognominari videtur, puto eſſe primam ſeu minorem. Vide ſup. v. *Armenia*.

Tetrapyrgium, &c.] Siciliæ campus apud Photium c. 242.

Thabortenum] Vide ſup. Απαναρχτικὸν.

Thaditæ, &c. Interp. Oaditæ legunt] & ſic mss.

mss. Græci.

Thalamum Θαλαμον] scrib. *Thalamon* Θαλάμων. Παρα θαλαμωνα apud Theophanem pag. 34. ubi alij ms. Θαλμῶνα legunt, sed corrupte pro ΦΛΑΒΩΝΑ.

Thamalla, &c.] *Thamallenum* Index Episcoporum Africæ, ubi relegatus fuit S. Eugenius.

Thamuda, &c. Thamudemi Θαμυδηνοὶ] *Thamudeni* Θαμυδηνοὶ in edit.

Thapsus, &c. huic quoque est Cherronesus] sunt corrupta verba Thucydidis de *Tapso* Siciliæ.

Thebæ, etc. Thebæ quæ Corsicæ cognominantur] locus corruptus.

Thebasa, etc.] Cedrenus Θήβη vocat ex Theophane, & sic corrigenda Miscella. Vide v. *Thebe*.

Thebita] apud Plinium corrupte nunc *Hebata* legitur, ubi ms. recte *Thebata* habent apud Ammian. Marcell. lib. 24. *Thibutha* scribitur pro *Thibitha* seu potius *Thebita*.

Themelanum] *Tamallumum*.

* THEMETRA civitas ex Africa, legitur in veteri tabula Brixiensi apud Oct. Rossi pag. 182.

Themissus etc. apud Steph.] & in act. 6. Concilij Chalced. unde apparet eandem esse

esse cum *Themisonio*.

Thena] puto esse *Thænia* Agatharchidę. Vide infra *Thinites*.

Thenæ Africæ propriæ urbs] Plinio & Antonino. Ptolemæo Θεῖναι.

Theodorus, etc. paludis nomen] Imo fluvius, qui Plinio *Tader* in Virgitano sinu.

Theodosia, &c. In Itinerario Benjamini, &c. Armilon nominatur] falsum.

Thera, etc. Goz hodie] hæc *Caudos*.

Therambus, etc.] Vide *Thrambus*.

Therapnas, etc. In Orphei Argonauticis, etc.] falsum: nam versum illum 948. male Interpretes accipiunt de nomine loci cum ex Hesychio Θεράπνη αὐλῶνα sive σαθμὸν Sacram Sedem ibidem significet.

Thermæ, etc. Col. Aug. Himerorum Thermit.] Ioannes Episcopus Ecclesiæ εἰς τὰ Θερμιτάνα δ' ἐν Σικιλίᾳ Act. 4. subscripsit Suggestioni Synodi Romanæ.

Thermæus, etc. Mecybenæus flexus apud Pompon.] falsum hoc: nam expresse distinguit. Sed *Thermaici sinus* nomen ante Pintiani emendationem in mendo latet. Ortelius Pintiani locum non recte expendit, ut nec ipsum Melam.

Thermida Carpet. Vrbs Ptol.] & fluvius Dexter. Quidam eruditus vir non male conijciebat esse oppidum *Zen-puzzolo*, id est,

eſt, *Centum puteoli*, ad ſiniſtram Tagi ripam haud procul Toleto.

Theu Proſopon. Θεῦ πρόσωπον.] Θεῶν πρόσωπον Scylax.

Thiluta, etc.] leg. *Thebitha*.

Thirophagi, &c. Phthirophagi: &c.] qui pediculos comedunt.

Thracis, etc.] Inter Simonidis fragmenta, unum extat ex Euripidis Scholiaſte, ubi dicitur *Medea regnum obtinuiſſe* Θεσπρωτῶν Λεχαίου.

Thraciam, etc. Xenophonti id eſt Græcorum] pag. 437. de quo mox.

Thracium locus, etc.] Xenophonti 7. Exped. Cyr. p. 395. & 1. Græc. p. 437.

Thrambus etc.] Herodoto *Therambus*. Vide ſupra hoc v.

Thranipſæ, gens circa Pontũ] leg. *gens Thrac.*

Thuria, etc. Thuriam] ibi pro τὴν Θυρείας, leg. τὴν Θ' ὑρείας.

Thurium] In v 1. Synod. ſubſcripſit act. 4. Theophanes Epiſcop. Θούριος provinciæ Calabriæ. Vetus Interp. reddit *Thurinæ Eccleſiæ*.

Thyamis, etc. hoc tract. Thiamum] corrig. *Thiamin*.

Tiaba, etc. Strab. Taba legit Steph.] utrobique legendum Τάβαι, ut ms. Steph.

Tibareni, etc. Circa Cappadociam ſunt] Tiberina regio, Cappadociæ, in qua Arian-

zus

zus. In Nazianzeni epistolis; & Basil. M. epist. 19.

Tiberiopolis, &c. Stromiza à Soph. appellatur] & Append. Constant. Porphyr. *Tiberiopolis* etiam in Cypro fuit civitas Episcopalis, cujus Antistes Aristocles legitur in Concil. Chalced. Act. 6.

Tibronanus, &c.] In Ortograph. Manutij.

Ticelia, &c.] *Tisilica* mss. legit.

* Τεῖχος μακρὸν Suid. vide supra v. *Macrontichos*.

Tifernum] In veteri inscriptione Castelli montonis legitur plurali numero. *Natus Tifernis Tiberinis*. Et sic in subscript. Synodi sub Hilaro PP. *Lucifer Tifernis Metauris*. Et in Concilio sub Symmacho *Innocentius Tifernatium Tiberinorum*.

Tigis] Tigisis Procop. 2. Vandal.

Tigranocerta, &c. Hoc Iovius Sulthania] hoc falsissimum.

Tigris, &c. Pasitigris] *Pasitigris* diversus est fluvius à *Tigri* apud Arrianum leg. 3. Alex inter Susios & Vxios fluens.

Timice] *Timitica* vel potius *Timiliga*, ut in veteri tabula ærea.

Timida, &c.] S. P. Q. *Timiligensis* civitatis Africæ legitur in Tabula ærea Brixiensi apud Octav. Rossi pag. 182. scribi-

tur ibidem *Thimiligenſis* cum aſpiratione.

Tingis, &c. Hodie Tanger] In nummo Franciſci Gothifredi TING. MIOR. SI MI. AT. II. VIR. circa duos cypreſſos ab averſa caput Herculis. Subtus ÆD. & .... literis Punicis.

Tinurtium, &c. Tournon] *Tournus* inter Matiſconem & Cabilonem ad Ararim, ut ex Itinerario Antonini apparet.

Tiora] fuit ad fluvium Thoracum in Sabinis 8. mil. paſ. diſtat à Fucino ac Velino.

* TIPHLIS ſive *Tiphilis* Iberorum Metropolis Theophani apud Photium Codice 64.

Tiriſta] *Siliſtra* hodie vocatur, ut affirmavit mihi vir Græcus bene doctus, qui aliquot menſes ibi vixerat. [*Ζεζαυλα πρίσα apud Socr. in Eccl. Hiſt.*] & Nicephorum Calliſtum lib. 14. cap. 39. Vide ſupra *Anapriſtena*.

Tiriſtria, &c. Tiriſtris legit Mela] *Piſtris* in antiq. edit. & ms. ſic *Tiriſta* de qua paulo ante Antonino, Tabulæ & Notit. Imp. *Piſtra*. In Tabula Peutingeri *Triſta*.

Tiſæum, &c. Promontorium quoque] ex Apollonio lib. 1. pag. 27. apparet proxime ſequi poſt *Pagaſas*.

* TIσ

* Τισσεὺς istic. scribend.

* TITAS mons super Ariminum Eugippius in epist ad Paschas. Diac Tom. 6. antiq. Lect Canisij.

Tisurus] infra *Tusuritensis*.

Tithrasus urbs] locus Libyæ Suid.

Titulcia, &c. Vayona] sic Ioann. Franciscus Andreas lib. de patria S. Laurentij.

Tochari] sunt *Tachari* Strab. & *Tachori* Ptol. horum regio *Tocharistan Almacino*.

Tolous, &c. Monçon Ioann. Franciscus And. lib. de patria S. Laurentij.

Topiris, &c. ab Antonino Topinium] legendum *Topirium*, sic vocatur Act. 1. Conc. Ephes Lucianus Τοπειὺς Θεὰκης in nummo M. Aurelij circa fluvium Hebrum ΤΟΠΕΙΡΕΙΤΩΝ apud Fr. Gotofr. Vlpia. Topiros in nummo Getæ apud Cardinal. Barberinum.

* TORCELLENSIS Eccleſia fuit vicina Altinensi & Gradiensi. Vide Ioan. VIII. PP. epist. 16. & 17.

Træmenothuritæ Θραμυθουείτ)] leg. Τημιθουείτ).

Tragasæ, &c. Alsius ἄλσιος] ἄλσιον πεδίον.

Trajanopolis, &c. In Phrygia maiori] vide supra *Augusta Trajana*.

Trajanus portus, &c. Hodie Pescari dici Ni-

ger auctor eſt] ſed fallitur : fuit ad Centumcellas, ubi nunc *Cività vecchia* & portus inſignis à Paulo V. & Vrbano VIII. in portus Trajani veſtigijs egregie reſtitutus.

Tranſmariſcæ lib. Notit.] Tab. Peuting. Τριομανάξια apud Procopium 4. ædific. ſcribitur. Eſt enim idem planè locus.

Treba, &c.] vocatur etiam hodie *Trevi* x. mil. paſſ. ſupra Sublaquum. Alia eſt *Trebia* Vmbriæ ſupra viam Flaminiam inter Spoletum & Folgineam ſub qua Clitumnus amnis fluit non procul inde exortus. Hinc *Trebiates* Vmbriæ populi.

Trebula Aboriginum urbs] in Sabinis. [*In Campania.*] Vide Camillum Peregrinum in deſcriptione Campaniæ. [*Monte Leone hodie*] in Sabinis eſt oppidum, paulum cis *Podium S. Laurentij*, ubi ad Eccleſiam S. Victoriæ inſignes extant Trebulanorum inſcriptiones cum veſtigijs theatri, aliarumque antiquitatum. Alia fuit *Trebula Suffena* itidem in Sabinis quod nunc *Montorium* creditur paulo ſupra *Nerulam*.

Tres Tabernæ, &c. Ciſterna vocari] falſum : [circa, aut ipſas Caſas novas fuiſſe] falſum.

* TRIA FATA, locus erat Romæ, Procop. 1. Gothic. & Anaſtaſ. in vitis Pontificum. Vide Roſvveidum ad Paulini epiſtolam

ſtolam 38. pag. 826. qui ejus meminit.

Triboces] *Triboci* vocantur in antiqua inſcriptione apud Gruterum pag. 850. erantque in Germania ſuperiori.

Tridente] MVNICIP. TRIDENTIN. In veteri inſcriptione Ligorij. Fuit Rætiæ civitas.

Triſliſcus mons, &c. ut habet] Hercembertus, & ex eo Sigonius, &c.

Trinaſi, &c.] Nautica Græcorum Τείνακα appellat.

Tripolis Oeæ, Sabratæ, &c.] In Notitia Græca mss. ſub ea recenſentur. Ἐπαρχία Τριπόλεως Τὸ σέβων Λεπτίδ Ϛ. υἱῶν.

Tripolitana regio] *Arzugitana* provincia dicitur in epiſt. Aurelij Epiſcopi Carthag. apud Baron. an. Chriſti 419. n. 58. quamvis ibi male edatur *Azuritana*: ſed vetuſtiſſimæ membranæ Biblioth. Barberinæ *Arzugitana* legunt.

Triſmacaria] Procopio munimentum ad Iſtrum in Mœſia inferiori, ubi Itineraria antiqua & Notit. *Tranſmariſca* habent.

Tritum Tuboricum, &c. Mondrago hodie] P. Ligor. *Majara*.

Tritonice, ex quo corruptam lectionem, &c.] veriſſimum, nam ms. *Tutonoe*.

Triviæ lacus, &c.] ita lenſanum vocat.

Triumpilini, &c.] Oct. Roſſi pag. 200.

Trogloditarum, &c. *Trogoditas sine l. semper scribi*, &c. sic apud Curtium lib. 4. cap. 7. antiquissimus ms. Mediceus.

Troja, &c. *Jacius ad Lycophronem*, &c.] Appianus in Historiæ regiæ excerptis apud Photium cod. 57. ipsum littus *Trojam* appellatum scribit, ubi & Æneæ castra fuere.

Tropiana, &c. *Hujus mentio est*, &c.] Act. 4. subscripsit Theodorus Episcopus S. *Tropejanæ Ecclesiæ*. In Græco textu ἁγίας ἐκκλησίας Τροπείας habetur. [*Sub Constant. Magno*] scrib. *Pogonato*. [*Eadem forte cum Postropæa*] leg. Eadem forte quæ *Postropæa* Stephano; quasi Latine diceres *ad Trophæa*. Ianus Parrasius locum ita dictum vult à Trophæis S. Pompeij, cum Octavianum Cæsarem prælio navali ibidem vicisset.

* TVANA, Cappadociæ civitas Vitruv. lib. 8. cap. 3. quæ alijs *Tyana*.

Tuburbis] *Tuburbum majus* & *minus* distincta erant oppida. [*Ado & Martyrologia antiquissima ante Adonem*, &c. [Tuburbitanorensis] fortè Tuburti minorensis.

Tucca] *Tuccam Terebinthinam vocat Ant.*] Sic nummus Tristani tom. 2. pag. 402.

Tucci, &c.] *Tucci* aliud inter Ilipam & Italicam ponit Itinerar. Antonini, postea

Tuc-

Tuccina ſive *Toccina* dicta. Hanc in veteri lapide *Tucillam* dictam putat. Roder. Carus antiq. Hiſpal. lib. 3. cap. 10.

Turcæ, &c. Turcorum meminit Suidas] Videndus egregius locus Menandri Protectoris in excerptis legat. pag. 108.

Turdetanorum urbem, &c. Turdetum vocat Florianus] & Rodericus Carus lib. 3. antiq. Hiſpalenſ. cap. 32. ubi verum ejus ſitum explicat, & *Turdeti* nomen nunc quoque in ruinis ſeruare docet.

Turduli] *Turduli veteres* Melæ ſunt incolæ Eſtremaduræ.

Turobrica, &c.] Caſtillo de *Turra* exiſtimat Roder. Carus lib. 3. cap. 60. antiq. Hiſpalenſ.

Turris, &c. Turris Auguſti] eſt *Corcolion* ſub ipſo prom. finis terræ vel *Cea.*] *Blaſium nunc vocari ſcribit Gabriel Barrius*] Ego *Maidam* exiſtimo; olim civitas Epiſcopalis fuit: nam *Turritanam* Eccleſiam Scyllatino Epiſcopo commendat S. Gregor. M. lib. 2. epiſt. 38, ſed S. Gregorium *Thurienſem* Eccleſiã intelligere alij exiſtimant. Sed lib. XI. epiſt. 18. *Taurianenſem* & *Turritanenſem* Eccleſias unitas fuiſſe oſtendit, quod priorem potius opinionem confirmat.

TuruZitenſis] infra *Tuſuritenſis* & *Tuzuritenſis*.

* TVSCVLANVM locus eſt ad lacum Benacum in veteri inſcriptione apud Oct. Roſſi pag. 212. nomen adhuc retinet haud procul à Salo.

Tuſuritenſis] ſupra *Tiſurus*.

Tylangium.] *Tylangios* inalpinam gentem ad Rhodani fontes commemorat Avienus in ora maritima.

Tymium, &c. Hieruſalem vocatum a Montano Hæretico, addit Haymo] Idem ipſe Euſebius ex Apollinari affirmat lib. v. cap. 17.

Tyrica, &c.] an circa *Tyram* fluv. optimè conijcit.

Tyritacite, &c.] *Tyrocaſtrum* circa hæc loca poſtea fuit, cujus meminit Conſtantinus Porphyrog. de admin. Imperio.

* TYROCASTRVM Iberiæ vel Colchidis locus Conſtantin. Porphyrog. de admin. Imperio.

Tyrus] vide ſupra χλωρὸς τυρός.

Tzumina] regio Armeniæ, ubi *Iuſtinianopolis* civitas à Iuſtiniano ædificata fuit. Procop. 3. ædific.

V

Vacca, &c.] *Baga*.] A. Hirtius non procul Vzita diſſitum ſcribit.

Va-

Vadimonis lacus, &c. iuxta Amerina prædia] quia Ameria ex adverſa Tiberis ripa imminet.] *Oppidi Baſſan.*] ſcrib. *Baſſanelli*.

Vagienſis, &c. habet Honorius] de ſcript. Ill. cap. 72. Miræus malè. *Bajenſi* edidit. In Gennadij codd. editis uti ms. recte *Vagenſi* legunt Ipſa autem Civitas *Vaga* dicitur Ptolem.

Valentinianopolis, &c. Euſebium hujus urbis Epiſcopum, &c.] In excerptis Georgij apud Photium Cod. 96. legitur Ευσέβιος ὁπὸ τῆς Κελβιανῆς ὁπίσω & Ὀυαλεντινιανουπόλεως, ita ut *Celbianum* patria ejus Euſebij fuerit.

Valeria, &c. ſed Aleria] & ſic vetus inſcriptio Scipionis. Vide Salmaſ. ad Solin. pag. 29. Ἀλαλία Herod. lib. 1. & Ἀλαλία Steph.

Varalij] Βαλάειοι Appiano.

★ VARDAGATENSIVM civitatis meminit lapis Brixian. apud Manuc. pag. 163. & apud Oct. Roſſi pag. 311. unde apparet eſſe oppidum *Vrago* ad Melam haud procul à Brixia.

Varutha, etc.] *Vaſagadenſis* & *Vſagadenſis* in ſubſcript. Concilij Nicæni.

Vaſſionenſis, &c. Vaſiorum] ὐασιὼν eſt *Vaſio* Vaſionis, ita ubique peccarunt interpretes Ptolemæi. Vetus lapis ſcribit uno *S. Vaſione* apud Manucium.

Va-

Vatrenus] vide Phil. Cluverium Ital. antiqua.

Vcecenſem Epiſcopum, &c.] *ab Vcecia* infra.

Vdaba] Notitia Sirmondi *Vbada*.

Vcetica, &c. Vtica fortaſſe] falſum. Eſt *Vſicz* civitas Epiſcopalis.

Vcimajus, &c.] infra v. *Vzita*.

Vcultiniacum, &c. Curiga] *Turiga* nunc editur, de hoc vide Roderic. Carum antiquit. Hiſpal. lib. 3. c. 70.

Vejentes] nunc *L'Iſola de Farneſi*.

Vempſum Pt. Latij oppidum] ponit inter Anagniam & Lanuvium, ſed locorum ordo & ſitus ibi mire perturbatus.

* VENDOARA, Villa in Galijs Pultarienſis Monaſterij Ioan. PP. VIII. epiſt. 210. 211. & 212.

Veneti. Vtriuſque Venetiæ, &c.] Inferioris *Venetiæ* meminit notitia Sconhoviana.

Verebagan, &c.] *Seregaba* Cedren. ſup. hoc v.

Vereſis, &c.] *Oſa* nunc dicitur.

Veretum, &c. S. Maria de Vereto] In Tab. Magini *S. Verato, &c.*

Vergentum, &c. quod Iulij genitor] Genius legend. Vide *Orippo*. *Vergentum* hodie *Gelues*. Vide Roderic. Carum antiq. Hiſp. lib. 3. cap. 20.

Ve-

Veſcia urbs, &c.] *Veſcinus caſeus*, Martialis. *Veſcinus Saltus* lib. de limit.

Veſontio, &c. Chryſopolim quoque appellatam ſcribit Paradinus]- ſic Ioan. VIII. epiſt. 245. Theodoricum *Sanctæ Chryſopolitanæ Eccleſiæ* Epiſcopum vocat; qui epiſt. 110. *Biſonciones ſis* vocatur.

Veſtinus] ubique legendum *Veſcinus* à *Veſcia* de qua ſupra.

* VESTORIANVS vicus Neapoli, vetus lapis apud Capaccium pag. 326.

Vffugum, etc. Montalto] forte rectius *Faggiano*, quaſi *Vffugianum*.

Via] *Illa* ms. unde lego *Ulla*, ut etiam hodie vocatur.

Vicaria, etc. Macarij ex Vicaria] leg. ex vicarij, officij nomen.

Vicus, etc. Vicus Iulius circa Moguntiam Germ. Anton.] fuit *Aturenſium* in nova Populonia, unde Aturenſis Epiſcopus *Vico-julienſis* quoque appellatur. Vide Sirmondum ad Tom. 1. Concil. Gall. pag. 615.

Villa, etc. Villa Magna] *Villa Magna* ad viam Lavicanam haud procul ab Anagnia in veteri inſcriptione, nomen etiam nunc ruinæ ſeruant [*Hiſtoria Miſcella*] lib. 11. & ex ea Sigonius, &c. Alia ad xxx. viæ Appiæ in excerpt. Amniani Marcell. p 472.

Vi-

Viminatium] COL. VIM. P. M. S. legitur in nummo Philippi patris apud Triſtanum lib. 2. p. 557. hoc eſt Colonia Viminatium provinciæ Mœſiæ ſuperioris [*βιμινάκιον Proc. 4. ædif.*] & Theophylacto Simocattæ apud Photium cod. 65.

Vincium] Vencienſis Epiſcopus hinc Io. PP. VIII. epiſt. 70. ſub Ebrodunenſi Archiepiſcopo. Vide ſupra v. *Venſienſium.*

Virana, ubi acidi fontes, etc. hodie Francoliſe] ſub ipſo *Francoliſe* ſcaturire Illuſtriſſimus Theanenſium Epiſcopus mihi affirmavit.

Viterbum, etc. Platina tradit q. Vetuloniam dictam.] falsò.

Vivarienſe Mon. etc. Vivarienſis Epiſc. mentio eſt] apud Ioannem PP. VIII. ep. 101.

Vlca] *Volgam* puto.

Vlci, etc. Laorina] *Bucino.*

Vlmerugi] ſic dictos puto tanquam Rugios Inſulares, cum *Holm* Septentrionalibus populis dicatur inſula.

* VLPIA PETAVIO in veteri inſcriptione apud Card. Barber. v. ſupra v. *Petovio.*

Vlpia Serdica, &c. in nummo Caracallæ] & in alio Adriani Cæſaris apud R. P. Iac. Sirmondum.

* VLPIA TOPIROS, nummus Getæ apud Cardinalem Barberinum ΟΥΛΠΙΑϹ

TO-

ΤΟΠΙΡΟΥ circa duas figuras, quarum altera monti insidet. Supra v. *Topiris*.

Vlpianum, &c. cum Dacia vicina sit Illyrico] confundit Daciam veterem Trajani cum Illyricana.

Vlyssopolis, &c. Odyssus] sic & in Græco exemplari Nicephori legitur pro *Odesso*; unde interpres nobis hanc *Vlyssipolim* peperit.

* VMBILICVS TERRÆ Vide Μεσομφαλία, & sic Manlius apud Varronem de lin. lat. l. 6. pag. 69.

Vnchæ, &c. Onchæ] sic ms. Mediceus antiquissimus.

Vnni, &c. veteres eos Nebros appellasse, &c.] Nevros Herodoti & aliorum intelligit.

* VNNVM Οὔννου Castrum ad Danubium Mœsiæ superioris Procop. 4. ædif. Tab. Peuting. *Vnam* scribit paulo supra *Ægeta* oppidum.

* VOLVBRVM locus fuit in territorio Furconensi, ut obseruavi in antiquis privilegijs, Monasterij Farfensis.

Vrgia] ms. *Vgia*, ut Antonini Itinerarium, de qua supra hoc v. nunc *las Cabeças* vocari ostendit Roder. Carus antiq. Hisp. lib. 3. cap. 31. ejusque situm explicat.

Vri] leg. Σύροι.

Vrsinium] legend. Vrsinum, & ab Vrsino

ſino] apud Optatum] lib. 1. lego *Vrbi-num*.

Vrſo, &c. Vrſaonenſes] & ſic Roder. Carus lib. 3. antiq. Hiſp. c. 54.

Vſalitanum, &c. an ab Vſalis] omnino.

Vſceta, vide Vzecia] ſunt duo diverſa oppida apud A. Hirtium *Vzita* & *Vſceta*.

Vſilla] hinc Vſallitani in veteri tabula apud Gruterum p. DXII.

Vvelatabi] Vvelitabi, qui nunc Litaviam incolunt.

Vzi. Hunnica gens, &c.] primo habitabat ultra fluvium *Rha* ſupra mare Caſpium Conſtant. Porphyr. de admin. Imp.

Vzita, &c. Vcitana] Vcitana oppida duo dicit Plinius *majus* & *minus*. Hinc *Vci majus* in Collat. Carthag. ſup. hoc v.

X

Xanxaridis, &c. *apud Nazianz. in epiſt.*] epiſt. 77. [*neſcio ubi locorum.*] Haud dubie in Cappadocia.

Z

* ZABE vocabatur regio Africæ, quæ trans Auraſium montem jacet, & Mauritania prima dicitur; habetque primariam ci-

civitatem *Sitifin*.

Zabulon, &c.] est etiam *Zabulon*, sive *Zabulorum castellum* in Euphratensi apud Procop. 2. ædific.

Zachlubi] Ζαχλυβῆ) Constant. Porphyr. lib. de admin. Imp. cap. 29.

Zagri, &c. Hunc Mercator eumdem facit cum Strongylo contra Græcorum Codicum fidem.] quos tu non intellexisti; nam unum eundemque montem esse certissimum est.

Zagrus. Ptol.] & Isidoro Char. [Plinio, &c.]

Zagylis, &c.] vide supra verbo *Gazulena*.

* ZAPARENA civitas Illyricanæ Diœceseos legitur in V. Synodo col. 2.

Zapavortene] rectius ms. *Apavortene* legunt; est enim Ἀπαναρτήνων Isidori Characeni.

Zeleia, &c. Zelia Troadis urbs] sic Arrianus lib. I. Alex. p. 13. [*Steph. & Eustathius faciunt Cyzici castellum*] idem cum præcedente.

Zenobia, &c. cui nomen Conche] De hoc loco vide antiq. Tiburtin. Ant. del Re pag. 92.

Zenopolis] Ζηνωνόπολις rectè dicitur non semel in Constantinop. VI.

* ZERBVLA Castellum in Auraso mon-

te

te Numidiæ Procop. 2. Vandal.

* ZETNVCORVM caſtrum Daciæ Ripenſis apud Procop. 4. ædific.

Zeugminium, &c.] Zeugmin Ioanni Sinamo.

Zicchia, &c.] *Zicchiæ* oppidi ad Nicopſin fluvium meminit & Conſtant. de admin. Imperio cap. 42. *Maurozichia* hodie dicitur haud procul à Boſphoro Cimmerio, ubi & *Albazichia* fuere hic olim *Zinchi* Arriani. *Zygæ* & *Zygi* Plinij & Steph.

Zinchi, &c.] meminit τῆς Ζιγχῶν etiam Epiphanius in confeſſione veræ fidei cap. 10. pag. 1091.

Zoara, &c. ad Aſphaltidem paludem] Sic Adamnanus.

* ZOGRA, vide *Zygris*.

Zombis] *Iſombus* in Tabula Peutingeriana ſcribitur.

Zygris, &c. Zygrorum proxime ad Libyam] Sic etiam Acte 1. Concil. Chalced. Ζύγρων, Epiſcopus Interpr. Latin. mss. *Zogrenſis* & Hierocli Ζώγρα ipſe locus, quamvis conjuncto nomine Ζωγροζαγύλις ibi ſcribatur, quod duo illa loca in unum coaluiſſent corpus.

FINIS.

DISSERTATIO
DVPLEX
DE
SACRAMENTO
CONFIRMATIONIS
APVD GRAECOS.

INSTITUTUM
ARCHAEOLOGICUM
GERMANICUM
ROMA

IN his posthumis dissertationibus V.C. Lucæ Holstenij de Ministro & forma confirmationis apud Græcos orthodoxa huius Sacramenti dogmata, antiqui ritus & consuetudines, atque Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ in eius administratione consensus doctè, solide & luculenter elucidantur. Quare dignissimas præcenseo ego infrascriptus qui iussu Reuerendissimi P. M. S. P. Apost. eas accuratè perlegi. In Monasterio S. Bernardi ad Thermas die 19. Iulij 1665.

D. Ioannes Bona.

LVCAE HOLSTENII
DISSERTATIO
PRIMA.
DE *MINISTRO CONFIRMATIONIS*
Apud Græcos
Aduersus quemdam recentiorem.

VM Ecclesia Dei unum sit corpus, neque esse possit ubi unitas non est ; nihil homine Christiano dignius judico , quam ut concordiam mutuamq; unionem membrorum omni opera studioque foveat ; e contra vitet fugiatque ea quæ dissidijs excitandis alendisque faciunt. Luctuosum schisma , quod Orientis & Occidentis Ecclesias dudum disjunxit , illis potissimum imputandum est , qui Christiana caritate posthabita disputandi pruritu omnia in quæstionem & controversiam adduxerunt, quæ diverso ritu apud partem adversam aguntur . His nulla vel exigua veritatis cura, sed unum vincendi studium , ut ex sua consuetudine

vel opinione alijs legem præſcribant. Illud autem miſera & afflicta fortuna duriſſimum & iniquiſſimũ, habet quod inſultantium ludibrijs impune pateat. Ita mihi Orientalis Eccleſiæ calamitatem cogitanti Leo ille moribundus in Phædri fabulis obverſatur. Scimus enim qui homines, qua doctrina & antiquitatis ſacrę cognitione inſtructi ad ſingula ferme religionis capita rituſque etiam ſolemnes ac probatiſſimos convellendos prodierint, cum non ita pridem de Euchologio Græcorum recenſendo ageretur: quorum tamen conatus aliorum prudentia hactenus repreſſit. Ex eodem ludo novus hic certator prodit, vt Arcudium, virum de re Chriſtiana in eccleſiarum concordia concilianda optime meritum, alioſque pacis & tranquillitatis eccleſiaſticæ ſtudioſos, ut ait, incurrat. Si tamen in agonem lucemque publicam prodierit, parti eius metuo, ita levi armatura inſtructus, telis ut plurimum arundineis, & plumbea cuſpide amentatis hoſtem laceſſit, ſcuto ſeptemplici protectum; ipſe interim totus vulneribus patens. Id ſcio cauſſæ huic patronos non defuturos: de fine autem & exitu huius concertationis facile augurari licet, ex doctiſſimorum homi-

hominum ſcriptis nuper editis, de preſbyterali chriſmatione etiam apud Latinos olim uſitata. Illi preſtius hæc ſi publicentur examinabunt: ego quæ perfunctoria lectione & feſtinante oculo obſervavi interim indicabo. Principio igitur nequaquam mihi ſatis accurate definitus videtur huius controverſiæ ſtatus. Eo enim recte conſtituto lis tota ſine conflictu ex æquo & bono componi potuiſſet. Græci enim in quibus erroris accuſantur, partim culpa omni carent, partim veterem Occidentis eccleſiam crimenis eiuſdem ſociam habent; ſi quis in eorum chriſmatione error nunc fuerit. Hoc igitur præſuppono, Confirmationis modum ritumque non unum eundemque, ſed diverſum apud Græcos Latinoſque iamdudum fuiſſe. Horum enim Confirmatio duabus quaſi conſtat partibus, Vnctione ſcilicet ſiue obſignatione frontis, & impoſitione manuum qua Spiritus Sanctus baptizatis & ſignatis advocatur. Græci autem in obſignandis baptizatis ſola utuntur chriſmatione frontis, omiſſa manuum impoſitione. Hinc Latini, qui manus impoſitionem ab Apoſtolorum exemplo deducunt, ut confirmationis partem præcipuam, ſolis Epiſcopis in Apoſtolorum

ordinem vicemque ſuccedentibus eam reſervarunt: & quandoque manuum impoſitionis ſacramentum abſolute vocant, ut in Epiſtola Euſebij PP. Græci autem, qui manus impoſitionem vt minus neceſſariam omiſerunt, dum virtutum & linguarum donum deſijt, in ſola Chriſmatis obſignatione Confirmationem ponunt, ideoque μύρον, & χρίσμα fere ſemper appellantur; Et ejus quidem confectionem non quibuſvis Epiſcopis, ut Latini, ſed præcipuis, hoc eſt ipſis Patriarchis reſervarunt; uſum autem & adminiſtrationem Epiſcopis promiſcue & Sacerdotibus permiſerunt: quod obſignatio illa, quam baptiſmo ſemper adjungunt, ſuperiorem ſive Epiſcopalem dignitatem haud quaquam requirere abſolute videatur; ſicut manuum impoſitio apud Latinos, Apoſtolici muneris, vt dixi, imitamentum.

Idem olim occidentalis eccleſiæ ſenſus nec uſus diſpar. Nam Gallicanas & Hiſpanienſes Eccleſias unctionem ſive obſignationem frontis presbyteris quoque una cum baptiſmo peragendam permiſiſſe certiſſimum eſt; ita ut Epiſcopis ſola manus impoſitio ſine chriſmatione reſervaretur. Romanam autem Eccleſiam ejuſque dioeceſin excipio, quæ peculiari con-

consuetudine præter manuum impositionem etiam frontis vnctionem solis Episcopis expresse vindicavit, quod Innocentij I. Gelasij, & S. Gregorij M. litteræ testantur. Ne tamen præter antiquum Ecclesiæ vsum omnis plane baptismatis vnctio sacerdotibus ademta videretur, duplicem fecerunt chrismationem, unam sacerdotalem in vertice capitis, alteram Episcopalem in fronte, una cum manuum impositione peragendam. Et hunc confirmandi modum sexto & septimo sæculo Pontificum Romanorum instantia sensim omnes per occidentem Ecclesiæ recepe-runt: ita ut veteris usus non solum vestigia, sed etiam ipsa memoria oblivione evanesceret. Quam ad rem non parum profuerunt natæ circa septingentesimum Christi annum supposititiæ veterum Pontificum literæ, quę antiquitatis specie & splendido magnorum Pontificum nomine rudi & inficeto seculo facile fucum fecere, illæ inquam, quæ Eusebij, Damasi, Leonis, & Ioannis III nomen mentientes expresse hac de re agunt: quæ paulo post ad controversiam Bulgarorum occasione exortam, sæviſſime exasperandam, peropportunæ fuerunt: præsertim cum jurisdictionis ecclesiasticæ hinc repeten-

dæ, inde retinendæ ſtudium vehementius acceſſiſſet. Inde denique factum, vt poſteriores Latini ex ſua conſuetudine tantum rem æſtimantes, cum manus impoſitionem à Græcorum chriſmatione abeſſe cernerent, Confirmationis ſacramento eos prorſus carere affirmaverint, ut & ceteros orientis populos, Græcorum ritum hac in parte ſequentes. Hoc enim de Græcis & Armenis Guido Perpinianus; de Ruthenis Sacranus, Gaguinus & Thevetus; de Æthiopibus Zaga Zabo Epiſcopus ſcribere non dubitarunt.

Neque alio ex fonte manavit nova hæc controverſia, quam ex ignoratione vetuſti utriuſque Eccleſiæ moris. Quia ſcilicet ſacerdotes non ſolum in Oriente, verum etiã in Occidente aliquando Chriſmationis miniſtros fuiſſe, vel ob antiquitatis ſacræ neglectum, vel etiam ob intempeſtivum partium ſtudium, minus cognitum perſpectumque habemus. Sane Summi Pontifices, qui de eccleſiarum concordia reſarcienda ſolliciti Conciliorum diſquiſitionibus rem permiſere, Græcis perpetuum orientalium eccleſiarum morem pro lege ac jure afferentibus non difficulter acquieverunt: quamvis veteris tunc Eccleſiæ diſciplina non ita clare in lu-

lucem esset revocata, quam nostro patrumque nostrorum seculo doctorum hominum opera ita restitutam videmus, vt nemo nisi sciens volensque nunc in tenebris palpet.

Hæc in genere præfatus ipsam nunc disputationis seriem sequar, & quàm legitime certet contra Græcos obiter observabo.

Duplex nodus quęstionis est. Primus. Quis ante schisma chrismationis minister fuerit apud Græcos; Episcopus ne, an Presbyter? Respondeo, & Episcopus, & Presbyter: ille ordinaria, hic extraordinaria & delegata auctoritate; quæ tamen longo & perpetuo usu ordinaria quodammodo evasit. Secundus. Quo iure Græcorum presbyteri post schisma soli chrismationem conferant? Dico, eodem quo ante schisma: h. e. ex consuetudine inveterata Ecclesiæ Orientalis. Nego tamen solum presbyterum semper obsignare: nam Episcopi etiam hodie cum baptizant, ipsi chrismate baptizatos liniunt: quod Græci cæterique orientales in Vrbe degentes testari possunt. Arcudij aliorumque rationes pro Græcis quanti sint roboris, quanti etiam momenti rationes oppositæ ordine patebit.

AD CAPVT PRIMVM.

De testimonijs ex SS. Patribus Græcis pro sola Episcoporum chrismatione allatis.

I S. LVCÆ ex Actis, solos Apostolos tradidisse Spiritum Sanctum, nusquam vero Lxx. discipulos, aut alios fideles. Ex quo Patres omnes solis Episcopis &c. non vero presbyteris, qui succedunt Lxx. discipulis.

Hoc præclarum axioma format ex narratione Actor. c.8. vers.12. vbi Apostolos Samaritanis à Philippo Diacono baptizatis manuum impositione Spiritum Sanctum tradidisse legimus. Hinc ita argumentatur: Apostoli Samaritanis baptizatis manus imposuerunt; Ergo solis illis eorumque successoribus chrismatio competit. Item, Philippus Diaconus baptizans Samaritanos, Spiritum Sanctum ijsdem non tradidit: Ergo nullus Lxx. discipulorum, vel aliorum fidelium Spiritũ Sanctum baptizatis contulit: adeoque presbyteri eorum successores chrisma conferre non possunt.

Hic

Hic quod de solis XII. asserit, ipsi S. Lucæ adversatur; qui sequenti capite 9. v. 17. Ananiam, non Apostolum, sed simplicem discipulum, Paulo recens converso præter baptismum etiam manus impositionem fuisse narrat, ut impleretur Spiritu Sancto. Vnde D. Hieronymus dialogo contra Luciferianos, Ioannis & Christi baptismum inter se comparans; *Ioannes*, inquit, *Spiritum Sanctum non dedit, quem Philippus diaconus Eunucho dedit; quem Ananias Paulo dedit?* Philippi diaconi exemplum paulo post idem Hieronymus repetit, ut ostendat manus impositionem Episcopalem non esse absolute necessariam ad Baptismi perfectionem & Spiritum Sanctum obtinendum, sed illum etiam à presbyteris & diaconis in baptismo conferri, *nisi forte*, inquit ab absurdo argumentans, *Eunuchus à Philippo diacono baptizatus sine Spiritu Sancto fuisse credendus est*. Inde exemplum Samaritanorum opponentibus reddit causam diversitatis ex ipsis S. Lucæ verbis, scilicet, quia per manus impositionem Spiritum Sanctum à Philippo non acceperant; sed, ut Lucas ait, solum baptizati erant in nomine Domini Iesu. Ergo ex Hieronymi mente Philippus Eunucho cum baptismo etiam Spiritum Sanctum

ctum contulerat. Et hæc ad teſtimonium S. Lucæ ex Actis. Deinde ſi quis rationem petat, cur à Philippi diaconi baptiſmo abſolute argumentetur ad Lxx. diſcipulos, aqua hærebit auctori. Etenim certiſſimum eſt Philippum cæteroſque diaconos non ex Lxx. diſcipulorum, ſed ex reliquorum fidelium numero electos fuiſſe, *menſarum*, vt D. Hieronymus ait, *& viduarum miniſtros*. Nam Lxx. ipſius Chriſti electione XII. Apoſtolis ad prædicandum Evangelium ſuccenturiatos, qua ratione ad miniſterium ipſi Apoſtoli degradaſſent? Deinde quomodo à Philippi diaconi miniſterio auctor infert ad ordinem presbyterorum: cum ipſa ſcriptura tam accurate utrumque ſemper diſtinguat? Ad hæc quis Lxx. quos ipſa Sacra Scriptura, & SS. Patrum plurimi Apoſtolos vocant, meros preſbyteros fuiſſe affirmet? Erant enim revera Apoſtolorum collegæ, licet gradu inferiores. Vt omittam Dorotheum, alioſque hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptores, qui ab ijſdem Lxx. præcipuas & nobiliſſimas ſedes Epiſcopales fundatas affirmant, quarum ipſi primi numerantur Epiſcopi; quid Nicolao I. Romano Pontifici faciet, qui epiſtola quadam ad Rodulfum Bituricen. Archiepiſcopum ſic ſcribit: *Ad formam*

Lxx. *Chorepiſcopi facti ſunt, quos quis dubitet Epiſcoporum habuiſſe officia?* Numquid Nicolaum illa omnium SS. Patrum communis doctrina de Lxx. presbyteratu latenis doctrina de Lxx. presbyteratu latebat? Sed de SS. Patrum teſtimonijs, eorumque hac in re conſenſu iam ordine videbimus.

Euſebij PP. Epiſtola 3. merum figmentum eſt ex Hiſpanienſi Iſidori Mercatoris officina ſub principium octavi ſeculi prolatum. Falſitatis eam coarguit Binius ex aperto mendacio de inventione S. Crucis, eiuſque feſtivitate tum inſtituta. Eiuſdem notæ ſunt Epiſtola v. Damaſi, & aliæ Leonis & Ioãnis III. de quibus inferius dicendum erit. Verum ego non quoſdam, ſed omnes SS. Patres ita ſenſiſſe nego. Clementis loco ex Conſtit. Apoſtol. lib. 3. cap. 16. quem male mutilatum affert, alium clariſſimum eiuſdem Clementis ex lib. 7. cap. 23. oppono, vbi & baptizandi, & chriſmandi officium ex æquo Epiſcopo presbytero permittit. Epiſtola autem 4. quæ tota ex 6. Recognitionum concinnata eſt, ab omnibus omnino eruditis pro ſpuria habetur. In Euſebij PP. Epiſtola ſuppolititia non eſt quod triumphet, ea enim levis aut nullius momenti eſt, ut dixi. Cetera teſtimonia probatorum Patrum

trum Episcopos Græcorum olim chrismasse ostendunt, sed numquid semper, & exclusis ab hac functione presbyteris. Id vero Chrysostomi testimonio hom. 18. in Acta certo se probare posse existimat. Sed profecto ille locus non eam vim habet, si recte expendatur. Varie enim in eo citando & explicando peccat. Primo non integrum affert, sed mutilum. Chrysostomus enim duplicem reddit rationem cur Samaritani baptizati non acceperint Spiritum Sanctum, *vel quia forsan Philippus in hoc Apostolos brevi venturos honorabat*; scilicet reservando ipsis manus impositionem: *vel quod huiusmodi donum non haberet: erat enim unus ex septem Diaconis. Ideo & baptizans Spiritum Sanctum non dabat, neque enim facultatem habebat. Hoc enim donum solorum duodecim erat.* Prima ratio, quamvis ipse Chrysostomus eam improbare, vel posteriori postponere videatur, attamen S. Hieronymum adstipulatorem habet, dial. adversus Lucifer. Æque ac secunda; ubi ait: *Quod si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum Sanctum, quem nos asserimus in vero baptismate tribui: disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post Ascensionem Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit,*

& *multis locis idem factitatum reperimus ad honorem potius sacerdotij, quàm ad legis necessitatem*. Vnde mox ipsius Philippi exemplo ostendit, posse Spiritum Sanctum etiam sine manuum impositione Episcopali tribui. Deinde idem Chrysostomus paulo ante dixerat Samaritanos baptismo Philippi accepisse spiritum remissionis sive adoptionis, non autem spiritum miraculorum, quem Apostoli per manus impositionem illis contulerunt. Idem quoque S. Augustinus confirmat tract. 6. in 1. epist. S. Ioannis. *Primis temporibus cadebas super credentes Spiritus Sanctus, & loquebantur linguis, quas non didicerant. Significatum est illud, & transiit. Numquid modo quibus imponitur manus ut accipiant Spiritum Sanctum, hoc expectatur, ut linguis loquantur*; Vnde apparet quare Græci manus impositionem chrismationi postea non adjunxerint, cessante virtutum & linguarum dono. Præterea male explicat *Coryphæos* Episcopos, in verbis Chrysostomi, & *non alios*, hoc est, presbyteros. Cum ille ipsos Apostolorum principes ac præcipuos Petrum & Ioannem intelligat, non alios autem, inferiores minusque celebres Apostolici Collegij: puta Taddæum, Bartolomæum, Barnabam. Si quid igitur ex

hac

hac Apoſtolorum inter ſe comparatione colligendum fuerit, ſequeretur ex Chryſoſtomi mente manus impoſitionem non quibuſvis ordinarijs Epiſcopis, ſed ſummis tantum, puta Patriarchis & Primatibus permittendam eſſe: quales inter Apoſtolos fuere Petrus & Ioannes. Quinto ſeculo importune inſultat Græcis, ut vel unum pro ſuo ritu afferant teſtimonium: idque produci poſſe præfricte negat. Sed quæ Græci afferant, & quæ præterea afferri poſſint, ad cap. 4. videbimus. Hic enim Pæana canit ante victoriam.

Septimi ſeculi teſtimonium ex 6. Canone Concilij CP. VI. in Trullo, non ſua, ſed Iodoci Coccij fide affert, ex cujus locis communibus hanc ſuam pharetram inſtruxit: quamvis hic tantum ſe prodat, vel quia Concilium non inſpexit, vel quod primo inſpectu Canonem citatum non invenit. Sunt enim hæc non Concilij in Trullo, ſed Theodulphi Aurelianenſis Epiſcopi verba, in Capitulari ad parochiæ ſuæ ſacerdotes cap. 22. Itaque hoc teſtimonium Latini ſcriptoris eſt, ad finem octavi ſeculi pertinens; adeoque nihil ad rem facit. Sed apparet hinc quam jejunus, & hoſpes ſit hic ſcriptor in lectione veterum; & quam facile ſibi imponi patia-

tur,

tur, alijsque sua obstrudat temere undecunque corrasa. Concilij autem in Trullo non 6. sed 78. canon præcipit, vt competentes ad baptismum fidei symbolum discant, idque *coram Episcopo aut presbyteris* recitent. Hunc autem Canonem ex Laodiceno 46. repetitum Zonaras & Balsamon recte observant: atque inde sine dubio Theodulphus hausit. Reliquum capitis otiosa declamatio est.

AD CAPVT SECVNDVM.

Sacerdotes in Græcia ante schisma non chrismasse.

ILLVD principio testor, me ex animo abominari & detestari impium & sceleratum facinus Photij, qui ambitioni suę palliandæ schisma in Dei Ecclesiam luctuosum induxit. Ideo tamen nequaquam prævaricari dixerim eum, qui schismatis occasionem caussasque nunc diligentius expendat. Inter eas una est, chrismationis sacerdotalis improbatio, ejusdemque iteratio apud Bulgaros. Tota hæc controversia ex diverso utriusque Ecclesiæ ritu orta est: dum Latini ex veteri Ecclesiæ Roma-

Romanæ consuetudine eam solis Episcopis reservandam, Græci autem etiam à presbyteris legitime administratam contendunt. Hi nullam contra afferunt rationem præter constantem usum orientalis Ecclesiæ, quem nulla lege Ecclesiastica vetitum affirmãt. Tum quod ea pars & complementum baptismatis semper habita fuerit orientalibus, adeoque separari ab eo non debeat. Vnde concludunt, ei, qui baptizandi jus habet, non denegandum ius chrismandi. Adhæc qui ipsum Corpus Christi consecrare, eoque communicantes sanctificare potest, multo magis baptizatos unctione chrismatis poterit sanctificare.

Hasce rationes Photius Latinis opponit in Epistola encyclica ad Patriarchas Orientis, vbi chrismatis iterationem vt rem omni ratione carentem, & in oriente inauditam exagitat, quia sacerdotes Græci hactenus sine ulla contradictione obsignarant. Quis hominem, cetera vecordem, Patriarchis, summis Orientalium Ecclesiarum præsulibus, hæc scripturum & ad receptam Ecclesiarum consuetudinem provocaturum existimet, si ipse tum primum novo exemplo contra morem universalem presbyteris chrismationem per-

permisisset ; ceteris Ecclesijs contrarium obseruantibus ? Hæc irrefragabiliter totius Orientis consuetudinem, pridem ante Photij tempora receptam, usuque confirmatam ostendunt. Rationes oppositæ nullius sunt momenti. Quærit, cur Epistola ad Nicolaum inter diversas & discrepantes consuetudines, non etiam hanc recenseatur? Dico, hoc caput esse controversiæ, cujus ob causam reliquas illas variationes commemorat. Secundo cur consuetudinem illam Nicolao non obtendit? Illam vero ita publicam & manifestam esse præsupponit, atque ita usu comprobatam ; ut stultum & portentosum existimet eam in dubio revocari ; adeoque exemplis velle probare, quæ publice tum toto Oriente fiebant, quid aliud esset quam soli facem accendere ? Cur ergo, ait, illicitam ordinationem ex laico exemplis tuetur? Quia hæc Canonibus plurimis severissime semper fuit prohibita, ita ut vix unum aut alterum exemplum tota antiquitas suggerat. Alibi tamen & Nectarij & Ambrosij exempla addit: & ut sibi ordinationis vitium remitti potuisse à Pontifice Romano ostendat. Longe autem aliam chrismationis rationem existimabat, quippe quæ nec legibus vetita, & usu

totius Orientis recepta & confirmata esset. Quod autem usum hunc à Photio adductum Odonis Episcopi Bellovacensis verbis se refellere existimat auctor, ridicula oscitantia est. Est enim epicrisis illa decem capitum ipsius Baronij, non Odonis: cujus nuda tantum isthic fit commemoratio ex Flodoardo. Vnde tota illa declamatio marginalis spongiam meretur.

Tertia ratio ex verbis Eugenij IV. usum Ecclesiæ Romanæ ostendit; qui Græcis legem non ponebat. In ipso autem Occidente dispensationes illæ post septimum seculum rariores fuerunt non autem prioribus, ut ex Hispanicis Gallicisque Canonibus constat, & ex decretali S. Innocentij, vt mox ostendam.

Quarta ratio eiusdem farinæ est. Damasi & Ioannis III. Epistolas suppositicias nihil ponderis habere sæpius dixi. Innocentius & Gelasius cum Romanæ diœcesis Episcopis agunt: eosque Ecclesiæ Romanæ matris suæ consuetudinem hac quoque in re observare jubent. Nec superduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, *aut aliunde accipere videatur exemplum*: ut Innocentius principio illius Epistolæ ad Decentium ait, & paulo post: *Oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia*

Roma-

Romana custodit; à quaeos principium accepisse non dubium est; *ne dum peregrinis assertionibus studeant*, caput institutionum videantur omittere. Et mox. Quibus idcirco respondemus, ut majori auctoritate vel tuos instituas, vel si qui à Romanæ Ecclesiæ institutionibus errant, aut commoneas, aut indicare non differas; ut scire valeamus, qui sunt, qvi aut novitates inducunt, *aut alterius Ecclesiæ quam Romanæ existimant consuetudinem esse servandam*. Et in fine Epistolæ. His igitur respondere curauimus, *vt Ecclesia tua Romanam consuetudinem, a qua originem ducit servare valeat atque custodire*. Quis nõ videt, Innocentium hic fateri ac testari, aliarum Ecclesiarum diversas in hac re fuisse consuetudines? quas ille non impugnant, nec prohibet; dummodo Ecclesiæ ad Romanam diœcesin pertinentes Romanum usum in his servent. Neq; vero Innocentius absolute presbyteros chrismatione interdicit, quamvis tertio capitulo innuere videatur; nam cap. 6. de baptizatis energumenis & sonticis interrogatus respondet, etiam Presbyteros & Diaconos Episcopi præcepto & auctoritate ipsos cõsignare, manumque eis imponere posse. *Quod*, inquit, *nisi Episcopus præceperit, non licet*. Vnde vides, non Apostolicam dispensationem hic ab Inno-

centio requiri, ſed ſolã auctoritatẽ Epiſcopi, ejuſq; præceptum ſufficere; ut non ſolum presbyter, ſed etiam diaconus chriſma cũ manus impoſitione in caſu neceſſitatis tunc conferret. Itaque fruſtra hoc telum in Græcos vibrat; ut & alterum ex Gelaſij decretalis cap. 6. petitum. Dum enim Gelaſius presbyteros conficiendi chriſmatis & conſignationis pontificalis facultatem ſibi *audacter aſſumere & arripere, ſuoque motu exequi* prohibet; quin idem debito modo Epiſcopo pręcipiente facere poſſint non vetat. Audaciam enim & propriæ auctoritatis præſumptionem caſtigat, non verum & legitimum miniſterij modum tollit. Sequens declamatio de Pontificibus Græcis homini rerum temporumque antiquorum vel leviter perito riſum aut ſtomachum movet: quam enim putide & inepte prima illa ſecula ad poſteriorem Eccleſiæ Romanæ morem legemque exiguntur?

Nicolai I. tempore Romana conſuetudo per omnes Occidentis provincias longe lateque recepta etiam memoriam ipſam priſcorum morum obliteraverat. Inde Græcorum chriſmatio ut diverſa, ſic etiam illicita Latinis viſa. Hinc illæ lacrimæ. Hinc ſchiſmatis fomentum.

Quin-

Quinta ratio à baptiſmo ſolemni ducitur: ubi ſolus Epiſcopus baptizabat, & per conſequentiam neceſſariam ſolus etiam chriſmabat; utrumque enim inſeparabiliter otim fuit conjunctum. Hic ſuo ſibi telo jugulatur. Si enim presbyteros quandoque ſolemnem baptiſmum ſine Epiſcopo contuliſſe oſtendatur, eoſdem quoque baptizatos chriſmate obſignaſſe neceſſario ſequitur. Atq; exemplum illuſtre baptiſmi ſolemnis ex Palladio de vita S. Ioannis Chryſoſtomi habemus apud Baronium anno 404. num. 16. Cum Ioannes (Inquit Palladius) imminente feſto Paſchæ Eccleſiæ ſua vi depulſus baptiſmum ſolemnem adminiſtrare non poſſet. *Presbyteri eius, quibus Dei aderat timor, in publico baptiſterio, quod Conſtantinianum appellatur, coactis populis vigilias inchoarunt, partim divina eloquia legentes, partim eos qui inſtructi erant in fide, baptizantes.* Mox cap. 17. *Conceſſit autem Lucius tribunus intra beatas aquas baptiſmi, vt eos qui initiabantur prohiberet, ac diacono quidem procaciter imminens, veneranda myſteria quæ ille tenebat, manibus fudit* (Euchariſtiam ſcilicet, quam baptizatis & chriſmate obſignatis per presbyteros diaconi dabãt. Tria enim hæc baptiſmus, chriſma & euchariſtia ordine ſua ſimul adminiſtrabantur.)

Presbyteros vero iam & ætate & ordine fustibus in capite feriens lauacrum cruore perfudit, mox cap. 19. *Postridie Imperator progressus in campum suburbanum, eum ad quintum fere lapidem candore vestitum videt*, (recte Baronius interserit: illorum nempe hominum repletum, qui ea nocte baptizati candida acceperant indumenta.) *erant autem ad tria millia*, &c.

Vides solemnem baptismum à presbyteris & diaconis sine Episcopo peractum, non unius, aut paucorum, sed trium millium hominum. I nunc, & solos Episcopos baptizasse & chrismasse pertende. Si autem presbyteri soli tam solemnem conferebant baptismum, & ex necessaria & inseparabili cõsequentia baptizatos chrismate obsignabant, cur ipsis hoc in casu necessitatis vel priuata functione postea licuisse negas.

Sedis Apostollcæ dispensationem in functionibus illis ecclesiasticis antiquitas ignoravit. Ipse Innocentius Episcopi auctoritatem & præceptum sufficere affirmat apud Latinos in Romana diœcesi, quinam ergo Orientalibus duriorem aut strictiorem legem posuisset? Constat ergo presbyteros ante schisma apud Græcos baptizasse & obsignasse; neque à Photio

novum

nouvm hunc morem fuisse introductum: Quod tamen capite tertio ex Concilijs orientalibus probare conatur, sed quam felici successu ordine nunc videbimus.

AD CAPVT TERTIVM.

Testimonia quinque Conciliorum orientalium contra Græcos.

PRIMVM Concilium est Apostolorum ex Actuum Apostolicorum cap. 8. Vbi principes Apostolorum missi leguntur in Samariam ut Spiritum Sanctum conferrent baptizatis. De hoc loco dixi supra ad caput 1. & multa inde falso deduci ostendi. Nam revera munus XII. Apostolorum multo sublimius erat munere ordinario Episcoporum; neque Lxx. à Christo ipso ad predicationis munus electi æquales erant ceteris discipulis Apostolorum, ita ut in presbyterorum ordinem redigi possint. Neque Philippus, qui Samaritanos baptizaverat, ex Lxx. istorum numero erat, sed unus ex septem diaconis, non ad prædicationis officium, sed ad ministerium viduarum & pauperum electus. Eo autum quod ipse, sicut

& Stephanus eius collega, præcipuis Spiritus Sancti chariſmatis præditus fuerit, peculiarem utriuſque memoriam Lucas bonſignauit. De Chryſoſtomi expoſitione ibidem dixi, cui ſimilis eſt per omnia locus Epiphanij hæreſ. 21. vbi Philippum, quod diaconus duntaxat eſſet, imponendarum manuum, communicandique Spiritus Sancti poteſtate caruiſſe ait. Quid hoc ad Lxx. eorumque, ut tu vis ſucceſſores presbyteros.

Secundo loco profert Canonem 14. Neoceſarien. qui Latinis 13. particula. Synodum vero Neocæſarienſem à ſolis XIII. Epiſcopis celebratam quis vnquam generalem dixit? Ea autem non ſolum à Nicæno Concilio & Leone IV. approbata fuit, ſed ab univerſa Dei Eccleſia: quę in Codicem Canonum inde à principio eam recepit, ſed non ideo ex ſynodo particulari generalis evaſit. Canon ille 13. quid ad Græcorum chriſmationem presbyteralem faciat non video; cum ille de Chorepiſcopis ſive vicarijs Epiſcoporum, eorumque ordine & dignitate agat, chriſmationis autem nec verbo meminerit. Sed chorepiſcopi, inquit, in locum Lxx. diſcipulorum ſucceſſerunt: ergo arcentur à munere chriſmandi. Hic

mul-

multa jura confundit coquus. Canon ait chorepiſcopos eſſe ad exemplum, vel ut alia verſio habet, in figuram, εἰς τύπον Septuaginta. Quorum ſeptuaginta? Diſcipulorum ais. Negat hoc antiquiſſimus Canon interpres, qui Septuaginra Seniorum iam olim vertit; eos intelligens, quos Deum Num. 11. v. 16. Moyſen eligere jubet, *Et auferã*, inquit, *de ſpiritu tuo, tradamque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris.* Et ne interpres minus fideliter mentẽ Concilij expreſſiſſe videatur, habet interpretationis ſuæ ſuffragatorem S. Hieronymum in epiſt. ad Titum cap. 1. edit. Rom. pag. 270. vbi epiſcopos meminiſſe jubet, *ſe magis conſuetudine, quam diſpoſitionis Dominicæ veritatis presbyteris eſſe majores, & in commune debere Eccleſiã regere, imitantes Moyſen: qui cum haberet in poteſtate ſolus præeſſe populo Iſrael, Septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret.* Ita præter alios Iſidorus Hiſpal. de offic. Eccl. l. 2. c. 6. hunc Canonem explicat & Rabanus Maurus de inſtitut. Cleric. l. 1. cap. v. Sed teſtis omni exceptione major eſt Innocentius I. qui epiſtolam inſignem ad Rufum Theſſalonicenſem Vicarium ab eodem Moyſis exemplo exorſus, addit: *nec aliter Apoſtolorum forma promulgata eſt; quam ut ipſi principes Evangelij con-*

ſtitu-

ſtituti ceterarum cauſſas neceſſitudineſque ſuis diſcipulis curandas obeundaſque mandarent. Ita denique tota miniſtratione mirabilis Paulus Tito quæ curet apud Cretam, Timotheo quæ apud Aſiam diſponat commiſit. Vides magnum Hunc Pontificem, non ſolos presbyteros, aut chorepiſcopos, ſed Titum & Timotheum presbyterorum conſtitutores & Epiſcopatuum fundatores in Lxx. illorum figura poſuiſſe, qui tantum ſuper presbyterorum vulgus eminent; quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi. Ipſi quoque Patres Neocæſarienſes mentem ſuam ſatis explicant, dum chorepiſcopos illos ϛυλλειτουργοὺς hoc eſt comminiſtros vocant. De mente autem hujus canonis videre eſt eruditiſſime differentem P. Marcam Concorp. lib. 2. cap. 14. §. 3. vbi prolixe & docte de univerſa chorepiſcoporum poteſtate, nunc laxata, pro temporum & regionum genio, agit, etiam de chriſmandi facultate. Zonaræ explicationem quam adfert, interpolando depravat. Ipſe enim ſatis perſpicue ſuam mentem explicat, dum Chorepiſcopos presbyterorum & diaconorum ordinandorum facultate caruiſſe ait. De chriſmatis obſignatione ne verbum quidem habet: Vti nec Balſamon quem Zonaræ ſubiungit. Itaque Neocæ-

ſa-

sarienſis hic Canon Græcorum presbyteros non coërcet à chriſmando. Damaſi & Ioannis III. ſubleſtæ fidei teſtimonia fruſtra citari iam ante dixi. Fragmentum quoque illud epiſtolæ S. Leonis I. in Hiſpanienſi officina confictum emunctæ naris homines cenſent, nihil enim cum Leonis eloquentia commune habet, tum ex Concilij Hiſpalenſis II. decreto 7. manifeſte notum eſt.

Canon Pſeudo-Nicænus, qui ſequitur, à Coccio ſimilibuſque rapſodis immerito ad Arabes relegatus Hiſpaniæ ſuæ poſtliminio reſtitui debet. Eſt enim inter Illiberitanos 77. Ex eo diſcimus Epiſcopum baptizatos à diaconis per benedictionem perficere debere. Sicuti ante Canon 38. baptizatum à laicis in neceſſitate, ad Epiſcopum poſtea perducendum conſtituit, ut per manus impoſitionem perfici poſſit. Neutro canone quidquam contra Græcorum presbyteros ſtatuitur; imo ne adverſus Hiſpanienſes quidem: quos ex Epiſcopi permiſſu baptizatos chriſmaſſe, ex Toletano ex Bracarenſi concilio ſupra iam dixi, & paulo poſt indubitato oſtendam. Et ni fallor ipſe hic 77. Canon ejus moris veſtigium habet. Cur enim baptiſmus à Diacono collatus Epiſcopali

li benedictione perficiendus, non autem qui confertur à presbytero? Distinguit enim manifeste baptismum presbyteralem, vel excipit potius, quasi nihil ei adjũgendum sit. Sic Canon 20. Cõcilij Toletani 1. Quin à principio notaui obsignationem frontis ab impositione manuum apud veteres distinctam fuisse, quod etiam ad hunc & sequentem S. observandum Canon Concilij Carthaginensis, sive quarti, vt tu dicis, sive secundi, ut acta Conciliorum volunt, illud vetat quod Græci nunquam licitum putarent. Chrisma enim apud illos non solum sacerdos, sed nec Episcopos quicunque conficere potest; sed solus Patriarcha. Verum quod confectionem illam etiam ad collationem sive obsignationem trahere vult, sane violenter & preter rationem omnem facit; neque solus Græcos ea in re obtrectantes, sed omnes doctos & judicio aliquo polentes sibi adversantes habet. Interim S. Augustinum Canonis interpretem producit, quem auctorem cum alijs fuisse existimat. Sed quid illius verba ad chrismatis unctionem, cum de manuum impositione tantum agatur, quam Ecclesia occidentalis tunc distinxerat ab unctione frontis?

Quod

Quod autem chrismatis confectionem etiam collationem comprehendi ex Gregorio Proto Syncello & Photio probare conatur, egregie operam ludit. Nam Græci illi ex suæ Ecclesiæ usu loquuntur: quod de Proto Syncello sole clarius est. Photij locum Federicus Metius vertit, ut testatur ipse Baronius. Sed Græcum exemplar in Vallicellana bibliotheca, eidem Baronio laudatum, dubium omne tollit. Dicit enim Græcorum chrisma, ex sententia Latinorum, esse inutile, καὶ μάτην ὑπηρεσίας. hoc est, frustra adhiberi, insumi, impendi, conferri, præberi. Vbi ne per somnium quidem confectio intelligi potest. Sirmondus alijque docti viri presbyteros eo tempore baptizatos chrismate obsignasse ex hoc ipso Canone colligunt, quia non collatio, sed sola confectio eis negatur. Tum vero certissimum argumentum est, si presbyteri tunc chrisma conficiebant, multo magis in obsignatione unxisse baptizatos. Illud enim majus & Episcopale munus, alterum non item; nam sacerdotibus passim permittebatur. Nihil illustrius exemplo & constitutione S. Siluestri PP. de quo Anastasius in ejus vita: *Hic constituit chrisma ab Episcopo confici: & priuilegium Episcopis dedit, vt baptizatum con-*

consignarent, propter hæreticam suasionem. Hic & hoc constituit vt baptizatum liniret presbyter chrismate leuatum de aqua, propter occasionem transitus mortis. Si ergo consignationis privilegium à Silvestro datum fuit Episcopis; sequitur ex jure communi & ordinario etiam alios, non-Episcopos, consignasse. Privilegium enim proprie est quod contra ius commune conceditur, quasi privata lex. Ergo ante S. Silvestrum etiam presbyteri consignabant. Sed quod primum communiter & passim faciebant, hoc à Silvestro non sublatum penitus, sed ad casum necessitatis restrictum fuit: scilicet ob privilegium & honorem ordinis Episcopalis; Hinc constat confectionem chrismatis à collationem diversam fuisse, & potiori semper loco habitam: Ideoque Silvester eam presbyteris penitus ademit, collationem non item. Vnde concludo, nec Africanos patres vetando presbyteris confectionem, simul etiam collationem chrismatis vetuisse.

Concilij in Trullo Canonem non esse, quem profert quinto loco, sed *Theodulfi* Aurelianensis verba, ad finem 1. capitis iam ostendi. Canon autem ejus Concilij 78. quem Theodulfus forte respexisse potuit, competentes Symbolum coram *Episco-*

ſcopo aut presbyteris recitare iubet; adeoque nihil penitus ad propoſitam quæſtionem pertinet. Rectius ergo Græci ipſum ſapere jubebunt, ne vaniloquio pacem Eccleſiæ Dei perturbet,& lites inutiles ferat aut foveat.

AD CAPVT QVARTVM.

Quæ pro Græcis opponi poſſunt.

LOCVM S. Ambroſij, vel potius Hilarij Diaconi Romani, in Epiſtolam ad Epheſios, plane militari auſu, eum ſolvere nequeat, ferro diſſecat: ita nullus illi nodus inſolubilis. Neque enim quidquam tam certum & perſpicuum afferri poterit, quod non eadem arte eludat aut adulteret. Scio in libro quæſtionum ejuſdem Hilarij, inter Auguſtini opera deliteſcente, pro *conſignat* legi *conſecrat*. Sed ſi utrumq; locum inſpexiſſet contuliſſetque cum judicio, facile perſpexiſſet ex ipſo argumento quæſtionis clariſſime hunc locum ex altero emendandum, quod Arcudius, Sirmondus, alijq; fecere; non illum ex hoc itidem corrumpendum. Nihil enim alienius ab auctoris mente fingi poteſt. Etenim presbyterorum dignitatem & prærogativam contra

dia-

diaconorum faſtum aſſerens, vt eos diaconis multo ſuperiores probet; Epiſcopis ferme æquales eſſe oſtendit, primum ex hominis conſortio: quia Epiſcopi eos compresbyteros & conſacerdotes ſuos appellant; tum etiam ex munerum & functionum Epiſcopalium participatione: præſertim in Ægypto, vbi presbyteri Epiſcopis abſentibus conſignabant baptizatos. Tota autem illa diſputatio Hilarij vana erit & inanis, niſi presbyteris functio aliqua Epiſcopalis tribuatur. Expoſitio autem illa conſecrationis ex recentiori uſu loquendi petita, plane aliena eſt ab eo loco, imo manifeſte abſurda. Nam Virginum & Pœnitentium conſecratio Canonibus antiquis æque interdicta eſt presbyteris, atque conſignatio baptizatorum. Abbatum vero conſecratio inter prima tunc vitæ monaſticæ principia nulla fuit. Auctor enim ille Hilarius Liberij PP. diaconus fuit. Sed quærit hic diſputator, cur Alexandrinæ Eccleſiæ hanc conſuetudinem peculiarem notet Hilarius. Reſpondeo, quia quod alibi non niſi jubente Epiſcopo licebat presbyteris, id Alexandrini quaſi ordinario iure ſibi licitum exercebant. Neque ea de re ambiget quiſquis ex S. Hieronymo, epiſtola 85. ad Evagrium,

obſer-

obſervarent, quam retinentes fuerint preſbyteri Alexandrini dignitatis muneriſque ſui. *Nam & Alexandriæ*, inquit, *à Marco Evangeliſta uſque ad Heracleam & Dionyſium Epiſcopos, presbyteri ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant; quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat, aut diaconi elegerint de ſe quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent. Quid enim facit excepta ordinatione Epiſcopus, quod preſbyter non faciat?* Vnde conſtat presbyteros Alexandriæ uſque ad annum Chriſti 246. non tam Epiſcopos ſibi conſtituiſſe, quam Archipresbyteros; quibus excepta primæ cathedræ dignitate cæteri omnes compresbyteri in functionibus eccleſiaſticis eſſent quodammodo pares: niſi quod Epiſcopis illis peculiariter ordinationum jus & prærogativa competeret. Quis ergo miretur, ſi presbyteri illi ſeculo conſignandi poteſtatem adhuc retinuerint? Neque enim omnes Eccleſias iſtorum temporum ex uſu & conſuetudine Romanæ metiri decet; ubi multo minus honoris & auctoritatis relictum fuit presbyteris, quam in alijs provincijs. Nam in Concilio Romano ſub Silveſtro, presbyteri non ſedebant cum Epiſcopis, ſed cum Diaconis ceteroque clero aſtabant. Et quamvis ſub

Damaſo alijſque, conſeſſus honorem habuerint, Gelaſius tamen eundem ipſis ademptum, vel ſaltem ad Epiſcopi nutum permiſſum voluit. Ait enim cap. 6. epiſt. decret. *Neque ſub Epiſcopi aſpectu, niſi jubeantur, ſedere præſumant.* Huic conſtitutioni è diametro contrarius canon 34. Conc. Carthag. IV. *Vt Epiſcopus quolibet loco ſedens ſtare presbyterum non patiatur*. Et can. 35. *vt in Eccleſia & in conſeſſu presbyterorum Epiſcopus ſublimior ſedeat, intra domum vero collegam ſe presbyterorum eſſe cognoſcat*. h.e. pari loco graduque ſedeat cum presbyteris.

Verba Dionyſij Areopagitæ de functionibus reſervatis Epiſcopo, ἐνιαύσως, hoc eſt, uni & ſoli, excluſis ceteris omnibus, valde ſunt clara; neq; Arcudij contradictionibus ſive veris; ſive fictis obſcurari aut eludi poſſunt. Fruſtra illi fictitiam Euſebij PP. Epiſtolam obtendit, ut & Canonem Pſeudo-Nicænum, quem Illiberitanum eſſe dixi.

Tertium Arcudij argumentum præter Dionyſij mentem eſt, meritoque reijcitur; locus Clementis mutilus, ut hic profertur, non juvat oppoſitionem, nec ei robur ullum addit, ſed potius enervat. Nam Clemens hic etiam Epiſcopo unctionem verti-

ticis reservat; quam cæteri omnes, etiam Romani, permiserunt presbyteris. Sed postrema capitis verba ad rem faciunt: *Postea Episcopus baptizatos chrismate ungat*, quæ chrismationem soli Episcopo reservare videntur.

Quartum quoque argumentum invalidum videtur. Responsio clarior & solidior formari posset ex ipsa objectione Marci Ephesij, qui Latinos hæreticos esse eo probare conatur, quia ad Græcam Ecclesiam accedentes chrismate unguntur, eo modo ut Concilij Constant. 1. canone 7. constitutum est de Arrianis & alijs hæreticis recipiendis. Eruditè respondet Gregorius Protosyncellus, non fuisse illum usum antiquum & receptum apud omnes Orientales. Deinde eã chrismationem non probare Latinos esse hæreticos, quia Latini vice versa etiam Græcos ad se venientes chrismabant, quos tamen non habebant pro hæreticis, quia in unione concilianda nihil Græcis objectum fuit quod hæresim saperet. Reconciliatio igitur illa per chrisma fuit præter rationem, ex mente & sententia Gregorij. Ex ea tamen sequitur oblique quod vult Arcudius. Nam si Latini chrismabant Græcos, vt illicite & invalide chrismatos à

presbyteris, & tamen ex mente Gregorij Protosyncelli chrismatio illa Latinorum erat præter jus & fas, sequitur ex ejus sententia Græcorum chrismationem esse validam & non iterandam. Atque hoc agnovisse & probasse ait Ecclesiam Latinam, quæ in ipsa unione nullum scrupulum aut litem movit Græcis de ipsorum presbyterali chrismatione. Huic nodo solvendo editores Romani pag. 736. notam marginalem apposuerunt, quæ tamen rationem ex Gregorij verbis modo deductam non enervat. Itaque hoc non est merum somnium Arcudij; & hoc argumentum congruit cum sexto.

Quintum plane putidum est, neque vllo modo ad chrismationem trahi potest: recte autem Turrianus in notis Seminariorum Ecclesiasticorum formam quandam eo Canone adumbrari observavit.

Sextum ex Eugenij assensu, insolubile est: cum certum sit Latinos chrismationem illam presbyteralem non posuisse inter capita controversa, neque ulla inde unioni conciliandæ difficultas, aut mora objecta fuerit.

Hic tamen malo nodo malum cuneum reperit. Primo Acta Concilij toties solemniter à sede Romana approbata sug-

gil-

gillans & subleſtæ fidei poſtulans . Secundo inani diſtinctione Eugenij quæſtionem ad poſteriorem tantum Græcorum chriſmationem reſtringens . Quod commentum nihil momenti habet. Eugenius ex S.R.Eccleſiæ uſu , tum per univerſum Occidentem recepto , de chriſmatione Græcorum ſciſcitatur: huic Græci perpetuũ Orientis uſum, & ante & poſt ſchiſma obſervatum opponunt: cui Eugenius pacis & concordiæ ſtudio ſapienter acquievit.

Præter rationes tres ſane invictas ab Arcudio allatas pro Græcorum uſu,quarta addi poteſt ſuperius à me propoſita, ducta ex conſuetudine Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ , vbi presbyteris chriſmationem ſimul cum baptiſmo conferri ſolitam , permiſſam fuiſſe ſolemni exemplo probavi: quod eludi nulla arte poteſt. Atque ut paulo ante pro Alexandrini presbyterij dignitate S.Hieronymum teſtem locupletem dedi: ita nunc pro CP. ipſe loquetur Chryſoſtomus homil.xi. in 1. ad Timoth. Poſtquam , inquit , de Epiſcopis dixit ; omiſſo presbyterorum ordine ad diaconos tranſit . Nam & ipſi docendi munus & Eccleſiæ curã (Grecè , ἀρχὴν, quaſi præfecturam aut præſidentiam) ſuſce-

ſceperunt: & quæ de Epiſcopis dixit, etiam presbyteris congruunt. *Sola quippe ordinatione ſuperiores illi ſunt, atque hoc tantum plus quam* presbyteri habere videntur. Si ſolam ordinationem Epiſcopis reſervat, chriſmationem etiam presbyteris relinquit. Habemus de Alexandrina, habemus de CP. diœceſi teſtimonium. Ecce aliud de Pontica ſive Aſiatica Firmiliani Cæſarienſis Epiſcopi antiquiſſimi apud S. Cyprianum epiſt. 75. *Omnis poteſtas & gratia in Eccleſia conſtituta eſt, ubi præſident majores natu, qui & baptizandi, & manum imponendi, & ordinandi poſſident poteſtatem.* Vbi *majores natu* vocat, quos paulo ante ſeniores & præpoſitos appellavit; eoſque Pammelius recte *presbyteros* explicat. Supereſt Antiochena ſive Orientis diœceſis, ex qua Armeni, Perſæ, Meſopotameni fidemque rituſque acceperunt, idque ante quarti ſeculi finem. Poſtea Sarracenorum poteſtas & imperium eas provincias cum occupaſſet, à Græcorum commercio ſeparavit. Acceſſit quoque Neſtoriana hæreſis, quæ Aſſyriam, Syriamque omnem, & Ægyptum infecit, & Iacobitarum ſecta conſtituta à citerioribus Aſiæ Græcieque Eccleſijs implacabili odio disjunxit; duobus ferme integris ſeculis ante

Pho-

Photium. Apud hosce iam olim chrismasse presbyteros fidem indubitatam facit Canon 33. collectionis Arabicæ; cumque belli sacri occasione Latinis innotuissent, presbyterali chrismatione, itidem ut cæteri Græci & Asiatici citeriores, utebantur. Quæro ego, quomodo omnes istæ nationes à Græcis CP. Imperio subjectis, & commercio disjunctæ, & implacabili religionis odio dissidentes, chrismationem presbyteralem à Photio & schismaticis nono demum seculo, ut noster vult auctor, introductam, tam facile recepe-rint, ut veterem chrismandi modum cum novo ritu penitus permutarint. Idem de Æthiopibus interioribus sive Abissinis dici potest, qui multis seculis ignoti Lusitanorum negotijs & navigationibus detecti, nonnisi presbyteralem obsignationem habuere. Numquid ad illos quoque Photius eam invexit. Legi insignem relationem Cosmæ monachi Indicopleustæ de Taprobana insula, quæ nunc Zeilan, olim Seiladiva dicebatur, ubi Iustini Imperatoris ætate Ecclesiam Christianorum presbyter in Perside ordinatus una cum diacono suo regebat. Quis eum una cum baptismo obsignasse dubitet fideles, quibus nulla Episcopalis visitatio expectanda erat? Sed

nullum clarius, nullum majus teſtimonium afferri poteſt pro presbyterali chriſmatione Græcorum, quam quod ſupra ex Innocentij I. Epiſtola ad Decentium protuli, quæ enim illic peregrinæ vel alienæ Eccleſiæ à Romana conſuetudine diſſidentes intelligi poſſunt niſi Orientales? Nam Occidentales à S. Petro ejuſque ſucceſſoribus fundatas expreſſe excipit. Atque hæc quidem pro Orientalium chriſmatione ex veterum Orientalium teſtimonijs, & Eccleſiarum iſtarum uſu antiquo afferri poſſunt.

Sed maxima præſidia Græcorum chriſmatio habet in Occidentali Eccleſia. De Romana paulo ante dixi ex vita S. Silveſtri PP. apud Anaſtaſium: qui cum chriſmatis confectionem ſolis Epiſcopis reſervaſſet, obſignandi quoque privilegium ijſdem dedit; ita tamen ut presbyteris etiam chriſmationem relinqueret in neceſſitatis articulo. Idem fecit Innocentius I. dicta Epiſtola ad Decentium cap. 6. ubi energumenorum conſignationem presbyteris ex Epiſcopi præcepto permittit, promiſcua ex Eccleſiæ Romanæ conſuetudine eis ademta, quam peregrino aliarum Eccleſiarum more ſibi uſurpaverant. Eandem quoq; audaciam & proprij motus præſumptionem caſtigavit Gelaſius; non legiti-

mum

mum usum permissum ex voluntate jussuque Episcopi: quem suburbicariæ aliquot Ecclesiæ etiam S.Gregorij M. tempore retinuerunt, ex longo & antiquissimo majorum usu. Cum S.Gregorius M. Sardos sacerdotes vetuisset baptizatos infantes signare sacro in fronte chrismate; sed Episcopis frontis obsignationem voluisset reservari Epist.9. lib.3. paulo post Felix Episcopus, & Cyriacus Abbas ex Sardinia Romam profecti retulerunt sanctissimo Pontifici quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere in fronte eos qui baptizati sunt, prohibuisset. Gregorius prohibitionem illam quasi excusans scribit Ianuario Metropolitæ Caralitano, *Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus: sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus.* Multa ex Gregorij verbis deduci possunt pro chrismatione presbyterali in Occidente consueta. Primo prohibitionem illam ita nosvam & à Sardorum consuetudine abhorrentem visam fuisse, ut scandalum animique dolorem ipsis pareret. Secundò illos usum suæ Ecclesiæ opposuisse; quem S. Gregorius non ut erroneum damnat:

ne-

neque vt legi divinæ, ſed ut veteri Romanæ Eccleſiæ uſui adverſantem ſe prohibuiſſe fatetur. Tertiò, ad veteris Alexandrinæ Eccleſiæ exemplum concedit; ut Epiſcopo deficiente à presbyteris adminiſtretur chriſma. Quod & CP. presbyteri Chriſoſtomo ſacris prohibito ſolemni baptiſmo fecerunt.

In Africa presbyteros chriſmaſſe quis dubitet, cum etiam aliquando Chriſmaeos confeciſſe conſtet; quod ſupra allegato Canone Carthaginenſi prohibetur, non autem unctio chriſmalis in baptiſmo. Nam qui majora ſibi uſurpabant, administrabant ſine dubio etiam minora. Etenim quia ſpecie presbyteri non in ſuum, ſed Epiſcoporum uſum chriſma conficere auſi fuiſſent? Sed qui libere in baptiſmi obſignatione utebantur, ejus etiam conſecrationem ſibi arrogarant.

Hiſpanorum vicinorum exemplũ uſumque ſole clarius nobis proponit Concilium 1. Tolet. Can. 20. *Quoniam pene ubique cuſtoditur ut abſque Epiſcopo chriſma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis vel provincijs presbyterì dicuntur chriſma conficere, placuit ex hac die nullum alium niſi Epiſcopum chriſma facere, &c.* Vides hujus Concilij tempore an. 438. presbyteros alicubi chriſma confeciſ-

feciſſe, in Hiſpania non ſolos Epiſcopos: quod poſtea fieri vetant. Subjungunt de uſu chriſmatis. *Statutum vero eſt, diaconum non chriſmare, ſed presbyterum, abſente Epiſcopo; præſente vero, ſi ab ipſo fuerit præceptum.* Si ergo etiam diaconi tum chriſmabant; quanto magis presbyteri, non ſolum abſente, ſed & præſente, jubente tamen Epiſcopo? Partem hujus Canonis Martinus Bracarenſis ſuæ collectioni poſtea inſeruit cap. 52. *Presbyter præſente Epiſcopo non ſignet infantes, niſi forte ab Epiſcopo illi fuerit præceptum.* Cõfirmationem hanc presbyteralem deinde in Hiſpania viguiſſe apparet ex Conc. Barcinonẽ. II. cap. 2. *Statutũ eſt ut cum chriſma presbyteris diœceſanis pro confirmandis Neophytis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur.* Vides presbyteros confirmaſſe Neophytos chriſmate, adhuc ſub finem ſexti ſeculi: eum enim in finem id accipiebant ab Epiſcopis. Sed mox ſub principium ſeptimi ſeculi una cum Romanorum Pontificum Innocentij & Gelaſij decretis etiam Romanæ Eccleſiæ conſuetudo per Hiſpaniam recepta fuit, & presbyteris chriſmatio penitus interdicta. Hoc oſtendit Concilij Hiſpalenſis II. decretum 7. his verbis: *Nam quamvis cum Epiſcopis plurima illis miniſteriorum communis ſit diſpenſatio*

ſatio ; quædam ſibi novellis & eccleſiaſticis regulis prohibita noverint : & mox inter alia ; *nec chriſma conficere , nec chriſmate baptizatorum frontem ſignare , &c. Hæc omnia illicita eſſe preſbyteris, quia pontificatus apicem non habent .* Vbi nota , non jure divino , aut veteri Eccleſiæ Hiſpanicæ inſtituto , *ſed novellis & eccleſiaſticis regulis* hæc vetita dici , Innocentij ſcilicet primi decreto , cujus verba citat . Neque hoc ſolum in publica Bæticæ ſynodo , cui Iſidorus Hiſpalenſis Metropolita præfuit , conſtitutum ; ſed etiam privatim ab eodem Iſidoro relatum in librum 7. Etymolog. cap. 12. totidem pene verbis. Sub finem deinde ſeptimi ſeculi pia fraude ab Iſidoro Mercatore confictæ fuerunt Epiſtolæ illæ decretales ſub primorum Pontificum nomine , de quibus ſæpius jam dixi , & Cardinalem Baronium ſapienter graviterque judicantem videre licet ad an. 865. num. 5. & ſeqq. & P. Marcam concord. l. 3. cap. 5. In hiſce nuper receptæ conſuetudines antiquitatis fuco incruſtantur , ſpurijs Euſebij , Damaſi , Leonis , & Ioannis III. literis ; quibus noſter hic diſputator Græcos fruſtra impugnat .

In Gallijs presbyteralem chriſmationem olim obtinuiſſe Concilij Arauſicani 1. Canon 2. abunde teſtatur : dum miniſtros,

ſtros, qui baptizandi officium recipiunt, nuſquam ſine chriſmate prodire jubet. Scilicet vt baptizatum ſimul quoque chriſmarent. Cujus Canonis ſinceram lectionem verumque ſenſum Iac. Sirmundus eruditiſſimis ſuis antirrheticis contra perſonatum Aurelium ita aſſeruit, ut ſolem mero meridie lucere dubitet qui de preſbyterali Gallorum chriſmatione vel minimum poſthac ambigat. Eandem confirmat Concilij Vaſionenſis cap. 3. qui ipſos presbyteros potius chriſma ab Epiſcopo petere jubet, quam diaconos aut inferiores Clericos, dum ait: *Optimum autem eſt vt ipſe ſuſcipiat, qui in tradendo uſurus eſt*. Hic nulla diſputatorem diſtinctio ex poſteriori uſu petita juvare poterit, quia tunc non niſi una in baptiſmo erat chriſmatio, ut ſuperior ille Canon Arauſicanus teſtatur, & Arelatenſis Concilij 2. Can. 27. Ad hæc irrefragabile argumentum pro presbyterali chriſmatione, Canone illo Arauſicano permiſſa, ducit idem Sirmundus ex antecedenti Canone 1. qui ijſdem presbyteris hæreticos cum chriſmate & benedictione conſignari ſtatuit. Hanc vero chriſmationem non mere ceremonialem, ſed veram & ſacramentalem fuiſſe, & chriſmationis in baptiſmo à Novatianis alijſq; ſimi-

similibus hæreticis omissæ complementum indubitatam fidem facit Concilij Constantinopolitani I. Canon 7. quem Theodoretus lib. 3. Catalogi hæresum de Novatianis agens, ita explicat. *Hi quos baptizant, illis sacrosanctum chrisma non conferunt. Ideo eos, qui ab hac hæresi ad Ecclesiæ corpus redeunt, chrismari venerandi Patres præcipiunt.* Et extat libellus Græcus Timothei presbyteri CP. de triplici modo recipiendi eos qui ab hęresi ad Ecclesiam convertuntur, ubi secundus gradus est τῶν χρισμένων ἁγίῳ μύρῳ, eorum qui unguntur sancto chrismate,

Hæc præter Arcudiana illa pro Græcis afferri possunt, non solum ex orientalis, sed & occidentalis Ecclesiæ antiquo usu. Hisce bene expensis respondeat disputator, priusquam Græcos ita confidenter incurrat.

AD CAPVT QVINTVM.

De consensu Pontificio.

HIC non opus est confutatione longiori. Vniversalis Ecclesiæ consuetudo sufficiebat olim pro lege, neque in-

ritua-

ritualibus illis ſacramentorum conſenſus ſpecialis aut diſpenſatio Apoſtolica requirebatur. Alexandriæ & Ægypti uſus notus erat Romæ, non ſoli Hilario diacono; ſed etiam Liberio & Damaſo. Sic CP. Eccleſiæ exemplum, ubi presbyteri ex officio & uſu communi cum baptiſmate chriſma conferebant abſente Chryſoſtomo, diſpenſationem Pontificiam non requirebat. Sed cur Græci tum eum conſenſum expectarent, quo ut ipſe Innocentius II. docet Eugubij & in alijs diœceſeos Romanæ locis nequaquam opus erat? Ille enim, ut presbyteri conſignent, non ſupremam ſedis ſuæ auctoritatem, ſed ſolam Epiſcopi juſſionem requiri manifeſte ſcribit quod niſi Epiſcopus præceperit, nõ licet. Vide ſup. pag. 7. Concilia Hiſpanica Tolet. I. & Bracarenſe III. & Martini Bracarenſis Canones non ex diſpenſatione Apoſtolica, ſed ſua auctoritate ſtatuunt, *ut presbyterì abſente Epiſcopo chriſment*, abſolute & ſine ulla reſervatione; *præſente vero, ſi ab ipſo fuerit præceptum*. Vides, quam male prima ſeptem Eccleſiæ ſecula, ex hodierno uſu metiamur. Nam tota hæc inanis diſceptatio ex antiquitatis ignoratione naſcitur; dum Canones veteres obtorto collo ad noſtras hypotheſes trahimus,

mus, non autem ipſorum mentem ex ſeculi cujuſque genio ac more explicamus. Euſebij & Damaſi Epiſtolæ fucus eſt Hiſpanicus, ſub finem ſeptimi ſeculi piaquidem, ſed non probanda fraude conſarcinatus, explosus à Bellarmino & Baronio atque omnibus eruditis, qui judicio aliquo in his ſtudijs pollent, ut paulo ante oſtendi. Leonis III. exemplo maxime congruit quod modo dixi, antiquitatis monumenta ſingula ex ſui cujuſque ſeculi more explicanda eſſe. Chorepiſcopos in Gallijs an. 439. chriſmaſſe ex Concilij Regenſis decreto conſtat, quod Armentario Chorepiſcopo permittit, *ut plebi benedicendi, neophytos confirmandi*, virginem conſecrandi &c. jus haberet, quamvis in ceteris Chorepiſcopatum ejus valde acciſum in anguſtias redegerit ſynodus illa Regenſis. Controverſiam in Gallijs exortam regnante Carolo M. de Chorepiſcoporum poteſtate accurate diſcutit P. Marca concord. l. 2. c. 14. Leonis III. ſententiã in eoſdem latam, non ſolum, ut nimis ſeveram moderata eſt Synodus Ratiſponenſis anni 799. ſed plane contraria conſtitutione reſcidit Nicolaus I. epiſtola ad Rudolfum Bituricenſem, cujus ſupra memini. Sane Chorepiſcopos à meris presbyteris diſtinxit, eiſdem-

demque prætulit antiquitas, ut Canon Nicen. VIII. Chalced. I. Antioch. can. 8. sed eorum potestas non ubique, neque semper eadem, verum ab Episcopis, ipsisque Pontificibus Romanis modo restricta, modo ampliata fuit; vt P. Marca supradicto loco accurate & prolixe docet.

Cætera Pontificum Romanorum exempla, quæ Photij ætatem sequuntur, nihil ad quæstionem ex antiquitate dijudicandam faciunt.

AD CAPVT SEXTVM.

De approbatione Pontificia.

HOC caput vanum est & inane, & per seipsum concidit. Insultat Arcudio, quasi ante schisma inaudita fuerit apud Orientales Presbyteralis obsignatio; ideoque Pontificum approbatione opus non habuerit. Sed rationibus nihili perspicuè confutatis corruunt quæ frustra conatur superstruere. Non enim Orientis tantum sed & Occidẽtis Ecclesias chrismationem presbyteris olim permisisse, certo ostendimus scientibus & approbantibus Romanis Pontificibus, nihilq; suæ dispensationi reservantibus, cum res ea pleniſſime à Synodis &

Episcopis penderet. Illud iterum moneo, distinguenda esse tempora, nec prima septem Ecclesiæ secula confundenda cum sequioribus; quando antiquitatis memoria obliterari cœpit, novis spurijsque decretis ex Hispania tum emergentibus, quæ rudi & imperito sęculo nimis quam facile fucum fecerunt. Ita mihi de hac controversia Photiani schismatis occasione agitari cœpta inter Græcos & Latinos, nihil rectius Terentiano illo pronuntiari posse videtur, *Neque tu illum satis noveras, neque te ille: hoc ubi sit, ibi non vere vivitur.*

AD CAPVT SEPTIMVM.

Presbyteros Græcos Confirmasse ex permissione Episcoporum.

TOTO hoc capite frustra impugnat Arcudium. Duabus occasionibus chrismasse presbyteros certissimum est tam in Oriente quam Occidente. Primum, absente Episc. potestate ordinaria, ut in Ægypto & Constantinopoli: item in Hispania & Gallia. Secundo, præsente Episcopo, cũ ipse juberet; ut diserte testantur Canones Hispanienses, Toletanus, Bracarensis & Barcino.

cinonenſis. Et Decretalis Innocentij I. Arcudium virum doctiſſimum fruſtra ſugillat; neque enim mirum eſt alicubi hæſiſſe aquam homini, qui primus è tenebris tantis tam clarum extollere lumen ſtuduit. Quid enim de Græcorum ſacramentis ante Arcudium habemus quod alicujus momenti ſit? Sed recte facit, quod quæſtionem ad veteris Eccleſiæ praxin reſtringat: inde enim judicandi rationes petendæ.

Primo, negat Eccleſiam Orientalem Catholicam ante ſchiſma munus chriſmandi commiſiſſe presbyteris, idque vt 1. 2. & 3. capite ſufficienter probatum præſupponit. Sed quam leves & invalidæ ſint rationes iſthic adductæ ad eadem capita ordine oſtenſum fuit.

Damaſi & Ioannis III. Epiſtolas ſuppoſititias fruſtra Græcis opponi ſæpius dixi: eo enim confictæ &, in lucem prolatæ ſunt ſeculo, quo pauci diſtinguebant quid diſtent æra lupinis. Eugenius IV. ex ſui ſeculi more loquitur; ut & cæteri Pontifices qui poſt ortum ſchiſma vixerunt.

Obiectio Arcudij ex conſuetudine & uſu Eccleſiarum occidentalium quanti ponderis ſit ex ijs quæ ad quartum caput dixi, æſtimari poteſt: nullis enim ſophiſ-

matis obſcurari, nullis labefactari machinis poſſunt.

Concilij Toletani 1. Canonem 20. frigido & putido reſponſo eludere conatur, quod ſummam ſacræ antiquitatis ignorantiam prodit, quæ enim unctio hic fingi poteſt præter chriſmationem baptiſmalem, quæ in veteri Eccleſia una & ſola erat: quamvis eam poſtea Innocentius I. diuiſerit in verticalem, & frontalem. Etenim qui verticalem à Silveſtro PP. inſtitutam aſſerunt, ſoli nubem offundere ſtudent, nam Anaſtaſius, aut quiſquis Pontificalis libri auctor, ita perſpicue de unctione ſacramentali in fronte loquitur, ut nulla arte eludi poſſit. Vnctio enim quæ baptiſmum præcedebat presbyteris & diaconis atque diaconiſſis licita & permiſſa fuit, vt ex Dionyſio Areopag. Hier. Eccl. cap. 4. & Innocentij I. decretali alijſque apparet, & nunc in univerſa Occidentis Eccleſia obſervatur. Concilij Toletani mentem explicat Canon 52. Martini Bracarenſis, & Canon 2. Concilij Barcinonenſis 2. qui chriſma presbyteris diœceſanis dari ſolitum ait, *pro confirmandis neophytis*. Quæ reſponſioni ſuæ firmandæ affert ex ſuppoſititijs Damaſi & Leonis literis cariosa ſunt fulcra. Nam Leonis illud

frag-

lud fragmentum, ex Hiſpalenſis Concilij 2. capitulo 7. conſarcinatum eſt, ſed male contaminatum. Canon ille 77. falſo tribuitur Nicænis Patribus, ut ſæpius dixi; pertinet enim ad Concilium Illiberitanũ. Toletani patres ex ſuæ provinciæ uſu ſtatuunt; Innocentius ad morem Eccleſiæ Romanæ Italos Epiſcopos revocat: ipſe tamen energumenos & ſonticos à presbyteris obſignari in neceſſitatis articulo permittit. Martinus Bracarenſis Toletani Canonis ſenſum repreſentat priuſquam ſpuriæ Epiſtolæ Damaſi & Leonis exortæ eſſent.

Arauſicanum canonem de vera chriſmatione intelligendum ſupra ex Concilio Conſtantinopolitano oſtendit, & Gallicana Eccleſia unctionem cæremonialem ignorabat, quæ non niſi unam chriſmationem baptiſmalem noverat, ut præcedens Canon 1. oſtendit. Idcirco Concilij mens ad eos reſtringenda eſt hæreticos, qui chriſmate unioni Catholicæ erant reſtituendi. Illud vero nimis quam temere affirmat, confirmationem nec Catholicis moribundis potuiſſe conferri à presbyteris, quod manifeſte Eccleſiæ conſtitutionibus repugnat, inprimis S. Silveſtri, de quo ſupra pag. 10. *Hic enim conſtituit, ut baptizatum lini-*

liniret presbyter chrismate, propter occasionem transitus mortis. Neq; aliam ob causam Innocentius I. cap. 6. Energumenos & sonticos à presbyteris obsignari voluit. Illiberitanus Canon de Diaconorum baptismo loquitur sine presbytero vel Episcopo collato, & presbyteris nullum affert præjudicium. Innocentij III. alia erant tempora, alij mores. Silvestri primi mens certa & liquida est in Pontificali & actis conciliorum. Loquitur enim ille de obsignatione sacramentali Episcopis per privilegium tunc reservata, presbyteris autem in casu necessitatis tantum permissa. Vide supra vtcunque alij ad hunc solis radium cæcutiant. Chrismationem presbyteralem ex mera Episcopi voluntate & jussu olim pependisse firmissime supra ex Innocentio I. alijsque conciliorum canonibus ostendi, si tamen ipse præsens adesset Episcopus; nam absente Episcopo, libere, & absolute licebat hoc presbyteris, irrefragabili antiquitatis testimonio. Ita toto hoc capite omnia vitium sonant.

AD CAPVT OCTAVVM.

Vtrum Mytilenenſis Epiſcopus Eugenio PP. de hac controverſia ſatisfecerit.

HIC proterve Græcos incurrit, & ut ſibi conciliet fidem, actis Concilij Florentini eam detrahit. Eo quam bene de Eccleſia mereatur ipſe viderit. Ad veritatem diſpiciendam duo præſuppono, & Mytilenenſem Canonum morumque veterum fuiſſe peritiorem, & Eugenium, PP. ſtudioſiorem pacis & concordiæ Chriſtianæ, quam noſter hic diſputator; unde nec illi in presbyterali confirmatione probanda ulla difficultas; neque huic in ea admittenda mora aut tergiverſatio; ideoque tanti momenti viſa non fuit, ut inter capita controverſa, poſt compoſitum præcipuum proceſſionis negotium diſcutienda, poneretur ab Eugenio. Idem Gregorium Protoſyncellum ſupra affirmantem audivimus, chriſmationis diverſitatem nullum ſcrupulum aut impedimentum Vnioni conciliandæ attuliſſe. Nihil igitur diverſum ſentiunt ab actis

S.Antoninus & Sancta Crucius, dum rem facile compoſitam ſilentio prætereunt. Sed quomodo tam facile ſolvi potuit nodus, qui alios Pontifices ante & poſt ſchiſma ita torſit? Ita viſum fuit Spiritui Sancto, amoris & concordiæ auctori, parietem intergerinum, quem priſci moris ignorantia & partium ſtudium ſtruxerat, diſſipare. Et miraris quos Canones attulerit Mytilenenſis? dicam verbo: vſum perpetuum Orientalis Eccleſiæ; Ægyptiacæ, Alexandrinæ, CP. Ponticæ. Vſus enim & perpetua conſuetudo Canonem ſive regulam facit. Cur Græcis in cauſſæ ſuæ patrocinio exempla Orientalis Eccleſiæ non ſuppeterent, cum Occidentalis tot ac tanta nobis ſuggerat? Quam infeliciter Canones & Pontificum decreta alleget, abunde oſtenſum, & quam nullo jure diſpenſationem flagitet, vbi ipſi Pontifices nihil præter Epiſcoporum præceptum & auctoritatem olim requiſiverant. Viderit ipſe, quomodo Innocentij cap.6.& Hiſpanienſes ac Gallicanos Canones cum Eugenij verbis conciliet. Quid Epheſius Latinis de Zoſimo PP. & Nicænis Canonibus ab eo defloratis objecerit, perſpiciet, ſi Africani Concilij Epiſtolam ad Bonifacium Zoſimi ſucceſſorem ſcriptam, & in Codicem

Ca-

Canonum S.R.E. relatam, legerit. At nè fruſtra ſe à Græculo Conſtantinopolin ablegari queratur, videat Baronium anni 419. num. 69. & ſeqq. ita laborem compendifaciet; & Græcos non ita male verſatos in Canonum Codice Latino fatebitur, atque nos nunc vulgo ſumus.

Ridiculum eſt quod de Canone Conſtantini ſubjungit, nam hactenus donatio illa inter Paleas à Gratiano rejecta fuit; itaque Græcus actorum ſcriptor magnum nos arcanum cælavit. Protoſyncelli mentem, quod & ſupra dixi, non perſpexit, & fruſtra intorquet: ille enim diſertè fatetur, in vnione concludenda nullam litem Græcis motam fuiſſe ſuper chriſmatione presbyterali. Ergo vanum & fictum eſt tragicum hoc diſſidium, & larvas ſibi fingit cum quibus luctetur. Non ſolum enim non contradicit Sancta Crucius actis, ſed ea manifeſtiſſime confirmat. Narrat ſcriptor Græcus, poſt lectum publicè decretum, & promulgatam ſolemniter Vnionem, Latinos inter alia undecim capita de quibuſdam ritibus diverſis, quæſiſſe de hac confirmatione presbyterali, non in publica & ſolemni ſeſſione, ſed in privato congreſſu. ijſque ſatisfactum à Mytilenenſi κανονικῶς καὶ νομίμως, Canonice &

& legitime, ſive, juxta Canones & leges, ſcilicet Eccleſiaſticas, duo remãſiſſe dubia, de quibus ipſe Eugenius per internuncios cum Imperatore egit, ſicut in fine actorum videre eſt. Idem confirmat Sancta-Crucius apertiſſime ſub finem pag. 321. vbi poſt lectum & ſubſcriptum decretum, Græcorum diſceſſum narrans, acta ſua his verbis concludit. Capies hæc frater optime, quæ quidem retuli prout fuere verbis proprijs eorum, qui ea protulere: *plurima quæ in ſecreto ſunt geſta, alijs referenda dimiſi, qui his interfuere*. Hæc quæ publice geſta ſunt, continent. Vides igitur quam male & inepte actis fidem derogare conetur ex Sancta Crucij ſilentio.

Cætera deinde, quæ contra eadem acta diſputat, cum ad propoſitæ quæſtionis argumentum non faciant, ijs examinanda relinquo, qui in Synodis hujus actis comprobandis & illuſtrandis verſantur.

LV-

LVCAE HOLSTENII
DISSERTATIO
SECVNDA.
DE FORMA SACRAMENTI
Confirmationis
Apud Græcos.

PVLCHRE hoc & sapienter à Cebete Thebano in vitæ humanæ tabula positum est, mortalibus vitæ septum ingressuris, ad ipsum limen fraudis & impostiuræ poculum propinari, unde errore & ignorantia oppleti temere deinceps per omnem vitam oberrent cupiditatibus voluptatibusque perniciosis, & falsis opinionibus mancipati: quibus exolvi ac liberari nequeant, nisi boni genij instinctu ductuque quodam divino ad veram & germanam scientiam perducantur: ab ea, quæ priorem fraudis & erroris hauſtum expurget, ut inde recta ad veritatem & felicitatem ſupremam perveniant.

niant. Idem ſibi principio hujus diſputationis eveniſſe auctor ſcribit, propinatumque menti ſuæ novæ opinionis poculum à Card. Iuſtiniano ingenue fatetur: quod quamvis ægre ſorbere potuerit, ita tamen intimis medullis combibiſſe ait, ut animum vix unquam hoc redditurum exiſtimet. Reddet tamen ſpero, quod invito & nauſeabundo ſtomacho hauſerat, vbi purgatricem veritatis vim guſtaverit, quam ei nunc bibendam propinamus. Manifeſte enim perſpiciet, novum illud commentum merum fucum fraudemque eſſe, alienum prorſus à Concilij CP. aliarumque ſynodorum mente, à SS. Patrum, præſertim Pontificum Romanorum ſenſu, & à perpetuo Latinæ pariter Græcæque Eccleſiæ uſu. Ego vero peſſime illos de Eccleſia Dei & Catholica religione mereri affirmo, qui Canonis iſtius mentem pervertendo ac depravando fortiſſimum nobis certiſſimumq; telum eripiunt, ad hæreticorum errorem de Confirmationis ſacramento configendum. Quid enim illis majus, opportuniuſve obtingere poteſt, quam ut apud Catholicos ipſos, & quidem Romæ, non trivialem quendam & proletarium hominem, ſed Cardinalem eumque, ut hic quidem eum prædicat,

eru-

eruditissimum erroris sui suffragatorem inveniant, qui, quod ipsi obnixe & operose contendunt, unctionem chrismatis tam evidenter descriptam in generalis Concilij decreto, meram ceremoniam esse pertendat?

Atq; eo majus operæ pretium fuerit vindicare hunc Canonem à manifesta corruptela, eiusque sensum clarum & perspicuum contra novas offucias asserere. Nam si eum de Chrismationis sacramento loqui invictis rationibus ostenderimus, formula obsignandi ab eodem Canone præscripta post tot seculorum usum in dubium revocari non poterit.

Assertio Canonis VII. Constantinopolitani.

CANON hic hæreticos ad Ecclesiam accedentes in duo genera dividit, quorum primi oblato libello hæresin ejurantes chrismate unguntur formula verborum à synodo præscripta: alij de integro baptizantur. Rationem hujus differentiæ interpretes Græci & Latini, ut videbimus, hanc assignant; quoniam priores illi recte in Trinitatis nomine baptizati iteratione baptismi non egent: posteriores autem male & nulliter baptizati, gen-

gentilium inſtar catechizandi primum & exorcizandi ſunt, & tum demum baptiſmo Eccleſiæ initiandi. De poſteriorum baptiſmo lis aut dubium nullum eſt, quin verum regenerationis ſacramentum intelligatur : de priorum chriſmatione lis Græcis movetur, utrum & ipſa vera & ſacramentalis intelligenda ſit, an vero, ut vult diſputator, cæremonialis tantum.

Et quamvis verba Græca Canonis ita perſpicua & clara ſint, ut ſolis radio ſcripta videantur, lucem tamen illis mutuabimur à luminaribus Eccleſiæ, hoc eſt, Sanctis Patribus Græcis & Latinis, qui diſertim eum Canonem citant, vel ita ad eum alludunt, ut nullus ſana mente præditus eum innui dubitare poſſit. Ex Græcis unus omnium erit Theodoretus, qui quadraginta circiter poſt Synodum CP. annis ſcripſit lib. 3. de fabulis hæreticorum cap. quod eſt de Nouatianis, *Ijs quos baptizant ſanctiſſimum chriſma non conferunt : ideoq; ab hac hæreſi ad Eccleſiæ corpus reuertentes venerãdi illi Patres ungi præceperunt.* Quis Theodoretum hoc CP. Synodi decretum de Novatianis chriſmandis intelligere dubitet, & quidem eadem ſacramentali chriſmatione, quam Orientalis Eccleſia baptiſmo ſemper conjunxit. Hanc enim

à No-

à Novatianis omissam, vel ab alijs nulliter collatam Concilium in eorum receptione vel de integro, vel valide conferendam statuit. Causſam vero cur Chrismationis sacramentum omiserint vel neglexerint Novatiani perspicere est ex S. Cornelij PP. epistola apud Eusebium hist. Eccl. lib. 6. cap. 35. ubi Novatum, cum Clinicus baptizaretur, *neque chrismatis obsignationem postea neque manus impositionem iuxta Ecclesiæ regulam accepisse scribit*: Id magistri factum ut sectatores defenderent Chrismatis confirmationem ut non necessariam omiserunt. Vnde certum & indubitatum est Canonem eam chrismationem Novatianis conversis conferendam statuisse, quam una cum baptismo accipere debuissent. Hæc Theodoreti ratio, & quidem verissima; cui aliam S. Patres adjungunt, ut mox videbimus; quia hæretici & schismatici extra Ecclesiæ unionem Spiritus Sancti gratiam conferre nullo modo possunt. Accedunt Theodoreto quatuor summi Pontifices, infallibiles ejusdem Canonis, & Ecclesiastici sensus interpretes.

Primus est Siricius concilio ferme supparem, qui mentem ejus ignorare nullo modo potuit. Ille capitulo 1. celebris decretalis ad Himerium Tarraconensem, *Arrianos*

nos, inquit, *nos cum Novatianis alijsque hæreticis, sicut est in Synodo constitutum, per invocationem septiformis Spiritus, Episcopalis manus impositione Catholicorum conventui sociamus: quod etiam totus Oriens Occidensque custodit.* Dico Siricium nō aliam intelligere Synodum quam CP. cujus hoc celebre tum decretum erat. Secundo eum Canonis mentē de unctione Chrismatis Latinæ Ecclesiæ more per invocationem S. Spiritus & impositione manuum explicare, ut mox ex S. Gregorij M. verbis perspicue patebit.

Siricium sequitur S. Innocentius I. decret. cap 47. *Arrianos, cæterasque ejusdem modi pestes, quia eorum laicos conversos ad Dominum sub imagine pœnitentiæ, ac Sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus; non videtur clericos eorum cum sacerdotij aut ministerij cujuspiam suscipere dignitate. Quoniam quibus solum baptismum ratum esse permittimus, nec Spiritum Sanctum eos habere ex illo baptismate, illisque ministerijs arbitramur.*

Dico, quia solum baptismum istorum hæreticorum ratum tunc habebat Ecclesia, sequitur sanctificationem illam Spiritus Sancti per manus impositionem nonnisi de vero Confirmationis sacramento, quo Spiritus Sanctus dari creditur, intelligi ullo modo posse.

Ter-

Tertius erit S. Leo Epist. 85. Decret. cap. 48. qui manifestis verbis de confirmandi Sacramento explicat. *Qui baptismum*, inquit, *ab hæreticis acceperunt sola invocatione Spiritus Sancti per impositionem manuum confirmandi sunt: quia formam tantum baptismi sine sanctificationis virtute sumpserunt.* Idem eodem sensu epist. decret. ad Rusticum Narbon. cap. 29. *Hi autem de quibus scripsisti, qui se baptizatos sciunt, sed cujus fidei fuerint qui eos baptizaverunt, se nescire profitentur, quoniam quolibet modo formam baptismatis acceperunt, baptizandi non sunt: sed per manus impositionem virtutem Spiritus Sancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, Catholicis copulandi sunt.*

Gregorius M. prædecessorum mentem clarissime explicat lib. 9. ep. 61. his verbis: *Ab antiqua Patrum institutione didicimus, ut qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad Sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione Chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei, ad sinum matris Ecclesiæ revocentur. Vnde Arrianos per manus impositionem Occidens, per unctionem vero Sancti Chrismatis ad ingressum Sanctæ Ecclesiæ Catholicę Oriens reformat. Monophysitas vero & alios ex sola vera confessione recipit.* addit mox: *Hi vero hæretici qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, ut sunt Bonosiani & Cataphrygæ, & alij*

tales cum ad Sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur. Hæc Sanctus Gregorius M. appositè ad Canonis Constantinopolitani & prædecessorum suorum mentem. In cujus verbis triplex habetur hæreticos & schismaticos reconciliandi modus. 1. per iteratum baptisma. 2. per chrisma & manus impositionem. 3. per solam rectæ fidei professionem. Ea autem diversitas nascitur ex diversitate hæresium sive sectarum, à quibus convertebantur ad Ecclesiam. Primò enim quibus baptisma nullum aut invalidum erat, rebaptizabantur. secundò quibus recta baptismi forma constabat, vis baptismi & gratia Spiritus Sancti per Confirmationis sacramentum conferebatur.

3 Qui Catholico ritu baptizati & cõfirmati à principio fuerant, & in uno aliquo capite fidei ita dissidebant à Catholicis, ut tamen ab externa Ecclesiæ societate non se separarent, hi sola rectæ fidei professione edita admittebantur. Qua in re Ecclesiæ Romanæ cum Græca probe convenit, ut ostendit Timothei presbyteri libellus de triplici hæreticos recipiendi modo, & diu ante ipsum S. Basilius M. epist. Canon. ad Amphilochium, ut paulo post videbimus.

Hac

Hactenus singulos testes audivimus de Constantinopolitani Concilij mente sententiam suam proferentes, nunc integras Ecclesias synodosque eadem de re judicantes producemus, & primum quidem eas quæ Constantinopolitanum decretum antecesserunt.

Ecclesiæ Africanæ de hæreticorum reconciliatione sententia.

IN Concilio Africano apud Cyprianum epist. 70. quæsitum fuit, utrum, qui apud hæreticos & schismaticos baptizati fuerant, ad Ecclesiam Catholicam venientes rebaptizari debeant?

Statuit concilium rebaptizandos esse. Ratio illorum patrum hæc fuit. Quia vnum est baptisma, quod nonnisi in una Ecclesia conferri possit: ideoque extra Ecclesiam apud hæreticos neque baptisma, neque ullum aliud sacramentum dari posse.

Concilij sententiam improbavit Stephanus PP. contrario hoc decreto, quod habetur in ejusdem Cypriani epist. 74. *Si quis à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* Stephani

PP. verba, & veteré illam Romanæ Ecclesiæ consuetudinem de manus impositione recõciliativa recte accipit Cyprianus epist. 71. ad Quintum, & in fine epist. 74. sed respondet tempora & res ipsas distinguendas esse, *Nam apud veteres hæreses, & schismatum prima initia, qui de Ecclesia recedebant, baptizati prius in Ecclesia fuerant. His* inquit epist. 71. *si postmodum peccato suo cognito & errore digesto ad veritatem & matricem redeant, satis sit in pœnitentiam manum imponere.* Sic epist. 74. à rebaptizandorum numero excipit eos qui baptizati in Ecclesia prius fuerant: *hos enim*, inquit, *cum redeunt, acta pœnitentia per manus impositionem solam recipi; & in ovile unde erraverant à pastore restitui.* Eadem mens Innocentij I. epist. 27. ad Episcopos Maced. *Qui à Catholica fide ad hæresin transierunt, eos non aliter oportet nisi per poenitentiam suscipi.* Atque hanc ipsam consuetudinem recenset inter regulas veteres, quas ab Apostolis vel Apostolicis viris traditas Ecclesia Romana custodit, custodiendasque mandat his, qui eam audire consueverunt.

Ex quibus apparet distinctam fuisse receptionem eorum, qui rite apnd Catholicos baptizati, & confirmati ad hæreticos transierant & reversi per solam recon-

cili-

ciliationem pœnitentiæ admittebantur; & aliam eorum qui extra Ecclesiam apud hæreticos baptismum acceperant, de quibus contendebant Africani Episcopi: horum enim non solum baptisma, quippe extra Ecclesiam collatum, sed etiam Chrisma & Eucharistiam nullam esse censebant, cum neutrum extra Ecclesiam consecrari possit; adeoque pro profanis habendos. Eamque ob causam *de errore & pravitate venientibus ad unius Ecclesiæ veram fidem, dandam illis per omnia divinæ gratiæ Sacramenta, unitatis & fidei veritatem*. ut loquitur epistola Concilij 70. apud Cyprianum. Vbi divinæ gratiæ sacramenta vocantur Baptismus, Chrisma, & Eucharistia. atque ita ipse Cyprianus epist. 72. ad Stephanum PP. scribit, ab hæreticis & schismaticis venientes baptizandos esse. *Eo quod parum sit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum Sanctum. Tunc enim demum, inquit, plene sanctificari, & esse filij Dei possunt, si Sacramento utroque nascantur*. Quem locum insignem observat Pamelius, ad assertionem sacramenti Confirmationis: nec sane ab hæreticis ullo modo refelli potest.

Neque vero quisquam perspicua hæc Cypriani verba eo elevanda existimet, quia baptismi iterationem contra Roma-

næ Eccleſiæ mentem defendit: quamvis enim de baptiſmo lis fuerit, attamen de manus impoſitione ſive Cõfirmationis ſacramento hæreticis revertentibus conferendo nulla inter partes controverſia fuit. Quod adeo verum eſt, ut idem Cyprianus epiſt. 76. unici, nec iterandi baptiſmi patronos argumento petito à confirmatione illa, ab ipſis etiam in hæreticorum receptione obſervata, urgeat; dum ait: *Itaque qui hæreticis ſive ſchiſmaticis patrocinantur, reſpondeant nobis, habeant Spiritum Sanctum hæretici, an non habeant. Si habeant, cur illic baptizatis, quando ad nos veniunt, manus imponitur ad accipiendum Spiritum Sanctum? Sed quia non habent, ideo apud nos manus imponitur, ut hic accipiatur.* Quoniam vero Magnus ille, ad quem epiſt. 76. ſcripta eſt, peculiariter de Nouatianorum reconciliatione quæſierat, patet irrefragabili Cypriani teſtimonio, eos ab Afris quidem per rebaptiſmum, à ceteris autem Catholicis per manus impoſitionem ſive Confirmationis ſacramentum jam tum receptos fuiſſe; circa annum Chriſti 256. quem uſum CP. Synodus poſt annos ferme 130. ſeptimo illo Canone confirmavit.

Ec-

Eccleſiæ Orientalis de eadem re ſententia.

EADEM de hæreticis rebaptizandis ſententia, eadem cum Stephano PP. lis fuit Orientalibus Epiſcopis Cappadociæ, Galatiæ, Iſauriæ & Ciliciæ, qui duabus ſynodis Iconienſi & Synadenſi hæreticos rebaptizandos & ipſi decreuerant, ut abunde docet Firmiliani Cæſarienſis Epiſtola ad Cyprianum num. 75. Ea etiam Epiſtola tribus aut quatuor locis Sacramentalem illam manus impoſitionem perſpicuè confirmat: quam tamen Firmilianus, juxta erroris ſui dictamen, hæreticis ſine nouo baptiſmo non ſufficere, oſtendere conatur. Sed hac de re Firmiliani ex aliquo intervallo ſucceſſorem. S. Baſilium M. mox explicatius differentem audiemus; ubi de ſynodi Laodicenæ ſententia pauca præmiſerimus. Nam anno Chriſti 364. hoc eſt annis ante CP. Synodum 19. ſynodus habita Laodicæ, quæ minoris Aſiæ poſt Epheſum nobiliſſima & primaria Metropolis eſt, à veteri illa Orientalium ſententia recedens, ex Romanæ Eccleſiæ mente non promiſcue omnes hæreticos

rebaptizãdos cenſuit, ſed alios Catholicum dogma probe edoctos, *unctoſq; ſancto chriſmate* ad myſteriorum ſacrorum cõmunionem admittendos: quales erant Novatiani Photiniani &c. Cataphrygas autem omnino rebaptizandos eſſe: ut habet Canon Laodicenus 7. & 8. Nec dubium quin hæc particularis ſynodi decreta uniuerſalis illa Conſtantinopolitana confirmare voluerit: ideoq; eadem utrobiq; chriſmatio intelligenda: cujus conferendæ formulam quoque Conſtantin opolitana ſynodus expreſſit. Circa eadem hæc tempora cum negotium hoc totam Aſiam ſollicitã haberet, copioſiſſime & diſtinctiſſime de Novatianorum aliorumque hæreticorum reconciliatione egit Baſilius M. celebri illa epiſtola Canonica ad Amphilochium cap. 1. Cum enim Laodiceni Canones 7. & 8. Orientalium Eccleſiarum decretis & uſui adverſari viderentur, quæ Novatianos rebaptizabant, hæſitanti hac de re Amphilochio reſpondet, in illis recipiendis unius cujuſque regionis morem ſequendum, eo quod variæ fuerint de ipſorum baptiſmate diſſenſiones inter eos qui de reconciliatione ipſorum tractarunt. Pepuzenorum autem ſive Montaniſtarum baptiſmum nulla ratione niti aſſerit, quia aperte hæreti-

retici sunt. *Antiqui autem*, inquit, *illum tantum baptismum admittendum censuerunt qui nihil à fide deviat*. Separatos autem ab Ecclesia in tria inquit genera distinxerunt; hæreticorum, schismaticorum, & conventicularium. hæreticorum baptismum planè improbarunt, schismaticorum, quales erant Novatiani, censuerunt admittendum. Conventiculares cum pœnitentia admiserunt. De Catharis autem sive Novatianis duplicem fuisse in Ecclesia sententiam ait; primam Antiquorum Cypriani & Firmiliani, qui censuerunt eos rebaptizandos. eo quod qui ab Ecclesia se separant, Spiritus Sancti conferendi facultatem amittant. eos itaque tanquam à Laicis baptizatos habendos. Secundam Episcoporum Asiæ, nempe in Concilio Laodiceno de quo dixi, qui baptismum eorum admittendum judicarunt ob multorum dispensationem, & hanc sententiam ipse quoque Basilius ratam habens, subjungit tandem: *Omni autem ratione statuatur, ut qui ab illorum baptismo accedunt ungantur à fidelibns*: unctionem sancti chrismatis Laodiceno Canone prescriptam intelligens, ad confirmandum scilicet baptismum, quem ut mere laicum nullam Spiritus Sancti gratiam conferre dixerat. Et hanc Basilij M. sen-

ſententiá paulo poſt Concilium Generale Conſtantinopolitanum confirmavit Canone illo 7. qui hujus diſputationis fundus eſt.

Sanctæ Romanæ Eccleſiæ cæterorumque Occidentalium eadem de re ſententia.

INNOCENTIVS I. epiſt. 27. Romanam Eccleſiam in reconciliandis hæreticis veteres regulas ab Apoſtolis vel Apoſtolicis viris traditas cuſtodire ſcribit. Idem teſtatur Euſebius hiſt. eccl. lib. 7. cap. 2. & 4. ubi controverſiæ inter Stephanum PP. & S. Cyprianum exortæ meminit: tum enim veterem conſuetudinem obtinuiſſe ſcribit, *ut hæretici ad Eccleſiam redeuntes ſolis precibus cum manus impoſitione reciperentur*. Ideoque ſtatuiſſe Stephanum, nihil in ea re præter traditionem, quæ inde à principio obtinuerat, innovandum. Decretum Stephani, quod paulo ante ex 74. epiſtola Cypriani adduxi, ex ejuſdem Cypriani & Innocentij I. mente de manus impoſitione reconciliativa intelligendum dixi; quia eos tantum intelligebat hæreticos regula illa antiqua, qui in Catholi-

tholica Ecclesia rite baptizati & cõfirmati ad hæreses sectasque defecerant, atq; inde ad matris gremiũ cum pœnitentia solemni redibant. Eandem regulam secutus Eusebius PP. hæreticos quos invenit in urbe Roma, sola manuum impositione reconciliavit; teste Anastasio in ejus vita. Verum paulo post Sylvester I. temporum necessitate & hæreticorum multiplici pravitate coactus, veterem illam Ecclesiæ suæ regulam, & consuetudinem à prędecessoribus observatam, immutavit, & arctius restrinxit, nec ita promiscuam facilemque quorumvis hæreticorum receptionem esse voluit. Nam ut Epilogus Concilij Romani habet, tom. 1. Conc. Colon. pag. 255. *Constituit, ut presbyterum Anianum resipiscentem nemo susciperet, nisi Episcopus ejusdem loci eum reconciliaret, & sacrosancto chrismate per Episcopalis manus impositionem, Sancti Spiritus gratia, quæ ab hæreticis dari non potest, confirmaret.* Vnde perspicimus, quem auctorem Laodiceni & Constantinopolitani patres secuti sint in suis Canonibus figendis; ipsum scilicet supremum Ecclesiæ præsulem & caput. Ecquis vero tam vecors fuerit, ut statutum hoc Sylvestri ad cæremonialem unctionem trahere audeat, cum disertim hic reconciliatio, & chrismalis

malis confirmatio, ut diversa ministeria distinguantur. Siricij, Innocentij, Leonis, & Gregorij M. verba clarissima, paulo ante allata, non repeto. Ea autem Sylvestri decreto ita inhærent, vt ne pilum quidem transversum ab illo varient.

Accedat Romanæ Ecclesiæ Gallicanæ: quę aliquot synodorum constitutionibus mentem suam nobis contestatam reliquit. Arausicanæ synodi Can. 1. *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderant, si desit Episcopus, à presbyteris cũ chrismate & benedictione consignari placuit.* Chrismatis confignationem Episcopis jure ordinario competentem, presbyteris in casu necessitatis, absente aut deficiente Episcopo, permittit hæc Synodus; quæ & baptizatorum chrismationem proxime sequenti Canone ijsdem concedit; ut ad priorem disputationem ostendi. Similis Concilij Epaonensis Canon 16. *Presbyteros propter salutem animarum desperatis & decumbentibus hæreticis, si conversionem subitam petant, chrismate permittimus subvenire. Quod omnes conversuri, si sani sunt, ab Episcopo noverint expetendum.* Chrismatio sanis ab Episcopo expetenda, in articulo mortis etiam presbytero permittitur: diversitas autem temporis & ministri veritatem sacramenti non variat,

fine

ſine quo hæretici ſive ſani, ſive moribundi ad Eccleſiam revertentes admitti non poterant. Cæterum quæ duobis hiſce Concilijs generaliter & promiſcue conſtitui videntur, ea diſtinctius multo tradidit Arelatenſe II. accurate enim triplicem illum reconciliandi modum explicat, quem ſupra ex S. Gregorij M. loco notavi. Primum per pœnitentiam & erroris damnationem, Canone 9. *Novatianum in communionem recipi non debere, niſi ſuſcepta pœnitentiæ credulitate præteritum damnet errorem*. Secundum per chriſmationem & manus impoſitionem, Canone 17. *Bonoſiacos ex eodem errore, quos ſicut Arrianos baptizari in Trinitate manifeſtum eſt, ſi interrogati fidem noſtram ex toto corde confeſſi fuerint, cum chriſmate & manus impoſitione in Eccleſia recipi ſufficit*. Tertium per novam baptiſmi collationem, Canone 16. *Photiniacos, ſive Paulianiſtas, ſecundum Patrum ſtatuta baptizari oportere*. Illud peculiare hoc Concilium habet, quod Novatianos, quos Canon Conſtantinopolitanus cæterique patres cum Bonoſianis & Arrianis conjungunt in reconciliandi modo, ab ijſdem diſtingunt; cujus rei rationem ex Canone Nicæno 8. ducere videntur, de quo mox fuſius agemus. Illud

inte-

interim certum manet, impositionem manus reconciliativam per pœnitentiam Canonis 9. hic diversam statui ab unctione Chrismatis & Confirmationis sacramento Canonis 17. Hispaniæ Episcopos idem cum Gallicanis sensisse docet Concilij Hispalensis caput 7. scilicet unum idemque confirmationis sacramentum esse, quo fidelibus baptizatis, & conversis ex hæresi Spiritum Sanctum tradebant Episcopi; sic enim definit: *Per impositiones manus fidelibus baptizatis, vel conversis ex hæresi Spiritum Sanctum tradere Episcopis tantum licet*. Ijs quæ hactenus dixi satis superque probatum atque evictum existimo, unctionem Sancti chrismatis septimo Canone Constantinopolitano præscriptam, nonnisi de vero confirmationis sacramento accipi & explicari posse; nisi quis universæ antiquitati Ecclesiasticæ & manifestissimæ veritati sciens volensque repugnare velit; & ne quod perfugium novis hisce interpretibus supersit in pœnitentium reconciliatione, de ea quoque paulo accuratius dispiciendum erit.

De impositione manuum qua pœnitentes reconciliabantur.

IAM ante non semel dixi, hac sola manuum impositione reconciliativa nonnullos ab hæresi vel schismate revertentes admissos fuisse, eos scilicet qui in Catholica Ecclesia baptizati & confirmati ad hæreticos transierant. in horum baptismo & chrismatione quia nihil emẽdandum aut supplendum occurrebat, sola sufficiebat pœnitentia, & hæretici erroris detestatio. per ejusmodi manus impositionem Donatistarum parvuli ad Ecclesiam Catholicam admittebantur, ut videre est Canone 57. collectionis Africanæ: ubi antiquus hic ordo appellatur. & sic Cyprianus epist. 74. in Africa suo jam tempore actum testatur. Nonnisi per summum errorem cum chrismatione Canonis Constantinopolitani cõfundi potest, & ea manuum impositione quam Occidentalis Ecclesia chrismationi adjungebat. hoc enim verum plenumque Confirmationis sacramentum semper fuit. Prior autem illa nullam plane unctionem adjunctam habuit, ut mox dicemus. De

an-

antiqua Eccleſiæ diſciplina circa pœnitentium reconciliationem tres doctiſſimi viri ante annos non ita multos in Gallijs ſcripſerunt, Gabriel Albaſpinus Epiſcopus Aurelian. Obſeruat. ſacr. l. 2. cap. 24. Ioannes Dartis profeſſor regius Pariſien. libro ſingulari, de Canonica diſciplina circa pœnitentiam, & Ioannes Morinus exercitat. Eccleſ. libro 2. cap. 23. & 24. Hi de manuum impoſitione quæ pœnitentibus impendebatur ex antiquis Canonibus Patrumque dictis minutiſſime agentes nullum antiquitatis angulum inexcuſſum reliquerunt. Obſervant illi, licet toto pœnitentiæ decurſu frequentiſſimæ eſſent manus impoſitiones, tres tamen ſolemniores & præcipuas fuiſſe: primam, in ipſa admiſſione ad pœnitentiam, ubi pœnitentes cum impoſitione manus ab Epiſcopo cilicium & cinerem accipiebant. Secundam cum ad tertium pœnitentiæ gradum accederent, quæ ὑπόπτωσις vel proſtratio dicebatur; in quo ad principium Miſſæ, & Apoſtolicas atque Evangelicas lectiones audiendas cum Catechumenis admiſſi, mox dimiſſis Catechumenis Pœnitentes humi ſe proſternebant, Epiſcopo interim manu ſuper eos extenſa orationes quaſdam recitante: quibus

finitis

finitis & ipsi ante Missam fidelium dimittebantur. Tertiam cum absoluta jam & completa pœnitentia per manus impositionem Episcopi plene reconciliarentur, ad communionem fidelium deinceps libere admittendi: & hanc reconciliatoriam manus impositionem Arausicanus Canon 3. absolute vocat. Non opus est hæc prolixius à me repeti: illud certissimum est, in omnibus illis Canonibus, & SS. Patrum testimonijs, quæ pœnitentiæ disciplinam tradunt, ne verbum quidem ullum haberi de quacunque unctione vel cæremoniali, vel sacramentali: nec quisquam scriptorum, quos dixi, licet omnia scrupulose perveſtigarint, expenderint, explicarintque, vel per somnium de unctione aut chrismatione illa Iustinianæa cogitavit. Quinimo pœnitentibus quamcunque sacram unctionem suscipere vetitum fuisse, durante pœnitentiæ tempore, perspicue docet Ioannes Dartis cap. 28. pag. 102. Vnde certissime concluditur, Canonem Constantinopolitanum de ejusmodi pœnitentium reconciliatione intelligi nullo modo posse; sed de vera & sacramentali chrismatione accipiendum; prout eum SS. Patres Græci, & imprimis Sūmi Pontificis Romani unanimi consensu explicarunt.

De Canone Nicæno VIII. & XIX.

CÆTERVM quia auctor sæpenumero Canonem 8. Nicænum ad testimonium, & sententiæ suæ confirmationem citat, magnumque in eo præsidium collocatum putat, operæ pretium fuerit hunc quoque Canonem à perversa interpretatione vindicare. quod fieri vix poterit, nisi & 19. Canonem ejusdem argumenti ei adjungamus. Vterque Canon de jis agit, qui apud hæreticos baptizati, & ad Ecclesiasticos ordines promoti, inde ad Catholicam Ecclesiam revertuntur, quanam ratione recipi debeant. prior itaq; de Catharis sive Novatianis, eorumque receptione, posterior de Paulicianis, qui Paulum Samosatensem sectantur, definit. In hisce recipiendis eam statuit differentiam, ut quorum ratum habetur baptisma, eorum quoque rata maneat ordinatio; hoc est ut ad quem quisque gradum apud suos ordinatus, ad eundem quoque in Catholica Ecclesia admittatur; quorum autem irritus habetur baptismus, eorum quoque irrita sit ordinatio. Statuit ergo Canon 8. ut Cathari post professionem fidei Catholicę, singuli prout ante ordinati fuerant,

suos

ſuos ordines apud Catholicos quoque retinerent: ita ut, quibus in locis ſoli Nouatianorum fuerant ordinati Epiſcopi, nec alius partis Catholicæ eſſet Epiſcopus, iſthic poſt reconciliationem veri & ordinarij manerent Epiſcopi; eodemque modo presbyteri & diaconi. Vbi autem Catholicus etiam eſſet Epiſcopus, ne duo ſimul in eodem loco eſſent Epiſcopi, volunt Patres, ut Epiſcopus Nouatianus, cum conſenſu Catholici, vel titularis tantum permaneret; vel Chorepiſcopi, hoc eſt, ut nunc dicimus, Suffraganei vel Vicarij munere fungeretur: vel ſi Catholicus id nollet, ut minimum inter presbyteros locum retineret. ſcilicet, ne ordinatio ejus redderetur irrita.

Canon autem XIX. qui Pauliacinos invalide baptizatos rebaptizari jubet, ordinationes quoque Clericorum apud ipſos celebratas, irritas facit: ideoque eos qui novo examine digni atque idonei reperti fuerint ad ordines Eccleſiaſticos ſuſcipiendos, ab Epiſcopo Catholico iterum ordinandos ſtatuit. Itaque Canone VIII. non alia intelligenda eſt manus impoſitio præter eam, quæ fit in collatione ordinum; non autem cæremonialis & reconciliativa, qualem auctor ſibi fingit in Canone

Constantinopolitano VII. ut Confirmationis sacramentum excludat.

In hac expositione Græci interpretes Canonum, Zonaras & Balsamo, consentiunt, quorum prior vocem χειροθετημάτων alia æquipollente χειροτονημάτων, alter autem τῶν χειροτονιῶντας explicat: ita ut uterque χειροθεσίαν pro χειροτονίᾳ hic accipiat: quæ sane vera & ipsissima mens Canonis est. Latinis interpretibus non æque convenit, ut ferme evenire solet, quoties unius linguæ sensus alia explicandus est; ubi improprietas & ambiguitas non nisi à peritissimis vitatur. Horum primus est, quem antiquissimum judico, & Concilij Chalcedonensis tempore Ecclesiæ Romanæ in usu jam fuisse certo scio. hic ita vertit: *Vt per manus impositiones sacerdotum maneant in clero*. Dionysius Exiguus sequitur, qui novam versionem dedit, sed ambiguitatem eandem retinuit. *Vt manus impositionem accipientes sic in clero permaneant*. Tertius est Isidorus Mercator, aut quisquis versionis, qua ille utitur, auctor fuerit; dum reddit paulo accommodatius ad Græcorum mentem: *Vt ordinentur, & sic maneant in Clero*. hunc enim de ordinatione accepisse nullum est dubium ex voce qua utitur: & quamvis demus superio-

res

res illum ſibi conſentientes habere; omnes tamen in eo errant, quod ordinationem non ante apud ſuos acceptam, ſed poſt recõciliationem ab Eccleſia conferendam intellexerint. in quo vim Græcæ vocis parum adverterunt, quod præteritæ ſignificationis eſt. Proletarijs hiſce duos ſtatarios ſubjungo, quos Canonis mentem ex medio Eccleſiæ uſu interpretatos certo conſtat. Prior Ruffinus hiſt. Eccl. lib. 10. qui brevi compendio Canonis mentem ſic reddit: *Clericos in ordine ſuo ſuſcipi debere*. Hæc ille breviter. Sed multo prolixius de eodem Canone agit Innocentius I. epiſt. 27. ad Epiſcopos Macedoniæ, ipſius auctoritate ſeſe tuentes; ubi eum nimis lenem, & pro temporis neceſſitate prolatum in exemplum uſumque quotidianum trahi vetat; ſcilicet, quod VII. Conſtantinopolitano ei obrogatum ſciret. eum vero Latine ſic profert: *ut accepta manus impoſitione ſic maneant in Clero*. Quod ille itidem ut Græci & Ruffinus de ordinatione apud ſuos accepta intelligit. Confirmat hoc ipſum adductum Anyſij Theſſalonicenſis exemplum, qui permiſerat; ut quos Bonoſus hæreticus ordinaverat, ordinati reciperentur: quod ille itidem temporis neceſſitati tribuendum aſſerit.

Nam

Nam epiſtola ad Marcianum Naiſſitanum, Bonoſi ſucceſſorem, eam receptionem ita limitat; *ut qui ſe ante damnationem Bonoſi adſererent ab eodem ordinatos; ſi relicto atque damnato ejus errore vellent Eccleſiæ copulari, libenter reciperentur*. reliquos ejus erroris aſſeclas Iudæorum loco habendos decernit epiſtola ad Laurentium Senienſem, decret. cap. 49. atque ita cum Bonoſiacis poſtea obſervatum conſtat ex S. Gregorij M. epiſt. 61. lib. 9. ſuperius adducta. quæ nec baptiſmum eorum ratum validumque habitum fuiſſe teſtatur, quippe qui non niſi rebaptizati ad Eccleſiam Catholicam recipiebantur.

Ad hæc idem Innocentius eadem epiſtola ad Rufum & Epiſcopos Macedonas, duas falſas hujus Canonis explicationes manifeſte refellit.

1 De iterata ordinatione, vt vocat decret. cap. 50. ſive ut cap. 53. de vera ac juſta legitimi ſacerdotis benedictione, qua Macedones illi omne vitium, quod à vitioſo fuerat injectum, auferri exiſtimabant.

2 De reconciliatione pœnitentium per manus impoſitionem. Nam Epiſcopi Macedones Bonoſiacis ad Eccleſiam revertentibus nullam prorſus pœnitentiam injungebant, quod eſt totius diſputa-

tio-

tionis Innocentianæ caput & argumentum. atque hoc ipsum Nicæno Canone tuebantur, quo nulla talis reconciliatio Catharis præscribitur. Vnde certo concludi potest, manus impositionem Canonis 8. Nicæni, non de reconciliatione per pœnitentiam, neq; de iterata benedictione sacerdotali, sed de sacramento Ordinis intelligendam esse; adeoque nihil facere ad chrismationem Canonis Constantinopolitani.

FINIS.

A